

L. Maillart del. — Joh. Mansfeld sc. Vien. 1801

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.
1. Cor. 15. v. 22.

INTERPRETATIO SACRAE SCRIPTVRAE

PER

OMNES VETERIS

ET

NOVI TESTAMENTI LIBROS

AB

JOANNE NEP. ALBER

CLERICO REGVLARI E SCHOLIS PIIS, S. THEOLOGIAE DOCTORE, LINGVARVM ORIENTALIVM, ET SACRAE SCRIPTVRAE IN ARCHI-EPISCOPALI LYCEO COLOCENSI PROFESSORE.

IN TOMO I.

GENESIS.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM, ET ADPROBATIONE.

PESTHINI,

TYPIS MATTHIAE TRATTNER.

M. DCCC. I.

VENERABILI

HVNGARIAE, ET PROVINCIARVM,

QVAE

CVM EA CONIVNCTAE SVNT,

CLERO.

OBLATIONE *istius Operis, quo Sacram Scripturam interpretor, testatum volebam facere, quantis ego, et totum Institutum meum coniunctionis vinculis, atque beneficiis, Tibi, Venerabilis Clere, essemus obstricti. Neque enim tantum meus Ordo e Clero Ecclesiastico processit, et illius quidam veluti surculus est, quem Divus Josephus Calasanctius fundavit, vir is, quem Pastoralis muneris socium, et adiutorem, plures sibi adsumpserunt Episcopi in Hispania, quique ab rege Hispaniae ad Infulas saepius, ad Purpuram Romanam a Summo Pontifice fuit designatus, et denominatus aliquoties, quos vero ille honores*

semper est deprecatus; sed quem a se Ordinem fundatum esse voluit etiam propterea, ut quod munus Vestrum est, pascere, qui in Vobis est, gregem Dei; suscipiendo tenerae iuventutis in pietate, atque literis erudiendae partem, suam Vobis operam, et adiutorium praestaret.

Quod Ordinis mei erga Vos officium, cum non solis Hungariae, atque harum Provinciarum, quae cum ea coniunctae sunt, terminis contineatur; sed latius ad omnem totius Ecclesiae Clerum pateat; tum illud singulare, ac proprie Vestrum est, quod Vobis in Hungaria idem meus Ordo suum praecipue debeat incrementum.

Sunt enim pleraque domicilia nostra, et Collegia a Praesulibus fundata Hungariae, nec ulla domus omnino nostra est, quae non eorumdem Praesulum, aliorumque ex Capitulis, et Clero liberalitate, atque munificentia esset aucta, atque provecta.

Dum autem hoc ipsum me, ut gratum Vobis animum nostrum profiterer, ad Opus hoc Scripturae Vobis inscribendum, atque dedicandum permovisset; tantum abest, ut istius observantiae nostrae erga Vos contestatione officium Ordinis mei erga Vos, aliqua etiam ex parte saltem, Vobis exsolverem; sed factum potius e contrario est, ut novis insuper me,

Institutumque meum erga Vos vinculis obligarem, atque obstringerem. Nam, sic liber iste meus a Vobis exceptus est, ut quamvis oblatio ipsius mea, casu, in illud tempus incidisset, quo nihil impeditius, atque importunius poterat cogitari, cum armorum strepitu omnia circumsonarent, quae semper literis fuerunt infesta, et inimica, atque belli istius tam diuturni, ac molesti onus Vos in statuendo milite, conferendisque sumptibus ad bellum, non mediocriter gravaret; tamen hoc impedimento esse passi non sitis, quominus Opus hoc meum prodiret, et eo tempore prodiret, quod illi constitueram, Vestra erga illud singulari humanitate, atque studio.

Quod cum declaret erga Sacras Literas, quae Vestra, quibus militatis, et pro Religione, et Ecclesia pugnatis, arma sunt, ingens, vehementissimumque studium; tum etiam singulare hoc erit, atque egregium omni posteritati, ipsisque etiam exteris, quo liber iste meus pervenerit, de Vobis: quantopere erga Sacras Literas animati sitis, et quantum Vos ipsi illas possideatis, documentum. Sicut enim non alterius, quam, qui ipse illiteratus est, literas, atque scientias est contemnere: ita ex hoc Vestro tanto studio, quo hunc Scripturae laborem meum, excepistis, sole clarius, atque illustrius appa-

ret; quantae hae in Vobis ipsis debeant esse Literae, quantumque doctrinae istius flumen.

Ego Vobis, quod sic laborem meum comprobaveritis, ago, ut debeo, singulares, maximasque gratias. Deus Vos Ecclesiae suae, quam diutissime servet incolumes. Cumque perfuncti eritis laboribus, quos in cura animarum exantlatis, atque Princeps pastorum apparuerit; is immarcescibilem gloriae suae coronam Vobis rependat. Scribebam Colocae die 1. *Julii.* 1801.

PRAEFATIO.

CONCILIVM Tridentinum Sessione vigesima tertia, capite decimo octavo de Reformatione, optare se dicit; ut Scriptura Sacra, quae fons, omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinae sit, non tantum discatur, verum etiam ediscatur a Clericis. Quare Hungariae Praesules anno millesimo, septingentesimo, nonagesimo, Budae, dum regni comitia haberentur, et de methodo, rationeque Theologicas disciplinas in lyceis tradendi consultatio ab iis institueretur; placere sibi ostenderunt, ut Sacrae Scripturae Interpres Professor, non iam potissimam temporis partem in meris fere Hermeneuticae, et interpretandi regulis consumeret; sed magis hanc interpretandi artem in praxi, interpretando ipsos Sacrae Scripturae libros, auditoribus suis exhiberet.

Judicabant, quod etiamsi Theologiae alumnus in recitandis, et depromendis illis regulis exercitatissimus esset, et quomodo Interpreta-

tio fieri debeat, copiosissime disserere sciret; tamen haec illi eloquentia non alio conducat, quam ut modum procedendi in Scriptura, si quid ipse aliquando suo marte conari in ea vellet, teneat; reipsa autem intelligere Scripturam, necdum sciat. Neque enim ex generali notitia regularum, dum in ambiguo, ac difficili Scripturae loco versatur, aliud adhuc intelligit; quam unum ex illis, de quibus in schola audivit, modum quidem esse debere difficultatis enodandae: quomodo autem actu, et in hoc loco, quem ante se habet, istud faciendum, et quae huc regula applicanda sit, nisi ducem aliquem habeat, qui hoc ei ostendat, etiam postquam totam Hermeneuticam ingenio, et perceptione contriverit; tamen adhuc ignorabit. Ponam enim tantum istum casum, dicamque tironi Scripturae, esse hunc locum, in quo ille se propter obscuritatem torquet, alibi expressum clare, ideoque inde, iuxta Hermeneuticae regulas, et interpretandi artem erui oportere eius sensum. Num iam propterea reperiet illum, nisi etiam dixero, ubi sit? Sed nec praestare hoc ei erit possibile, ut per seipsum, sola tectus Hermeneutica, rimetur Scripturam,

nisi tantam ad hoc librorum supellectilem, et apparatum habeat, quantum complectitur congeries fontium, versionum, et Patrum omnium: quin adhuc Interpretes alios, qui tamen ipsi negligendi etiam non sunt, huc computem. Et ab eone, qui modo excedit e Seminario, et quem nondum exercitatum aliae sui muneris curae totum occupant, exspectandum est; ut sibi talem intelligendae Scripturae laborem sumat? Paratus autem ad docendi munus venire debuit, ideo in Seminario fuit. Si vero imparatus est, quomodo aptus erit ad docendum populum?

Quamvis ergo Scripturae docendae ratio, quae tunc Praesulibus placuit, in plerisque locis, postea servata, nescio quomodo, non sit, et ut perspicitur, mutanda fortasse ubique sit; non hoc tamen me a proposito meo dimovit; sed ad illud perficiendum alacriorem etiam reddidit. Quod non dubitarem, quin etiam his ipsis, qui in ista methodo exercitati essent; iste Scripturae labor meus utilis, ac fructuosus esse posset: dum, quam hi interpretandi artem iam ingenio, atque cogitatione comprehendissent; hanc ego illis deinde re, et actu exhibe-

rem. Sic enim haec a me facta est Interpretatio, ut totam illam ad artem exigerem, nec contentus essem sensum alicubi ponere, nisi etiam, quod is sit, quem posui, rationem, et demonstrationem ex Hermeneuticis principiis darem. Atque sic omnino oportet tractare Scripturam. Nam, si in aliis etiam partibus Theologiae, atque omnibus disciplinis purum assertum nuspiam sufficit; sed quidquid asseritur, demonstrari etiam a docente debet: nec Interpreti quidem Scripturae talis auctoritas concedenda est; ut ei, quod docet, debeat credi, antequam illud demonstret. *Parati*, ait S. Petrus Epist. 1. cap. 3. v. 15. *semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe.*

Cum ergo Interpretum, quotquot clariores sunt, Commentarios adhibuissem omnes, neque id solum ex nostris, verum etiam, qui in Augustana, et Helvetica Confessione magis nominati sunt; in illis Sacrae Scripturae libris, in quos Sanctorum Patrum exstant Commentarii, vel Homiliae, aliaeque lucubrationes; ipsos etiam hos Patres semper ante me habui, illo-

rumque ipsa verba, ubi opportunum erat, in Interpretatione mea posui. Sic enim existimabam ex ipsis etiam verbis, atque Patrum sententiis maius futurum pondus. Deinde, quod me usus Patrum docuit, qui illa praesertim Sacrae Scripturae loca, de quibus controversia erat cum iis, quos sua aetate, in Religione, et Ecclesia habuerunt adversarios, consueverunt trutinare, diligentiusque ad examen vocare, atque inde refellere eosdem suos adversarios; hoc idem ego conatus sum etiam facere in illis Sacrae Scripturae locis, quibus vel nos dogmata nostra demonstramus contra Augustanae, et Helveticae Confessionis asseclas, vel quibus illi utuntur ad defendenda sua. Quod sic appareret, illine conveniant, an nos cum Scriptura: qui non minus, atque nos illam se habere profitentur pro credendi norma. Facio autem hoc ubique absque omni, in disputando, verborum inconvenientia, et asperitate, solius veritatis, atque Christianae charitatis, non litigandi, aut lacessendi aliquo studio. Sed neque philosophorum, et illuminatorum nostrae aetatis praetermitto refellere opiniones adversus Revelatam Religionem: quando talis Scri-

pturae locus se offert, et ubi talis Religionis veritas proponitur; adversus quam ipsi ingeniolum suum exercent, quamque conantur suis captiunculis subvertere.

Qui recentius Sacrae Scripturae interpretationes fecerunt, istam methodum iniverunt, ut plerique in solis notis, et adnotationibus, quibus obscura, et difficilia loca explicarent, istud peragerent, hasque notas vel infra Scripturae textum subiicerent; vel etiam solas notas absque textu ederent. At Patres antiquitus hoc aliter, et continentem quemdam sermonem, dum sacram Scripturam interpretabantur, fecerunt. Isto modo S. Hieronymus suos scripsit Commentarios, S. Augustinus suos Tractatus, S. Chrysostomus, aliique Patres suas Homilias. Quorum ego etiam exemplum secutus sum: et dum interpretationem facio; ordine procedo de versu ad versum, semperque Scripturae omnia verba pono: et quoties se obscuritas quaepiam, et difficultas qualiscumque obiicit, illam enodo, atque explico uno, eodemque orationis fluxu. Quae res illam etiam habet commoditatem; ut, qui legit, oculo cur-

rere non debeat iam per Scripturae textum, iam per notas, et interpretationem separatim positam, dumque ordo non turbatur lectionis, mens etiam magis advertat ad rerum inter se nexum.

Quod quidem in illis praesertim Sacrae Scripturae libris necessarium est, in quibus ea, quae succedunt, et sequuntur, ita pendent, et antecedentibus superstruuntur; sicut aedificii pars superior inferiori, quique ex continuis ratiocinationibus devincta inter se, et concatenata constant oratione. Quales in Veteri Testamento Prophetici sunt libri, in Novo, Epistolae S. Pauli, pluresque alii.

Excurret mihi quidem tali ratione per plura volumina Interpretatio, quam fortasse proportionatum videbitur esse erga eos, qui tantum modo fuerunt, aut actu sunt in tirocinio Theologiae. Quid ergo, strictimne tantum, et leviter debuissem percurrere libros? Est periculosa res in Theologia, et Religionis doctrina indicare, ubi sint difficultates, et non eas penitus enodare. Tunc enim adversarii magis in-

solescunt, quasi Catholicus defecisset in his; quae illi pro se habent, argumentis. Dumque Theologiae tiro talia in Scriptura legit, atque videt, quae, etsi ad speciem, tamen sententiae adversarii favere videntur; si illa Interpres non bene attrectet, et id, quod ambiguum, atque anceps se obtulit, non plene discutiat, sed haerere aliquod dubium in eorum mentibus, qui illum audiunt, vel legunt, permittat; moventur illorum animi potius ad dubitandum de veritatibus nostrae Religionis, quam ut in illis confirmentur.

Certe quidem, qui ad Interpretem quemcumque in Scripturae Sacrae aliquo dubio, et quaestione se confert; solutionem sui dubii talem requirit: ut in ea possit mente acquiescere. Sique talem non reperiat, impatienter etiam fert, et moleste tempus se perdidisse in istiusmodi Interpretis lectione. Atque hoc est, quod multi obtendunt, cur minus afficiantur Scripturae Sacrae lectione, ipsiusque magis ad palatum profanae res sint, et ipsae fabellae Romanenses. Quod cum Scriptura Sacra plurimis difficultatibus impedita, et saepe numero valde

de sublimis sit; nec eam per seipsos intelligant, et frequenter in tales interpretationes incidant, quae non satis solidae sunt.

Quod si vero aliquis mihi quaestionem moveat, cur post tot Patrum, aliorumque Interpretum in Scripturam labores, et lucubrationes, ego adhuc prodeam: huic ego respondeo, me nihil detrahere illorum laboribus, ex quibus ipse me profitear profecisse. *Non sic nova cudimus,* ait S. Hieronymus in epistola ad Chromatium, *ut vetera destruamus. Post priorum studia*, Idem in praefatione in Pentateuchum, *in domo Domini, quod possumus, laboramus.* Quod si aliud etiam non fecissem, sed tantum ea, quae illi repererunt, quaeque sparsa per omnes illorum libros erant, collegissem, atque ad systema redegissem, tamen putarem me facturum operae pretium fuisse.

Praeter complures autem etiam integros Scripturae libros, ut sunt Psalmi, Jobus, Canticum Canticorum, Apocalypsis, passim per omnes reliquos etiam libros, quam multa adhuc sunt obscura, quaeque producta in lucem,

et explicata nondum sunt? Ergo egone primus ad illa adyta Scripturae, et ad sacrarium istius intelligentiae penetravi? Non hoc dico, quod arrogantis esset, et insipientis. Sed tamen, dum semitam trivi, in qua alii ante me incesserunt; puto id, quod a me magis tritum est, factum esse planius. Equidem non tantum in illis integris, quos memoravi, sacrae Scripturae libris, qui admodum obscuri habiti ab omnibus semper sunt; verum etiam in ceterorum librorum omnibus partibus, ubi abstrusum, et intricatum aliquid est, dum laborabam, non prius sivi animum meum, et cogitationem acquiescere; quam meo saltem iudicio existimarem me reperisse, quod quaerendum erat.

Est Interpretum numerus ingens. Quorum alii, dum sensum posuerunt, qui ipsis rectus habebatur, non tamen simul etiam illius demonstrationem fecerunt, imperfectamque, atque sine dictorum suorum probatione interpretationem reliquerunt; alii non tam intrinsecis, atque ex ipsis interpretandi fontibus, petitis rationibus usi sunt ad probandum, quam sola au-

ctorum allegatione, quibus idem ille sensus, quem ipsi sibi adoptaverunt, placuerit; alii vix literali sensu delibato, et degustato toti sunt in adcommodatitio ad mores sensu, saepeque magis concionatoris, aut ascetae, quam Interpretis officium agunt. Cur autem? Quia scilicet hunc sibi in interpretando scopum proposuerunt, ut illis, qui conciones ad populum haberent, dicendi materiam suppeditarent. Ipsi Patres, qui Scripturae interpretationem in suis Homiliis fecerunt, quas ad populum dicebant, ob hanc eamdem causam saepe a literali ſensu ad moralem illum sunt digressi. Qui, dum fructum sui operis in dicendo spectarent, nec tunc convincere adversarios, sed docere suos, et accendere ad pietatem vellent; huc studium suum ex Scriptura, dum illam explanabant, potissimum verterunt. Ipseque S. Augustinus, quo nemo pressius, atque nervosius tractavit Scripturam, quando ei negotium fuit cum haeretico; tamen in suis Enarrationibus in Psalmos, quamquam mira elegantia, et eruditione, totus fere est in alio, quam qui proprie literalis esset sensus.

At mihi, qui pro illis, qui Theologi esse debent, Scripturae hanc Interpretationem facio, alia debet esse ratio scribendi, ut tota sit exacta ad artem, et apta adversus eos, in quorum summa colluvie modo vivimus, qui Revelationem, Christianamque Religionem convitiantur; deinde, ut iidem armentur contra eos, qui sibi in suâ Augustana, vel Helvetica Confessione Scripturae sacrae peritiam, atque intelligentiam etiam supra Catholicos vendicant, ut in Scriptura sacra, quae teste S. Paulo 2. Tim. 3. v. 16. *Utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*, sic Theologus noster, qui ad docendum populum formatur, versatus sit, et instructus, ut secundum eumdem S. Paulum 2. Tim. 2. v. 15. sit *Operarius inconfusibilis recte tractans verbum veritatis.*

Exemplum nobis sancti Patres reliquerunt, qui toti in Sacris Literis fuerunt: indeque omnium primo sibi vitae documenta petierunt, eademque deinde ad populum in suis concionibus transfuderunt. Unde concionabantur, sacra Biblia unus erat illorum liber. Miramur in il-

lorum Homiliis, ceterisque scriptis citandi Sacram Scripturam, et allegandi facilitatem, atque promptitudinem summam. Unde vero hoc facere potuissent, nisi assiduitate lectionis, et quotidiano usu ita sibi eam familiarem fecissent; ut quandocunque aliquid vel dicerent, vel scriberent; absque ullo cogitationis labore sponte ex ea verba, atque sententiae ipsis ad lingvam, atque calamum venirent? *Sumamus in manus*, inquit Bernardus Lamy in Praefatione sui Apparatus Biblici, *Chrysostomum, Gregorios, Basilium, Ambrosium, Augustinum, advertemus hos Doctores plenos cibo caelestis doctrinae eructare verbum bonum.*

Quamobrem vim etiam, atque pondus habuit eorum oratio. *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus.* Hebr. 4. v. 12. Neque alio, quam supra Dei verbum est aedificanda illorum, quos docemus, fides. Neque enim erit firmum, quidquid tantum fuerit exstructum super humani ingenii rationes, etiamsi excogitatae illae videantur sapienter, et summa prudentia. Nam, *Ser-*

mo meus, et praedicatio mea, ait S. Paulus, *non in persvasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* 1. Cor. 2. v. 4. *Sophistae, et declamatores,* ait supra citatus Bernardus Lamy, *occupaverunt pulpita sacra. Etenim numquam eum aestimaverim concionatorem Verbi Divini, quod numquam ore usurpat; exordio promittens expositionem Scripturarum, reliqua autem oratione nugans, et vanis Sermocinationibus studens auditorem suum oblectare. Sic populus inani cibo pascitur fraudatus solido, et versatur in tenebris ignorantiae. Nam aliunde, quam ex sacris concionibus scientiam salutis non accipit, qui literis vacare non potest.*

Patres dicendo ad populum non aliud, quam Scripturas exposuerunt. Hoc declarant eorum conciones, quas habemus, et Homiliae. Nec alias a plerisque Patribus habemus Expositiones Scripturae, quam quas concionando fecerunt ad populum. Inde S. Chrysostomi, ut de hoc in specie aliquid dicam, ad eumdem autem modum istud factum est ab aliis quoque Patribus, a S. Basilio, Augustino, a Grego-

riis, a Cyrillo utroque, et longum esset enumerare omnes, inde inquam, et ex hac ratione exponendi Scripturam publice in Ecclesia populo, Homiliae existunt S. Chrysostomi in Epistolas S. Pauli, quod Opus, atque ingenii ipsius monumentum unum omnium est longe splendidissimum, inde eius existunt Homiliae in duo Evangelia secundum Matthaeum, et Joannem, in Acta Apostolorum, et Genesim. Assumpserat ille nimirum Scripturae aliquem librum, ac deinde per illum ibat ordine. Ita velluti per integrum pratum caelestis doctrinae ducebat suos, ubi eos pasceret, atque ex ipso fonte potum illis praeberet: sicque iam Fidei, iam Morum documenta hauriebant, sic integros Scripturae sacrae libros ediscebant. Eratque studium, audiendi illum, tantum, ut hoc ipse in suis Homiliis testatur; ut quoties diceret, dicebat autem bis singulis septimanis, ingens illa, et princeps Constantinopoli basilica, in qua verba faciebat, multitudinem auditorum non caperet: multoque iam ante, quam dictionis hora esset, loci capiendi gratia, unde melius illum dicentem audire possent, in Ecclesiam convenirent. Excitatur enim vigor, et stu-

dium audiendi in auditoribus, dum sibi vident offerri, quod animos eorum, et mentes doctrina pascat. Nec aliunde ipsi ad audiendum torpent, quam si id, quod docetur, ieiunum sit, et langvens.

Isto denique Scripturae gladio Patres haereses quoque debellaverunt. Inde enim arma parata, atque expedita habebant ad confutandum, qualiscumque, et undecumque, atque etiam, si subito aliquis contra Religionem in Ecclesia se se erexisset error. *Qui in disputando fortissimus est*, ait S. Hieronymus in cap. 54. Isaiae, *et sanctarum Scripturarum testimoniis roboratus; iste propugnaculum est Ecclesiae.* Finem faciam praefandi verbis S. Augustini l. 2. Confess. cap. 2. *Sint castae deliciae meae Scripturae tuae:* sic ille suspirat ad Deum: *nec fallar in eis, nec fallam in eis.*

PRAENOTIONES HERMENEVTICAE
IN
SCRIPTVRAM SACRAM.

Res, quas viri Theopneusti Divino afflatu literarum monumentis tradiderunt, dicuntur Scriptura sacra. Iidem hi libri Canonici adpellantur a Graeca voce κανών, quae regulam significat, non tantum quod homini Christiano pro credendi, agendique norma esse debeant; verum etiam latiore eiusdem vocabuli acceptione, quod ipsos Ecclesia Divinitus inspiratos recognoverit, atque eos in censu, et numero istius generis Divinitus inspiratorum librorum habere decreverit. Omnium primo hoc iudicium de his libris tulit Concilium Carthaginense III. anno 397. propter Manichaeos, ne qui ab illis deciperentur, qui conficta ab se Evangelia falso Apostolorum nomine iactare consveverant, eosdemque prorsus, quos nunc tenemus sacrae Scripturae libros recenset: *Quoniam, a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda*, inquiebant episcopi illius concilii can. 47. Deinde anno 402. Innocentius I. Papa consultus ab Exsuperio Tolosano episcopo eumdem numerum canonico- Canon librorum S. Scripturae.

rum librorum ad eum perscripsit; itemque Gelasius I. Papa in concilio Romano septvaginta episcoporum, cum generatim de omnibus libris iudicium exerceret, ut veras, et sinceras merces a falsis, et supposititiis discerneret; illos eosdem S. Scripturae libros in suo decreto tradidit esse pro Divinis habendos. Eugenius quoque IV. in concilio Florentino in Instructione, quam Armenis dedit, hunc ipsum librorum Divinorum canonem praescripsit. Quem rursus concilium Tridentinum confirmavit, librosque, qui pro Divinis habendi in Ecclesia essent, in Sess. 4. sic recensuit: *Testamenti veteris quinque Moysis, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel; Daniel; duodecim Prophetae minores: Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum primus, et secundus. Testamenti novi: Quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem; Actus Apostolorum*

a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. Libri veteris Testamenti numerum efficiunt quadraginta quinque; novi Testamenti septem, et viginti.

II.

Libri Proto, et Deutero canonici.

Libri alii ex his sunt Proto, alii Deutero-canonici. De quorum alteris, sintne Scripturae sacrae libri, apud aliquos aliqua fuit dubitatio; illi autem inde a principio Ecclesiae semper ab omnibus agniti sunt pro Divinis. Deutero-canonici ex veteri Testamento sunt: Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo Machabaeorum libri, Baruch, septem posteriora Estheris capita, atque ex Daniele hymnus trium puerorum, oratio Azariae, historia Susannae, Belis, et draconis. Ex novo Testamento ad hunc numerum pertinent: epistola Pauli ad Hebraeos, epistola Jacobi, altera Petri, secunda, et tertia Joannis, epistola Judae, et Apocalypsis. Nam cum his libris idem accidit in Ecclesia, quod cum pluribus Fidei

dogmatibus, de quibus non semper res certa fuit apud omnes, et quibus contrariam etiam opinionem subinde tenuerunt aliqui Patres. Ac de libris hoc tanto magis evenire potuit, quod cum Apostoli pleraque sua scripta ad singulares Ecclesias direxerint; sensim illa tantum postea ad aliorum in Ecclesia notitiam pervenerint. Quare S. Irenaeus l. 3. c. 4. de quibusdam Ecclesiis sua aetate, vixit autem exeunte seculo secundo, testatur illas ad illud usque tempus absque sacra omni Scriptura fuisse, Christianum tamen instinctum optime tenuisse ex sola illa doctrina, quam viva voce ab Apostolicis viris acceperunt, et hauserunt. Libros Deutero canonicos tam veteris, quam novi Testamenti initio Augustani, et Helvetae Confessores reiecerunt, cum undique dissidii causas ab Catholica Ecclesia conquirerent, atque relicta Ecclesiae, plenioreque Patrum traditione, ex minus luculentis fontibus, atque ex pauciorum singularibus opinionibus argumenta de his libris peterent. At postea Novi saltem Testamenti deutero canonicos etiam libros receperunt. Qui ad veritatem ex parte etiam reditus, tametsi in ipsis vituperandus non sit; tamen in ipso primo statim reformationis suae, quam Evangelicam adpellant, impetu, et in iaciendis suae religioni fundamentis ostenderunt se minime veritatis spiritu afflatos fuis-

se, qui de verbo Dei integros etiam libros detraherent, atque a se proiicerent, hocque tunc falsum ducerent, quod postea suo etiam iudicio pro vero haberent. Praeter commemoratas novi Testamenti Deuterocanonicas Scripturas sunt hae adhuc partes, de quibus antiquitus aliqua erat controversia, aut quae etiam nunc ex parte ab adversariis Religionis impetuntur. Sunt autem: Caput ultimum Marci, historia de muliere adultera Joannis capite 8. et Lucae capite 22. narratio de Christi sudore sanguineo, ac demum Joannis epistolae primae capitis 5. versiculus septimus: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo:* quem versiculum Sociniani maxime impetunt, et adversus illum consurgunt. At Concilium Tridentinum Sess. 4. sic generaliter pronunciavit de tota Scriptura: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consveverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas* de his nempe libris *sciens, et prudens contempserit, anathema sit.*

III.

In veteris Testamenti deutero canonicis libris illi, qui a Luthero, et Calvino reformatos se profitentur, cur illos repudient; praesidium suum in auctoritate Sy- Canon Esdrinus S. Scripturae.

nagogae collocant: sed neque in illa, tanquam certa, et indubitata. Nam, cum teste Josepho l. 1. contra Appionem, Judaei libros, quos deutero canonicos esse supra dictum est, cum post Artaxerxis Persarum regis aetatem scripti primum essent, in pretio quidem habuissent; sed propter defectum successionis Prophetarum, qui de illis pronunciarent; de ipsorum Divina auctoritate subdubitavissent, atque suum iudicium potius suspendissent, quam ut eam illis penitus abiudicavissent; Augustani demum, et Helvetae seculo, post Christum natum, decimo sexto, cum iam Ecclesiae, quod Judaeis ex successione Prophetarum deerat, ab Christo, eiusque Apostolis abunde suppetivisset, et a quibus Ecclesia de his libris, eorumque Divina auctoritate firmissimum documentum ex Traditione repetivisset; ipsi non tantum secundum Synagogam, cuius auctoritatem prae nova Christi Ecclesia secuti sunt, iudicium suum de his libris intra limites aliquos non tenuerunt; sed qui traditioni Ecclesiae nihil vellent deferre; Judaeorum, et Synagogae traditionem non tantum susceperunt, verum magis etiam illam extenderunt; ut, quod illa non satis exploratum haberet de his libris, ipsi tanquam re explorata contradicendi studio Catholicis defenderent, librosque hos prorsus e canone repudiarent. Quod

non fecerunt Judaei, qui illos sic servarent, ut Prophetam tantum aliquem exspectarent, qui de illis libris pronunciaret. Judaei vulgo, ut ipse etiam Josephus tradidit in eo, quem superius citavi loco, libros Scripturae numerarunt duos, et viginti: totidem, quod eorum lingua literas habet, et ex quo numero absunt libri illi deutero canonici. Atque ad hoc compendium redactus est iste numerus, quod non tantum duodecim minores prophetas, verum etiam alios libros saepe duos, si praesertim ab uno auctore profecti sunt, in unum numerum contrahant. S. Hieronymus in Prologo Galeato, qui Bibliis praemitti solet, illos, prout Judaei numerare consveverunt, recenset. Quando vero canon iste Scripturae Judaeorum, et a quo effectus sit, Scriptura ipsa nullibi docet. Sed vulgo Hebraei, et secundum eos antiqui Patres, nominatim S. Irenaeus l. 3. c. 25. S. Hieronymus contra Helvidium, et S. Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Hebr. et Tertullianus de habitu mulier. cap. 3. tradunt ab Esdra, cum post captivitatem Babylonicam rem Judaeorum restauravisset, et in ipsa Scriptura vetustis Hebraeorum literis, qui cum Samaritanis conveniebant, Chaldaicas substituisset, ad quas iam in captivitate deflexerant Judaei; initum esse sacrorum librorum numerum, et effectum canonem. De his autem libris

plenius adhuc aliquid, cum ad proprium ipsorum locum perventum fuerit, in illorum praefatione, de illorum Divina auctoritate dicetur contra adversarios.

IV.

Libri Scripturae apocryphi.

Praeter hos Scripturae Sacrae libros, sunt alii plurimi, qui idem hoc sibi nomen, et Divinam auctoritatem conabantur vindicare. Quam iis tamen semper abiudicavit Ecclesia. Apocryphi autem dicuntur. Huius vero vocabuli duplex est in Ecclesia usurpatio. Nam apocryphi libri dicuntur partim ii, qui subtrusi, et falso alterius nomine scripti sunt; partim, qui errores continent, etiam si sincere nomen auctoris prae se ferant. Hic de priore genere est sermo. Cumque istius generis librorum ingens multitudo exstiterit, vulgo enim errorum architecti decipiendi causa sui ingenii partus Apostolorum, et Evangeliorum nominibus insigniebant, itemque in Veteri Testamento nullus fere propheta, et patriarcha etiam antediluvianus est, cui non saepe etiam integra librorum moles false fuisset afficta. Praecipui inter hos fuerunt e veteri Testamento liber tertius, et quartus Esdrae, qui duo etiam nunc adhuc ad Bibliorum calcem apponuntur; tum liber tertius, et quartus Machabaeorum, oratio regis Manassis, et liber Henoch. Graeci

etiam nunc centesimum, et quinquagesimum primum psalmum habent, quem quasi David cecinerit post superatum a se in singulari certamine Philisthaeum, et insuper duas appendices ad librum Job, quibus aliquam, non tamen plenam auctoritatem deferunt, et quae in suis Bibliis tenent sed cum aliqua nota, ex qua facere illos discrimen inter haec, et reliquam Scripturam adpareat. In novo Testamento ex apocryphis est epistola Christi ad Abgarum Edessenorum regem, tres deinde epistolae Beatae Virginis, epistola S. Pauli tertia tam ad Corinthios, quam ad Thessalonicenses, et una ad Laodicenses. Nam, cum Paulus in priore epistola ad Corinthios, in altera vero ad Thessalonicenses, itemque in suis literis ad Colossenses epistolarum aliquarum meminisset; ex mala intelligentia, aut depravatione sensus rem eam deceptores ad fraudem, et ad supponendum Paulo illas epistolas converterunt, eoque magis deceperunt, quod comprobari viderentur aliunde testimonio eiusdem Pauli. Jactantur etiam Pauli nomine epistolae sex ad Senecam. In eodem apocryphorum numero est epistola quoque Barnabae, et Hermae Pastor. Iste autem alter non eo, quasi supposititius esset, aut non recta aliqua doctrina adspersus, sed quod non ad eamdem dignitatem pertineat, quem habent libri, qui toti ab

afflatu Divino sunt profecti. Ecclesia ex traditione veros Scripturae libros a falsis discrevit, et diiudicavit. Quomodo vero hoc facere possunt hac repudiata Protestantes, et ii, qui a Zvinglio, Calvinoque sunt reformati? Non ex ipsis libris. Nam vel maxime isti se mentiuntur esse Divinos, atque ad illum habitum, quasi Divini essent, se se totos fingunt, atque componunt. Nempe, cur illos repudient, etsi Ecclesiae testimonium nihil velint hac in re valere, et traditionem; tamen cur illos non recipiant, ad Melitonem Sardensem, ad Origenem, ad Laodicenum, et Trullanum concilium refugiunt, et ab istorum auctoritate, atque testimonio praesidium sibi contra illos quaerunt. Pro quibus tamen graviora Ecclesiae testimonia ex Carthaginensi, ut demonstratum est, tertio, ex Romano, aliisque conciliis, deinde ex Innocentio, et Augustino, aliorumque plurimorum Patrum documentis, qui illos pro Divinis habuerunt, nolunt valere. Si haec in unam partem ratio valet; eadem valere etiam debet in alteram, nisi rationem relinquant, et sentiendi tantum libidinem sequantur. Si autem vel haec, quibus illi nituntur, documenta, adcuratius examinentur; adparebit illa nihil illis suffragari. Nam ab his iisdem libri quidam in eorum canone ponuntur, quos tamen ipsi non recognoscunt. Nam

Sapientiae librum Meliton recognovit esse canonicum, Origenes autem historiam de Susanna, de Bele, et de dracone apud Danielem. Meliton teste Eusebio l. 4. Historiae fatetur suum indicem, quem confecit Scripturae, ab aliarum Ecclesiarum consvetudine discrepare. Ergo vel ex ipso testimonium est indicem, quem edidit, non fuisse ex sensu omnium Ecclesiarum confectum. Nempe de canone qualis apud Judaeos fuit, ille investigationem instituit: et tamen etiam in illo impegit, dum Sapientiae librum, qui a Judaeis canonicus non est habitus, posuit, Estherem autem praetermisit. Origenes etiam diserte Machabaeorum libros memorat, et testimonium inde adhibet tanquam ex Canonico: *Ut autem*, inquit, *etiam de Scripturarum auctoritate hoc in se habere credamus; audi quomodo in Machabaeorum libris, ubi mater septem Martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, de hoc dogmate confirmatur. Ait enim: rogo te fili, respice caelum, et terram, et omnia, quae in caelis sunt.* Lib. 1. de Princ. cap. 1. Canon ille Laodiceni concilii in antiquis Manuscriptis deest, nec illum in sua Collectione habet Dionysius Exiguus. Et fuisse haeretica labe infectos illius concilii episcopos demonstrat Pagius Critic. Baron. ad a. 314. Trullanum concilium, quamvis ab Oc-

cidentali Ecclesia nunquam sit recognitum pro legitimo ; tamen eodem suo canone idem Carthaginense III. concilium comprobat. A quo canonem illum Scripturae eumdem esse editum, quem Catholica Ecclesia et nunc profitetur, et in concilio Tridentino professa est, iam supra demonstratum est.

V.

Scriptura Sacra non est ubique clara.

Sacrae Scripturae libri tanto prae aliis difficiliores intellectu sunt; quanto res, de quibus tractant, sublimiores sunt, et saepe excedentes vim et limites humani intellectus, totaeque a Divina revelatione pendentes, atque Deo volente ita rerum involucris de industria contectae, ut nisi admonitio aliunde accedat, ingenii acies per se eo nequeat penetrare, idque etiam eo magis, quod cum autographa Scripturae in aliis linguis facta sint, nos plerumque hospites simus ad indolem cogitationum, atque expressionum, quae in Versionibus ex illis peregrinis linguis retentae sunt. Ipsi Apostoli Luc. 18. v. 34. *nihil horum intellexerunt*, quae scilicet Christus ipsis tum dixerat de sua passione, *et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur.* Quamobrem Christus Luc. 24. v. 45. *aperuit ipsis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Quamquam vero ipse Petrus de epistolis Pauli diserte pronunciaverit ep. 2. cap. 3. v. 16. in iis *esse*

quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravent, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem; tamen Protestantes, et una cum iis Confessores Helvetae claras dicunt easdem esse Scripturas, ne praeter eas alium controversiarum iudicem de rebus fidei admittere cogantur, auctoritatemque eludant Ecclesiae. Sed ipsorum orationi non sunt facta consentanea. Nam, cur ipsi in re clara Scripturae interpretationes faciunt, cur tot edunt commentarios, et Hermeneuticae regulas cudunt? Cur inde a suae reformationis principio non tantum Augustani cum Helvetis, quamvis saepe numero concordiam facere tentaverint; sed neque ipsi inter se convenire adhuc potuerunt, ut neque uniformis apud eos ubique doctrina modo sit, et propter eam iam multas, et ingentes digladiationes inter se habuerint? Neque enim privatus ille ipsorum Spiritus, quo se afflari dicunt, Divinus esse potest. *Non enim dissensionis est Deus.* 1. Cor. 14. v. 33.

VI.

Cur Theologo necessaria sit Hermeneutica.

Ac quoniam Scriptura multis difficultatibus circumsepta est, quo minus facile possit ad illius sensum penetrari, cum in ea intelligenda semper Patres summam Theologicae doctrinae constituerint, atque ipsi in ea praecipuum suum studium nunquam non defixe-

rint; idem profecto nunc Theologo etiam cuique enitendum est, si eius aliquam habere velit facultatem. Neque enim vel mediocri Theologo hoc satis est, si sciat hunc, alterumque Scripturae locum esse ab aliquo Interprete taliter explicatum, vel etiam ab Ecclesia definitum. Sed ipsius omnino officii est perspicere, et tenere causas, ex quibus intelligitur sensus ille esse, et quibus Ecclesia permota sit, dum illum definivit sensum; sicubi autem interpretationum est conflictus, vel varietas, vel hactenus ab Interpretibus sensus eruderatus nondum satis est; ut non tantum cursum ipse aliquem tenere sciat, verum etiam, ut operam suam conferat, quantum potest, ad Scripturae isto thesauro locupletandam Ecclesiam; ut non dicam, quam turpe, atque indignum Theologo sit, in Scriptura esse peregrinum: si tamen talis Theologus dici potest, qui Scripturae imperitus est. Ut auten in aliis omnibus scientiis, sic in Scriptura etiam, ex observationibus illorum, qui in ea suum Studium posuerunt, interpretandi ars est effecta, et quae certis praeceptionibus dirigitur: et quas ego nunc ita proponam, ut adpareat, quod deinde institutum in interpretando tenturus sim.

VII.

Sunt ex his quaedam alteri quorumcunque librorum interpretationi communes; aliae vero Scripturae tantum propriae, et peculiares. Deinde in ipsis canonicis libris non est una et eadem ratio, prout nempe iidem libri diversa argumenta continent. Nam alii tantum pure historiam aliquam narrant, et hi sunt omnium facillimi; alii caerimonias Religionis proponunt, qualis est Leviticus; alii fidei, morumque dogmata, quos vulgo doctrinales, vel sapientiales adpellant; sunt denique alii prophetici. Plerique autem mixti sunt, et compositi ex pluribus istiusmodi argumentorum generibus. Interpretaturus omnium primo, quando Scripturae aliquem librum adgreditur, notitiam sibi illius libri procurare debet, ut sciat omnia illius adiuncta, quo auctore, tempore, et loco sit scriptus, quae Scriptorem ad scribendum causae impulerint, et quinam illi fuerint, quorum causa scripsit, et quod argumentum scribendi habuerit. Atque hanc notitiam sibi comparare debet vel aliunde, et petere ab eo, qui ista iam pervestigavit; vel certe ipse primo omnium huc in legendo omnem ingenii sui aciem advertere debet. Quod si autem etiam alieno ista ductu cognosceret; tamen ipse insuper trutinare haec adhuc, et expendere deberet, ne coece tantum alterum sequatur, et si ille alicubi impegit, quod saepe fit, ipse quoque in eumdem

Librorum Canonicorum divisio quoad argumentum.

Interpretationi praemittenda Exegesis, investigandus scopus, instituenda analysis.

errorem incidat. Haec adiunctorum praevia cognitio multum allevat intelligendi difficultatem. Nec saepe magis aliunde obscuritas in intelligendo nascitur, quam ex horum ignoratione. Istis autem perspectis ad Libri argumentum, et scopum vertere se Interpres debet. Est interdum unum tantum Scriptionis argumentum; saepe autem plura, et liber ex variis est doctrinae generibus contextus. Sic Evangelia iam facta, actionesque Christi narrant; iam fidei, morumque doctrinam proponunt. In S. Pauli Epistolis institutiones plerumque ad plura, et diversa fidei, morumque capita pertinent. In his vero videre necesse est, quid unum quasi argumentum efficiat, et ubi propositio iterum nova incipiat. In argumentorum varietate alia occurrunt historica, alia prophetica, alia rursus de doctrina aliqua. Atque haec dispesci ab invicem debent, librique secundum suas partes analysis, et resolutio. Nec in partium ista distributione morari Interpretem debet moderna secundum capita, et versus Scripturae divisio. Neque enim sive illa prior secundum capita, quam Seculo XIII. Hugo a S. Caro fecit ex ordine S. Dominici Concordantiarum Biblicarum causa adsumptis in adiutorium laboris quingentis sui ordinis sociis; sive illa posterior ab Stephano Roberto Parisiensi typographo in versus distributio, quam is plane incuriose, et subinde etiam inter equi-
tandum

tandum dicitur fecisse, talem auctoritatem habet, ut inde recedere non liceat. Ubi vero Interpres in libro, cuius interpretationem habere vult, orationis partes a se dispescuit, ut videat, quo quaeque res pertineat; tum ad intelligendam ipsam orationem progredi illi necesse est. Nec satis in eo est intelligere singillatim verba, et vocabula, sed sententiae ipsae etiam comprehendendae sunt. Perspici insuper debet, quis illarum inter se nexus, et quomodo Scriptoris cogitatio, et ratio altera alteri superposita, atque superstructa sit, et quomodo ea, quae principalis propositio est, aliis inferioribus rationibus declaretur ac demonstretur. Nisi ita Interpres Sacri auctoris, et scopum et mentem totam, orationisque structuram pervideat, et si contentus tantum fuerit, decerptas ex illo sententias intelligere; erit interpretatio tota puerilis, et infirma, et de qua certus numquam esse potest, sitne secundum Scriptoris mentem, cuius cogitationes, quomodo sint inter se devinctae, non pervidentur. Inde saepe hiulcae, detortae, alienaeque a mente Scriptoris existere interpretationes solent. Sed et illud requirit circumspectionem, ut advertatur, quid Scriptor in sua, quid in alterius aliqua persona loquatur. Nec res haec difficultate vacat, propterea, quod personarum loquentium mutatio frequenter fiat ci-

tra ullam a Scriptore admonitionem, et tacite. In quo, ne offendatur, iuvabit inprimis advertere semper ad scopum, et ad propositum Auctoris.

VIII.

Ad Scripturam rite intelligendam examinandus est nexus antecedentium, et consequentium, et instituendus est Parallelismus.

Iam verba, atque sententias primo ipse idearum, et cogitationum nexus, determinat, itemque comparatio cum iis, tam quae antecesserunt, quam quae subsequuntur; neque cum his tantum, quae proxime, sed nonnumquam etiam, quae sunt remotius. In dubio autem et ancipiti sensu, alia praeterea comparatio, quae vulgo Parallelismus dicitur, institui debet: quando vocabuli, vel sententiae, quae in aliquo loco obscura est, declaritio ex alio Scripturae loco, ubi clarius est posita, petitur, atque transsumitur. Ad hunc collationis usum adiumento esse possunt Concordantiae Bibliorum non solae verbales, sed in quibus ipsae etiam res conferuntur, et notae in marginibus Bibliorum; sed ita, ut Interpres neque ex Concordantiis, neque etiam ex notis absolutam sibi aliquam auctoritatem faciat; sed an accurata convenientia sit, iudicium etiam ipse adhibeat, quod illae parallelogiae non ad perfectam ἀκριβίαν, et adcurationem, sed subinde iuxta propriarum opinionum ductum tantum factae sint. Lumen vero quasi quodam In-

terpreti praeferre debet Analogia fidei vt videat semper, quid conveniens cum orthodoxa fide sit. Cuius proinde totam summam tenere debet. Nam, cum res de fide, quae ab Ecclesia definitae sunt, propter illius ab errore in fidei, morumque decretis immune iudicium, indubitate verae sint; non potest in Sacris Literis, si probe sint intellectae, his aliquid esse contrarium, aut non perfecte consentiens. Qua in re ii, qui in Augustana, Helveticaque Confessione sunt, quod ipsi quoque hanc Analogiam, et exactionem, ad fidei regulam in interpretando requirant, eamque praecipiant; manifeste sibi contradicunt. Nam ad res dubias, atque controversas de fide unam se habere Scripturae normam, et hanc solam se admittere profitentur; et tamen in Scripturae rursus aliqua difficultate ad Analogiam fidei docent esse recurrendum; quae fidei norma secundum ipsos praecise debuisset esse sola Scriptura. Ergo eadem Scriptura et norma est, et non est norma. Et cum norma natura prior debeat esse, quam res, quae ad eam exigitur; unde ipsi hanc normam, quae Analogia est fidei, habere possunt ad diiudicandum Scripturae sensum sine ipsius Ecclesiae iudicio, et auctoritate, et a qua, quid orthodoxe tenendum sit, praecipiatur? Quin vel ipsos Scripturae libros, quod reipsa tales, et Divinitus inspirati sunt,

Necessaria est etiam Analogia fidei.

unde sine ipsius Ecclesiae documento scire possunt?

IX.

Scripturae sensus primus literalis, isque proprius, vel translatus.

Quidquid in Scriptura sacra ponitur, aliquem habere debet sensum. Propterea enim scripta est, ut aliquid ex illa percipiatur. Et sensum semper aliquem efficit consociatio vocabulorum. Id, quod proxime ex illis intelligitur, et qui directe ex illa vocabulorum consociatione sensus efformatur, Literalis sensus ab Interpretibus denominatur: et consistit in verbis vel propriis, vel translatis. Eoque magis translationes, et metaphorae in Scirptura locum etiam reperiunt, quod saepe de Deo, Divinisque rebus, et quae extra hanc universitatem sunt positae, minimeque sub sensus nostros cadunt, instituatur oratio. Quae proinde res ad hominum captum proponi non aliter potuerunt, quam desumptis ex communi usu, adcommodatisque ad usitatum cogitandi, loquendique morem vocabulis. Qua de re sic S. Augustinus l. 3. de Doctr. Christ. praecipit. *Verba* inquit, *Scripturae sacrae, tamdiu in significatu proprio accipi debent; donec ostendatur ex sic acceptis sequi aliquod inconveniens, aut absurdum.* Sed subinde proprie aliquid est dictum, quod humano more loquendi expressum, non est tamen sic accipiendum. Quale est, quando de Divina generatione Filii Dei instituitur

oratio. Interpretis munus est ostendere, quid proprie, quid metaphorice sit dictum. Hoc autem definiendum venit, et diiudicandum ex reliquis adiunctis, ex similibus, et ad eumdem sensum concurrentibus Scripturae locis, atque saepe ex ipsa ratione, ut exempli gratia cum Deo, vel angelo humani corporis membra tribuuntur. Si longior, et productior sit metaphora, vocatur allegoria, cuius multa in Scriptura exempla sunt, eoque pertinent ipsae etiam Parabolae, quarum frequentissimus usus praesertim in Evangeliis est. Est autem parabola verisimilis quaedam narratio ad docendum adcommodata. Hanc vero docendi rationem erga Iudaeos Christus adhibuit partim consvetudine Orientalium, qui hoc genere sermonis delectantur; partim ut earum involucris mysteria contegeret, quae pandere illis noluit. *Vobis*, dicebat Christus ad discipulos, *datum est nosse mysterium regni Dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut videntes videant; et non videant; et audientes audiant, et non audiant*. Marc. 4. v. 11. Quod genus sermonis, ut intelligatur, advertendum est semper ad scopum, cuius gratia parabola fit. Is aliquando clare, et aperte est expressus; semper autem ex adiunctis adverti, et perspici potest. In iisdem parabolis deinde multa etiam subinde solent adiungi explendae

Parabola, et de ea praeceptiones.

tantum narrationis gratia, non ut in omnibus eius partibus separatim etiam vis sit ponenda; sed tota parabolica narratio cum re, quae per eam significatur, est comparanda. Sic tametsi apud Lucam 19. v. 12. per parabolam de homine nobili regnum designetur Filii Dei; tamen illius hominis nobilis austeritas tollentis, quod non posuit, et metentis, quod non seminavit, Filio Dei tribui, et adcommodari nequit.

X.

An in eadem Scripturae sententia multiplex reperiatur literalis sensus.

Sensum literalem, quem proxime consociatio vocabulorum efficit, sive in propriis, sive translatis verbis, quem diximus semper debere reperiri in omni perfecta oratione, et sententia Scripturae, quidam etiam amplificant, et volunt in una, eademque Scripturae sententia duos etiam, aut plures haberi literales sensus, idque tanquam in exemplo in ista Psalmi secundi ostendere conantur sententia: *Dominus dixit ad me: Filius meus et tu, ego hodie genui te.* Quem locum Paulus ad Hebraeos capite 1. ad Divinam Christi generationem significandam adhibuerit; tum iterum eiusdem epistolae capite 5. ad eius sacerdotium, ac tertio denique ad demonstrandam illius a morte resurrectionem usurpaverit Actor. 13. v. 33. Consimiliter Isaiae (capite 53.) hunc locum: *Generationem eius quis enarrabit,*

quia abscissus est de terra viventium, ad Divinam, deinde ad humanam Christi generationem significandam, ac tertio insuper ad fidelium coetum, quod illi secundum S. Paulum ad Galatas cap. 3. v. 7. computentur in Abrahae semine, quodque semen ipse sit Christus, pertinere volunt, et defendunt. Praeterea Danielis etiam capite 12. locum hunc: *Tu autem claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia*, huc trahunt, et ad eamdem suam opinionem adcommodant. Atque hanc multiplicitatem sensus putant etiam pertinere ad ubertatem; dignitatemque Divini eloquii. Ego sic sentio: non esse aliquid adstruendum de Scriptura, quod certa ratione probari non potest. Nihil autem ex omnibus eorum argumentis, quibus hanc rem efficere conantur, deduci, et exsculpi potest ne probabiliter quidem pro hac illorum sententia. Nam Paulus Psalmi secundi illum versiculum, cum proprie ad significandam Divinam Christi generationem pertineat; extendit ad eius etiam sacerdotium, et ad resurrectionem ex sepulchro, quod hoc utrumque in Christo factum sit vi Divinae illius generationis, qui et sacerdos in aeternum constitutus sit, et a morte resuscitatus, quia Filius erat Dei, hocque proinde utrumque ius ex Divinae suae naturae dignitate

illi competierit: quomodo ex eodem Divinae Naturae ipsius veluti fonte totum manavit, quidquid etiam praeter illa dignitatis in Christum collatum est, uti, quod in caelum adscenderit, quod a Patre ad dexteram sit collocatus, quod potestas omnis in caelo, et in terra illi sit data, quod vivorum, et mortuorum iudex sit factus. Sicut ergo omnia ista illi competebant ideo, quia erat Filius Dei; ita recte etiam Paulus adhibere illud Psalmi testimonium potuit, quo Divina Christi generatio proponitur, ad probandas de illo eas, quae ex hac Divina generatione consequebantur, dignitates resurrectionis, et sacerdotii: quin propterea plures sint litterales sensus, sed tantum in illo generationis sensu reliqua omnia simul contineantur, quaecunque ad Christum vi Divinae ipsius generationis pertinent. Apud Isaiam rursus proprie intelligitur Divina Christi generatio, et hunc is locus efficit sensum: Christus est abscissus de terra viventium, atque neci traditus; tametsi eius generatio nequeat explicari utpote, qui genitus ab aeterno, et natura sua sit immortalis, et quasi per antithesim dictum est: Filius Dei immortalis fuit mortalis, et mortuus est. Quod si aliqui Patres illum locum acceperunt de humana etiam Christi generatione, quid tum postea? Communiter tamen eum Patres de Divina ge-

neratione intelligunt. Ergone ex sententiarum diversitate certum aliquod poterit deduci argumentum? Etiam humana Christi generatio, siquidem supra naturam est, captumque excedit humanum; enarrari, et explicari oratione non potest. Ideo illi Patres etsi illud apud Isaiam de Divina generatione esset proprie dictum; tamen eamdem illam Prophetae sententiam ad Humanam etiam Christi naturam retulerunt per adcommodationem, non secundum proprietatem, quemadmodum et alibi Patres nonnumquam sic Scripturae testimoniis utuntur. Nec ego nego ex uno etiam, eodemque Scripturae loco plura saepe et posse, et solere deduci per modum scilicet consequentiae. Deinde sunt Scripturae plura etiam talia loca, quae etsi pluribus modis accipiantur, et explicentur, sensum efficiant in quolibet explicationis illo modo probabilem, quo casu non modo repudianda non sit illarum aliqua explicatio, praesertim si Patris cuiuspiam fulciatur aliqua auctoritate, sed quaelibet earum in sua probabilitate sit relinquenda. Insolentis enim Interpretis esset in eo, quod sibi videtur, et si idem aliis, qui perinde docti, aut fortasse etiam doctiores sunt, aliter videatur, si, inquam, in eo aliis se praeponeret, suamque tantum sententiam valere cuperet. Qualiter etiam S. Augustinus l. 12. Confess.

cap. 18. dicit nihil obesse, si quis in Scriptura quidpiam aliter sentiat, quam ille sensit, qui illud scripsit, si pius ille sit sensus, atque inde ad pium affectum erga Deum moveatur. *Dum quisque*, inquit, *conatur id sentire in Scripturis sanctis, quod in eis sensit ille, qui scripsit; quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendis verum esse, etiam si hoc non sensit ille, quem legit, cum et ille verum, nec tamen hoc senserit?* Ex Danielis autem illo superiore testimonio, cum iussus fuisset sermones claudere, et signare librum, non video, quomodo ii, qui pertransibant vel legere saltem potuerint clausum, et obsignatum librum. Nempe eo loco significabatur Iudaeis fore obscurum, quod tum a Daniele scribebatur, multosque futuros, qui hoc legerent, quin tamen intelligerent, et unumquemque aliter ad suam opinionem illum librum esse interpretaturum. Illa ergo erat multiplex futura scientia, sed etiam ne vera quidem. Praestantia igitur S. Scripturae non in multiplicitate illius sensus est ponenda, quae res vagam potius illius efficeret auctoritatem, facultatemque praeberet unicuique se illius auctoritate tuendi, etiamsi ad suam tantum libidinem illam torqueret; sed quod vere sit Verbum Dei, et de rebus tractet, quarum cognitione ni-

hil possit esse maius, atque excellentius, quaeque propter suam sublimitatem facultatem quoque ingenii nostri excedant, atque superent.

XI.

S. Scripturae typi, et sensus mysticus.

Est vero illud in Scriptura sacra prorsus singulare, quod res literaliter in ea proposita saepe aliquid aliud contineat, et significet, quod illo priore multo sit excellentius, cuique significandae res secundum literam tantum, ut inserviat, adsumpta sit, primariaque Dei intentio ea in re directa tota sit ad sensum mysticum: qualiter iste talis sensus praeter literalem adpellatur. Tales vero res omnes sunt, quae in Scriptura sunt Typicae. Sic ille agnus, quem Israelitae pridie suae profectionis ex Aegypto immolaverunt, cuiusque sanguine domorum suarum postes liniverunt Exodi cap. 12. v. 22. itemque serpens aeneus, quem Moyses Numer. 21. v. 9. erexerat, cuiusque adspectu ii, qui morsi erant a serpentibus, sanati sunt, typi erant Christi. Qualiaque universe omnia in veteri Testamento referebantur ad Christum, ut illum praefigurarent. Quemadmodum Paulus dicit, de Israelitis, *Omnia in figura contingebant illis*: 1. Cor. 10. v. 11. et ad Hebraeos cap. 10. v. 1. *Umbram* inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem.* Sed erant omnia caerimoniis, sacrificiis, aliis-

que actionibus tecta, et circumvoluta. Tractatio autem istius sensus mystici, siquidem reconditus sit, plures habet cautiones. Ac primo quidem in omni loco Scripturae, ubi mysticus etiam quis sensus est, debet alter praevius haberi literalis sensus. *Spiritualis interpretatio*, ait S. Hieronymus in cap. 12. Isaiae, *sequi debet ordinem historiae, quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis versantur errore.* Deinde absque certo ipsius Scripturae indicio non permittitur, ut quis ipse sibi fingat mysteria, atque typos aliquos constituat, ne, si ista licentia daretur, per ostentationem ingenii Scriptura detorqueatur saepe ad inconvenientes sensus, quo ipsius Scripturae vilesceret dignitas, periretque auctoritas. Sicubi autem typus etiam certa ratione deprehenditur, non tamen adhuc omnia, quae in typo sunt, referri debent ad Antitypum, et quod illi typo respondens est. Sic Jonas, tantum quoad statum suum in ventre piscis, et ad exitum inde suum, non etiam quoad inobedientiam, et fugam typus erat sepulti Christi. Etiam tales actiones nonnumquam, quae culpa aliqua non vacant, sunt typicae. Qualis erat Jacobi, quando hoedinis pellibus contectus, fratrisque sui vestibus indutus, eumdemque fratrem suum se simulans benedictionem a patre suo obtinuit, Christumque ea in re figuravit. Qui, sicut Jacob pelles, et alie-

nas vestes, ita peccata ipse nostra in se susceperit, atque illa pertulerit in corpore suo 1. Petr. 2. v. 24. Memini S. Augustinum l. contra Mendacium cap. 10. purgare hoc Jacobi factum a simulatione, et mendacio. Sed tametsi viros aliquos noverimus egregie sanctos, et pios; non tamen consequens est illos numquam ne leviter quidem offendisse, ut hoc de illis defendi debeat. *Aliud est*, inquit S. Petrus Chrysologus Serm. 37. *proponi aliquid ad significandum, aliud ad imitandum.* Neque in typo etiam, et antitypo adcurata convenientia requiri debet. Nam per typum futura res solummodo adumbratur, idque rudibus tantum, et imperfectis characteribus. Nam Christi, illiusque actionum multo amplior fuit splendor, quam ut creatarum, infirmarumque rerum typi illum adcurate possent exprimere. Quamobrem frustra aliquis in Moyse, vel Iosue, qui sua Israelitici populi ex Aegypto eductione, et introductione in Palaestinam figurarunt redemptionem, quam nobis praestitit Christus; perfectam similitudinem, et convenientiam cum Christo, quem praefigurarunt, quaeret. Nec quilibet etiam typus de Christo seorsim totam illius imaginem exhibet; sed alter typus hanc, alter alteram plerumque delineat Christi actionem; ut adeo de Christo, qui totius veteris Te-

stamenti antitypus est, *Finis* enim *legis est Christus.* Rom. 10. v. 4. non ex uno, alterove typo seorsim; sed ex omnibus simul sumptis constituendum sit. Qua in re erravit Socinus, dum ex uno Moysis typo, qui Israeliticum populum liberavisset absque suo sangvine; consequentiam intulit ne sangvinem quidem Christi pertinuisse ad humani generis redemptionem. Omisit enim considerare, et adiungere ad Moysis personam reliquos etiam veteris Testamenti de Christo typos, qui consistebant in cruentis sacrificiis, quibusque futura sangvinis Christi effusio, et cruentum illius in Cruce sacrificium praefigurabatur. Neque enim perfectissima res, qualis erat Christi persona, atque perfectissimae, innumeraeque ipsius actiones depingi una, aut paucis tantum aliquot umbris poterant. Solent deinde etiam in Scriptura nomina typi, et antitypi inter se permutari. Tali pacto Davidis nomine Christus Ezechielis 34. v. 23. adpellatur, idemque agnus nominatur Joan. 1. v. 29. quia David, et agnus, quem Judaei in Paschate immolarunt, illius typum gesserunt: Oseae autem uxor, et filii meretricitio, et fornicationis nomine adpellantur Oseae cap. 1. v. 2. quod typum gesserint fornicationis Israelitici populi cum idolis, et alienationis a Deo. Etiam in novo Testamento occurrunt futurarum rerum aliqui

typi, sed rariores. Ierosolymae excidium Luc. 21. v. 6. proponitur tamquam quaedam imago extremi iudicii. Itemque illud Pauli: *Consepulti sumus per baptismum in Christo* Rom. 6. v. 4. hanc imaginem in se habuit, ut quemadmodum Christus a mortuis resurrexerit; sic et nos a peccatis per baptismum resuscitati in novitate vitae ambulemus, et vivamus Deo.

XII.

Sensus mysticus: allegoricus, tropologicus, et anagogicus.

Sensus mysticus pro diversa consideratione, prout id, quod in illo repraesentatur, vel ad fidem, vel ad mores, vel ad spem, et quod in altera vita exspectatur, pertinet, trifariam dividi, et distingvi solet. Primus allegoricus, alter tropologicus, tertius anagogicus nominari solet. Sed iste hic allegoricus distingvi debet ab illo allegorico, qui tantum situs est in verbis translatis; nam iste in rebus ipsis situs est, resque, etsi propriis verbis enunciata, si tamen aliquid delineet, quod ad fidei, credendique materiam pertinet; sensum dicitur facere allegoricum, quatenus sensus illius loci literalis sensum simul in se continet mysticum, cui assensu intellectus satisfieri debeat, quodque ibi in verbis translatis vocatur metaphora; hoc hic propter rem, quae assumitur ad significandum aliquid aliud, adpellatur typus. Mysticorum sensuum exempla sunt plurima in Scriptura. S. Pau-

lus Rom. 10. v. 18. ex Psalmi 18. isto versiculo: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*, atque ex caeli, siderumque motibus, a quibus lux funditur per totum mundum, atque ex clarissimis his illorum veluti vocibus, quibus praedicant existere mundi gubernatorem Deum, docet celerrimam etiam Evangelii esse factam propagationem in mundo per Apostolos. Cumque in eodem Psalmi versiculo literalis sensus de sideribus; allegoreus sit de Apostolis, illorumque Evangelica praedicatione; isto altero demonstrationis causa utitur Apostolus. Idem Paulus 1. Cor. 9. v. 9. illud Deuteronomii 25. v. 4. *Non alligabis os bovi trituranti* per tropologiam refert ad mores, et ad illam actionem fidelium, qua Evangelicis ministris suis vitae adiumenta praestare debent. *Numquid*, inquit, *de bobus cura est Deo? An propter nos hoc utique dicit? Nam propter nos scripta sunt.* Illud vero Geneseos de Deo: *Requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat* cap. 2. v. 2. rursus per anagogen refert, ad aeternam beatorum requiem. *Itaque*, inquit, *relinquitur Sabbatismus populo Dei.* Hebr. 4. v. 9. Ex quibus sensus mystici exemplis, modoque, quo iis Paulus utitur, illud quoque perspicitur, omnia illa genera sensus mystici valere, et habere vim ad formandum inde argumentum. Qualium

lium similium argumentationum ex sensu mystico plena praesertim est epistola S. Pauli ad Hebraeos. Sed cautio illa est adhibenda, de qua iam superius dictum est, ne ex proprio tantum arbitrio sensus alicubi constituatur mysticus; sed is fundatus debet esse vel in Scriptura, vel in Patrum, Ecclesiaeque traditione.

XIII.

Praeter istos Scripturae sacrae sensus, de quibus adhuc dictum est, memorari solent hi duo: vulgaris, et adcommodatitius. Ille alter in Scriptura esset, si quid in ea eiusmodi proponeretur, quod secundum opinionem tantum vulgi verum habeatur, etiam si in se verum non sit, et si sic esset in Scriptura hoc positum, ut vulgi illa opinio confirmetur. Quoniam autem tali pacto falsitas aliqua poneretur in Scriptura, et ea recideret in ipsum Scripturae auctorem Deum; admitti vulgaris aliquis Scripturae sensus non potest. Non quidem quasi non omni locutionis genere, quae in consuetudine humana reperitur, ut hoc S. Augustinus inquit, l. 1. de Trin. cap. 12. uteretur in Scriptura Deus, cum utique hominibus eaedem Scripturae loquantur, ac proinde illorum loquendi indoli adcommodatae esse debeant, quod secus intelligi non possent; sed quod falsae, et erroneae opinioni humanae Scri-

Sensus Scripturae Vulgaris, et Adcommodatitius.

ptura, in qua nulla falsitas esse potest, adstipulari non possit. Alter sensus, qui adcommodatitius dicitur, dupliciter spectari potest: uno modo, quando Scripturae sententiae adplicantur alio, quam proprius ipsarum sensus sit, quod fieri solet in primis vel in Sanctorum laudationibus, vel in adcommodationibus Scripturae sententiarum ad mores; quae pietas quidem est; sed non Scripturae ipsius adcuratio: altero modo adcommodatitius Scripturae sensus est, quo usus est Theodorus Mopsuestenus, dum docuit oracula prophetarum esse Christo per apostolos tantum adcommodatitie adplicata, nec veras praedictiones in illis fuisse. Quem illius errorem damnavit Concilium Constantinopolitanum generale V.

XIV.

An ad intelligendam Scripturam, lingvarum Orientalium quaedam sit necessitas.

Quae adhuc de diversitate sensuum, modoque illos explicandi proposita sunt, faciliora videri possent, nisi illud grave ad intelligendum impedimentum adferret; quod lingvas, quibus Scripturae scriptae sunt, exacte non teneamus, aut qui tenent, paucissimi sint. Translationes omnes in aliam lingvam nativum illud non retinent, quod est cuilibet lingvae proprium. Idque tanto minus in Scriptura, quod ferè ubique in ea verbum e verbo redditum sit. Quod sic fieri necesse fuit, ne sua ipsi integritas periret,

si in illa transferenda suam intelligendi rationem interpres pro textu substituisset. Ex quo necessitas consequitur in Interprete earum lingvarum, quibus canonici libri scripti sunt, ad accuratam illorum intelligentiam. Nec illa quorumdam valet excusatio: videri iam istud nunc minus esse necessarium, postquam tot scientissimorum virorum prodierunt in Scripturam lucubrationes, et studia, quorum vestigiis satis sit insistere. Nam hoc est alienis oculis credere, quin rem tu ipse perspicias. Nec ulli alii de lingvarum hac scientia sic sinistre iudicant, atque illas contemnunt, quam quos piguit studium aliquando in iis ponere. In ipsa Hermeneutica multa vulgo solent praecipi, regulaeque tradi, quae deductae sunt ex lingvarum Grammatica, quibus Scriptura scripta est, quo facilius ipsa etiam in versione intelligi Latina possit oratio, in qua modi loquendi secundum indolem lingvae Hebraeae, vel Graecae saepe retenti sunt, dictanturque et ad satietatem usque percipiuntur lingvarum Orientalium idiotismi, propriaeque loquendi rationes, quae ab illorum populorum consvetudinibus, et ritibus petitae sunt. Quarum rerum cognitio omnino interpreti est necessaria. Nam, si de Romanorum rebus Latinus aliquis scriptor ab eo intelligi non potest, qui nihil de illorum ritibus scit; quomodo in Scri-

ptura speret se quis progredi posse, in qua tam multae locutiones sunt, quae desumptae sunt ex Hebraeorum consvetudinibus? Ego autem nec idiotismos hic recenseo, nec illas consvetudines et Hebraeorum ritus, quibus verbi gratia vel in nuptiis, vel conviviis, vel funeribus, aliisque suis actionibus utebantur, expono, quia hoc longiorem sermonem, et doctrinam requireret, et tamen quoties inter interpretandum locus talis se offerret, esset iterum dicendum, et aliqua admonitio instituenda, quod res in memoriam coniecta, nisi refricetur, pereat; nec mens semper advertat. Ne ergo longior hic modo sim, quod tamen non multum prosit, propositumque meum sit non tam speculando, et theoria, quam in praxi Hermeneuticam tradere; quoties eiusmodi locus erit, idiotismique, et aliquid de consvetudinibus, atque ritibus illis occurret, illud tum explicabo.

XV.

Interpres recurrere debet ad Scripturae fontes.

Ex his, quae de Lingvarum Scripturae Sacrae usu dicta sunt, consequitur interpreti ad manum esse debere ipsos Scripturae fontes, ut deductos inde in lingvam Latinam rivulos, quoties opus est, conferre cum iis possit. Non quasi propterea vulgatae versioni Latinae, quam Concilium Tridentinum declaravit esse authenticam, sua non videretur integritas constare, neque enim Conci-

lium hoc suum iudicium alio, quam ad fidei, morumque dogmata extendit, adversus quae nostra Latina Vulgata nullam aliquam labem habeat, sed sit incorrupta; verum quod hoc non tantum facultatem praebeat adcuratius intelligendi Scripturam ubicunque, sed quod etiam saepe obscuritas in ea, et dubietas vitari non possit, nisi luminis causa recurratur ad fontem. Ita ex Pauli ad Colossenses epistolae isto loco: *Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam, quae Laodicensium est, vos legatis*, cap. 4. v. 16. si hoc Latine tantum legatur, facile in mentem veniet, hanc etiam a Paulo Laodicensium esse scriptam epistolam. Sed Graece res nullam habet difficultatem. Nam quod Latinus interpres vertit: *Laodicensium*, Graece est: *Ex Laodicea* ἐκ Λαοδικείας, ut a Laodicensibus ad Paulum, non ab hoc ad illos scripta haec esse intelligatur epistola. Nec etiam Vulgata caret omnibus aliis levioribus mendis; sed nec talis est ubique versio, qua iam adcuratior esse non possit. Quare ipsi Concilii Tridentini Patres cum Vulgatam adprobavissent; tamen praeceperunt; *Ut inspectis antiquissimis Codicibus, Manuscriptis Patrum, item Commentariis, nec non collatione facta cum fontibus Hebraicis, et Graecis, quam emendatissime corrigeretur, et correcta impri-*

meretur. Quod deinde studium in eam contulit Sixtus V. et Clemens VIII. Romani Pontifices. Qui idem iste alter Pontifex in suo decreto de his a se editis Bibliis declaravit, se plura consulto etiam praetermisisse, et non correxisse. Quale illud est Exodi 6. v. 3. *Et nomen meum Adonai non indicavi eis*. Quod facile perspicitur debere esse nomen Dei apud Hebraeos, quod illi sic scribunt יְהוָה quodque vulgo enunciatur Jehova. Nam, cum nomen hoc ab Hebraeis reverentiae causa non soleat enunciari; sed quoties in Scriptura occurrit, ei substituant nomen Adonai, quod Dominum significat, istaque, quae modo sunt vocalia puncta, olim Hebraea lingua non habuerit; vera etiam enunciatio illius nominis nunc certa non est. Rursus Psalmo 131. Vulgata habet versiculo 15. *Viduam eius benedicens benedicam, et pauperes eius saturabo panibus*. At vero Hebraeus viduae loco habet צֵיד *tzaid* quodque LXX. θήραν verterunt. Quod utrumque tam Hebraeum, quam Graecum feram, et victum ex venatione, metonymice autem quemcunque victum significat: quodque etiam bene cohaeret cum eiusdem versiculi altera parte, et idcirco versioni etiam nostrae anteferendum est. Deinde Theologus Catholicus, etiam si pro se contentus esse posset auctoritate solius Vulgatae; tamen instruere ita se debet; ut

etiam adversus eos, qui illius auctoritatem respuunt, atque peritiam Hebraeae, Graecaeque Scripturae de se iactant, prodire possit cum galea. Quamquam autem in recurrendo ad fontes, postquam ea, quae sacri Scriptores suis ipsi manibus scripserunt, omnia interierunt; eundum esset maxime ad alia manuscripta exempla, quae quanto antiquiora sunt, tanto auctoritatem maiorem habent, et in qua consideratione antiquitatis, quoad vetus Testamentum, Hillelis Iudaeorum magistri omnium celeberrimi, quoad novum vero Testamentum Vaticanum, et Alexandrinum, quod nunc in Anglia est manuscriptum, ceteris anteponitur; tamen manuscriptorum tanta iam necessitas non est, postquam codices ad adcuratam manuscriptorum fidem literarum formis expressi sunt. Ex his autem Polyglotta Francisci Ximenii Cardinalis, et Archiepiscopi Toletani in Hispania circa initium Seculi XVI. memorari inprimis merentur; deinde Polyglotta Antverpiensia, quae Philippus II. Hispaniae rex edenda curavit non multo post illa priora, iterumque, quae Parisiis sunt edita fere uno seculo post a Michaele de Jay, ac denique Londinensia, quae Brianus Valtonus a. 1657. summa diligentia, et studio edidit, et in quibus praeter originalem textum Hebraeum et Graecum, praeterque Vulgatam, Chaldaicam etiam, Samaritanam,

Graecam Septvaginta, Syriacam, Arabicamque tum etiam Aethiopicam, et Persicam versionem posuit. Istis ultimis Londinensibus, quamvis etiam Parisiensia mihi essent ad manum, ego etiam in interpretando usus sum.

XVI.

Versio LXX. Interpretum.

Post Scripturae autem fontes in interpretando proximum locum tenent antiquae eiusdem Scripturae versiones eo fine, ut collatis inter se translationibus, institutaque investigatione, quonam modo illi, qui versiones illas fecerunt, Scripturam intellexerint, facilius ad verum Scripturae sensum perveniatur. Versionum autem omnium antiquissima, et princeps est, quae Septvaginta Interpretum adpellatur. Haec Scripturae ex Hebraeo in Graecum translatio auctore Aristaea narratur accidisse sic. Ducentis circiter annis ante natum Christum Ptolemaeum Philadelphum Aegypti regem, cum magno studio conquisitis undique libris bibliothecam Alexandriae instrueret, svasu Demetrii Phalerii, quem huic negotio, bibliothecaeque isti praefecerat; Jerosolymam quoque ad Eleazarum Judaeorum summum sacerdotem legationem misisse, qua Iudaeorum sacros libros mitti sibi petebat, atque una etiam praeter Hebraeam Graecae etiam lingvae gnaros viros, qui eosdem libros ex Hebraeo in Graecum transferrent.

Quod cum a Pontifice fuisset facile impetratum, et ab eo viri fuissent missi ex singula tribu sex, ita ut universim essent septvaginta duo, iidemque Scripturae sacrae volumen aureis literis descriptum secum detulissent, illos summa benevolentia exceptos a rege in insulam Pharum, quae non amplius septem stadiis (stadium centum viginti quinque passus tantum continebat) Alexandria distat, esse perductos, ubi seorsim ab omni strepitu, et tumultu versionem illam efficerent. Qua facta, et perlecta in concione Judaici populi, quorum ingens tum numerus habitaverat in Aegypto, et omnium secuta comprobatione rex non tantum illos Iudaeos, qui versionem fecerunt, maximis praemiis affectos remiserit, verum etiam centum et viginti illorum millia, qui captivi tenebantur in Aegypto, liberos dimiserit; versionem autem illam una cum Hebraeo exemplari in sua bibliotheca deposuerit. Ab Septvaginta, ut sic rotundo numero vulgo dicuntur, factam esse hanc versionem praeter Aristaeam etiam Philo l. 2. de vita Moysis, et Iosephus Flavius l. 2. Ant. cap. 2. testantur, idemque Patres Ecclesiae tradunt summa consensione, nisi quod S. Iustinus Martyr in oratione Paraenetica ad Gentes cellulas etiam cuilibet interpreti seorsim fuisse adsignatas ab rege dicat; ut communicatione inter se agendi

sublata, adcuratius deinde constaret fraudem omnem abfuisse in vertendo, si a separatis versio facta nihilominus congrueret. Etiam Philo docet non quidem expresse de cellulis, *sed solitarios tanquam Numine correptos prophetasse non alia alios, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter.* Sed haec de cellulis narratio non tantum modo reiicitur a Criticis, sed eam quoque repudiavit S. Hieronymus Praefatione in Pentateuchum. *Nescio,* inquit, *quis primus Auctor septvaginta cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint, cum Aristaeas eiusdem Ptolemaei* ὑπερασπιστὴς (fide intimus) *et multo tempore post Iosephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse.* Vulgo creduntur ipsi Alexandrini Iudaei, quo maiorem auctoritatem illi versioni conciliarent, ad Aristaeae narrationem fabulam de cellulis adsuisse. Quidam vero intemperantiores critici ipsi quoque Aristaeae librum illum abiudicant, qui ipsorum opinione tantum etiam sit ab iisdem Alexandrinis Iudaeis confictus, illique suppositus, ideoque totam hanc etiam narrationem de hac versione repudiant, sed esse privatim tantum factam ab aliquo sibi placere volunt. Nulla tamen argumenta, sed meram tantum suspicionem suam praeten-

dunt. Cur ergo illis adsentiamus, causa non est. Illud vero etiam controvertitur, solamne legem, sive Pentateuchum, an reliquos etiam omnes Scripturae Hebreae libros iidem senes Septvaginta verterint. De lege pronunciat Iosephus Flavius. Sed ex eo nihil certi concludi potest, cum legis vocabulum iam strictius pro solo Pentateucho, iam latius pro omnibus Scripturae libris soleat usurpari. Hoc tamen alterum videtur esse verisimilius. Nam, cum Ptolemaeus studio habendorum librorum incensus, omnes quotcunque habere posset, undique libros conquireret; non minus reliquos, quam Pentateuchum consequens est ipsum habere voluisse. Qualiscunque autem huius rei potest esse coniectura; illud tamen certum est, ante Christi aetatem omnes iam Veteris Testamenti libros fuisse Graece versos, quod secundum Graecam versionem tam ipse Christus, quam Apostoli Scripturae testimonia citaverint. Ex quo illud quoque infertur indubitatam illius esse debere auctoritatem. Neque enim Christus, et Apostoli illam allegavissent; nisi sincera illius auctoritas fuisset. Sed et illud est pro ipsius commendatione, quod hac sola versione Ecclesia diu usa, atque Latina antiqua, quae in usu fuit aetate S. Hieronymi, quaeque Itala vocabatur, ex illa facta sit. Quin etiam ipsam modernam Vulgatam, quoad novum

Testamentum ex eadem Itala habemus integre, nisi quod eam S. Hieronymus iuxta Graecum magis poliverit, et limaverit; ex Veteri vero Testamento Psalmi, uti prius in Itala erant, retenti sunt.

XVII.

Latina Vulgata.

Constat igitur Latina Vulgata nostra sic, ut libri omnes ii, qui erant in Canone Hebraeorum ex S. Hieronymi sint versione praeter Psalmos, ut iam dictum est. Nam cum Psalmi publice cantarentur in Ecclesia; et quod in usu erat positum, difficile videretur mutari posse sine offendiculo, ne qui rudiores erant, in cogitationem venirent, ideo hanc mutationem esse factam, quasi ad illud tempus Ecclesia non usa fuisset vera Scriptura, aut dum illam pro vera haberent; isti novae versioni praefracte se opponerent, dissidiumque in Ecclesia facerent, de Psalmis, quamvis etiam illos S. Hieronymus verterit, nihil mutatum est. Sunt vero insuper ex Versione S. Hieronymi liber Iudith, et Tobias. Quos etsi extra Canonem Hebraeorum positos, tamen ad quorumdam preces Latine vertit, cui propositum fuerit Libros tantum in Canone Hebraeorum vertere, quo nostris ex adcuratiore versione tanto magis facultas suppeteret disputandi cum Hebraeis, illosque convincendi. Nam, cum ad id tempus a

Christianis loca Scripturae Hebraeis obiicerentur, prout versa erant in Latinum ex Graeco, nec Latinae versionis esset tanta convenientia cum Hebraeo; Hebraei argumenta illa erga se eluserunt dicendo, aliter ista, quae ipsis opponebantur, esse in eorum Codice Hebraeo. Reliquae autem partes Veteris Testamenti, prout ante ex Theodotionis, aliorumque Versionibus in Latinam Italam venerant; sic ex hac Itala in hanc quoque nostram Vulgatam transsumpta sunt. Italae vero Versionis, quis auctor fuerit, prorsus incertum est. Sed cum aetate S. Augustini, ut ipse testatur L. 2. de Doct. Christ. Cap. 11. Latinae permultae versiones fuissent; ista, quae Itala dicebatur, omnibus aliis anteferebatur. Diversitas autem illa Veteris Italae cum moderna nostra Vulgata inde existit, quod illa non ex Hebraeo, sed ex Versione Septvaginta Interpretum traducta in Latinum sit. Interpretes autem illi, et Versores non semper stricte verbum ex verbo reddiderint, sed paraphrastas, et circumlocutores nonnumquam egerint. Quemadmodum, quod S. Hieronymus ex Hebraeo vertit: *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*, illi verterunt: *Videbit omnis caro Salutare Dei nostri.* Isaiae 40. v. 5. Rursus Oseae 13. v. 14. istud quod secundum S. Hieronymum in Vulgata est: O

mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne, illi verterunt: *Ubi est mors causa tua? ubi est mors stimulus tuus?* prout hoc testimonium iuxta Versores Septvaginta etiam S. Paulus citavit 1. Cor. 15. v. 55. nisi quod causae loco posuerit Victoriam Graece νῖκος alias νίκη pro δίκη; quod re ad eumdem sensum pertinet. Nam, cum mors inito cum Christo conflictu causa cecidisset; victoriam amisit.

XVIII.

Versiones reliquae Scripturae.

Aliae vetustae Veteris Testamenti translationes ex Hebraeo in Graecum factae sunt seculo secundo ab Aquila, ab Symmacho, et a Theodotione. Paeter vero has aliae adhuc duae erant incerti auctoris, quarum una Ierichunte, alia Nicopoli casu in quodam dolio ab Origene reperta est: quasque una cum ceteris idem Origenes ad suas Hexaplas composuit. Ex reliquis antiquioribus versionibus omnium primaria est Syriaca, ita ut Syri illam etiam ad Marcum Evangelistam referant: quod tamen incertum est ob defectum testimoniorum. In ea Vetus Testamentum ex Hebraeo, Novum ex Graeco tarductum est. Novum ex ea Testamentum primus omnium, cum id Moses patriarcha Maronitarum (in Syria prope Antiochiam isti habitant) ad Leonem X. Romanum Pontificem legatus secum attulisset; Vidmanstadius illud Viennae in Austria ty-

pis edidit. Iidem Maronitae aliam praeterea versionem habent, quae tota est ex Graeco facta, convenitque cum moderna ipsorum dialecto, et qua vulgo utuntur: cum illam priorem tantum in suis officiis Divinis adhibeant. Sunt deinde versiones Orientales adhuc hae: Arabicae aliquot, deinde Coptica, sive Aegyptiaca, Aethiopica, demum Armenica. Quae versiones istum usum praestant Interpreti nostro, ut inde confirmetur nostra Latina Vulgata, atque ex plurium versionum ad Orientales lingvas inter se collatione, et cum Vulgata comparatione, tanto clarius elucescat genuinus sensus. Praeter has autem celebris etiam est Codex Samaritanus, sed qui solum tantum Pentateuchum continet, quod hunc unum reciperent Samaritani, qui quoad ipsam etiam Religionem dessidebant ab Iudaeis. Est insuper genus etiam quoddam translationis, quam Paraphrasin dicunt. In qua non presse verbum ex verbo redditur; sed versio quadam circumlocutione aliorum verborum fit. Hae paraphases apud Iudaeos vigere coeperunt, quando in captivitate Babylonica Chaldaicae lingvae adsvefacti, posteaquam redierunt; Chaldaicas Scripturae interpretationes adamaverunt. Targumin illas Iudaei adpellant. Eiusmodi vero Paraphrases existunt tres. Prima est, quae solum Pentateuchum continet, cuiusque auctor fuit quidam no-

Chaldariae Paraphrases.

mine Onkelos magnae inter Iudaeos auctoritatis; altera est, quae Propheticos libros complectitur, quam fecit aliquis Ionathan; tertia denique reliquos Canonicos ipsorum libros, quos ipsi Hagiographos adpellant: cuius certus auctor non est, tametsi aliqui putent Iosephum quemdam, cognomine coecum, illius auctorem fuisse. Hae paraphrases cum novo Testamento antiquiores sint; Iudaeique illis magnam auctoritatem tribuant, praesertim duabus prioribus, atque plurima Scripturae loca, quae nunc Iudaei alio conantur detorquere, in illis diserte de Christo explicentur; maqnam vim habent in disputationibus adversum Iudaeos. Sed nunc Iudaei toti in suis fabulis Thalmudicis sunt, quae seculo circiter quinto ab ipsis confictae, Traditiones esse creduntur, quas Moyses non scripto, sed viva voce posterorum memoriae tradiderit: quodque illorum Thalmud non tantum multa absurda, verum etiam convitiosa continet adversus Christum, et Christianam Religionem. Est autem Iudaeis praeterea duplex adhuc genus traditionis. Unum est, quod Masoram adpellant. In hac notatur, quomdo, et quibus punctis quaelibet Scripturae S. Vox legenda sit. Quam illi eo consilio fecerunt, ne Sacrae Scripturae lectio genuina interiret. Neque enim antiqui Hebraei in scribendo vocales aliquas literas adhibebant; sed solas

Masora, et Cabala.

las consonantes: quemadmodum etiam modo pueri in illorum scholis adhuc sine iisdem vocalibus punctis legere discunt. Haec autem punctorum vocalium, quoad Scripturam Sacram scientia nobis etiam maximo adiumento est, non tantum ad adcuratam lectionem, verum etiam ne si vocalium sonus mutaretur in legendo, aberratio etiam fiat a sensu. Altera deinde est, quam Cabalam nominant, et significat *Acceptionem* opposite ad Masoram, quae *traditionem* significat. Hanc vero Iudaei adhibent ad eruendos Scripturae sensus; sed illos plerumque fictitios, et ineptos ex positione, permutatione, arithmethicaque ratione literarum. Literis enim Hebraei etiam pro numeris utuntur, talique modo mysteria ex Scriptura Sacra excudunt, in quibus summam eruditionem Scripturae putant, etsi pleraque sint frivola, et puerilia. Nec tamen etiam inficiandum est Cabalae istius nullum prorsus in Scriptura usum esse. Nam etiam in Apocalypsi Cap. 13. v. 18. bestiae nomen per numemeros explicatur: *Numerus*, inquit, *eius sexcenti sexaginta sex*. Atque illud Ieremiae Cap. 25. v. 26. *Et rex Sesach bibet post eos*, S. Hieronymus quoque tali modo per cabalam interpretatur in Suo Commentario, ut Hebraicam vocem שֵׁשַׁךְ *Sesach* Ieremias posuerit loco בָּבֶל *Babel* per solam literarum permutationem ponendo al-

phabeti Hebraici literam secundam *beth* (ב) loco *Sin* (ש), quae itidem secunda est litera numerando a fine et retrograde, eademque ratione ponendo literam *Lamed* (ל) quae ordine duodecima in Alphabeto est incipiendo ab eius initio, in locum literae *Caph* (ך) quae itidem duodecima est instituta numeratione retrograda a fine. Quod Ieremiam S. Hieronymus eo docet consilio fecisse, ut cum prophetando regibus omnibus aliarum nationum calicem furoris Domini propinavisset; deinde propinando ad regem etiam Babyloniae venisset; hoc de Babyloniae rege occultius, atque tectius facere voluerit, ne qui tum obsessurus erat Iudaeam, Iudaeosque in captivitatem erat ducturus, illius iram magis accenderet in eosdem Iudaeos.

XIX.

Patrum auctoritas in Scripturae S. Interpretatione.

Reliquum est, ut quid de Patrum, Interpretumque, qui in Scripturam Sacram, lucubrationes suas fecerunt, tenendum sit, breviter dicam. Ut in rebus fidei generatim omnibus, ita hic quoque in Scripturae intelligentia, reperiendoque germano illius sensu eorum, qui propius ad Apostolica tempora accesserunt, viciniores que ad Revelationis fontem ipsum Christum fuerunt, atque Patrum anctoritas, per quorum manus depositum fidei, quod Apostoli Ecclesiis, in quibus praedicaverunt, commiserunt, ad nos pervenit; habuit semper gra-

vissimum pondus in eadem Catholica Ecclesia. Nec Catholico Theologo fas est contra unanimem, et concordem Patrum consensionem Scripturam aliter interpretari. Etiam ii, qui Augustanam, et Helveticam Confessionem sectantur; amant Patrum pro se auctoritate uti in Scripturae documentis ad sua dogmata adcommodandis; et sicubi vel in uno aliquid se putent reperisse, quod illis videtur favere; dici non potest, quantum illud sit tripudium, quantaque quasi iam patratae victoriae adversus Catholicos declamatio. Ubi vero Catholici pro se contra illos Traditionem allegant, et Patres, quantocunque numero et phalange; tamen tum omnes istos nihil valere volunt, et quam sequantur, solam se iactant habere Scripturam. Hanc vero rursus, ubi etiam clarissime contra illos loquitur; suis interpretatiunculis eo, quo propositum habent, detorquent. Et tamen, dum omnia se secundum Scripturam credere profitentur, propterea que specioso nomine Evangelicos, et Reformatos, tanquam ad veterem Religionis integritatem, se vocant; est fucus iste tantum illius, quod de se profitentur Evangelii. Quod ipsa res deinde, cum illa loca, quae inter nos, atque illos sunt controversa, trutinabuntur, declarabit. Est vero Patrum interpreti Scripturae duplex usus: primo ad investigandum sensum; secundo,

si quando varietas existit lectionis in Scripturae exemplaribus, ad diiudicandum, quaenam lectio reliquis sit anteferenda. Nam tali casu illa habetur lectio sincerior, quae in antiquis deprehenditur Patribus. Ille prior usus dogmaticus, alter criticus solet adpellari. Cum vero duplicis generis Scripta Patrum sint, in quorum altero dedita opera, et presse fidei doctrinam exponunt, Scripturaeque sensum explanant; in altero ex Scripturae documentis ad mores eorum, quos docebant, quidquid poterant, derivabant, latius ex Scripturae loco, quem tractabant, consequentias deducendo; intelligitur illas Patrum lucubrationes esse istis alteris ad confirmanda dogmata, veritatesque Scripturae potiores.

XX.

Variantes lectiones.

Ex hoc vero, quod modo dictum est de Patrum critico usu illud quoque deducitur, in Scriptura quoad illius lectionem solere esse aliquas discrepantias. Hae variantes lectiones vulgo solent adpellari. In his ex Collatione Scripturae fontium cum Translationibus, atque versionibus, Patrumque Commentariis, quonam modo illi Scripturam eamdem legerint; id debeat adhibito iudicio, et circumspectione anteferri; quod et illius loci contextui conformius est; et quod antiquitate, sinceritateque manuscriptorum atque editionum, et Patrum lectione in illorum commentariis magis com-

probatur. Recta autem lectione constituta, atque reperto vero, legitimoque Scripturae sensu, perspicitur nihil uspiam posse esse in Scriptura, quod non inter se semper esset aptum, et consentiens propter Divinam illius auctoritatem, neque esse posse aliquam usquiam veram contradictionem, dictorumque repugnantiam, esseque proinde, quae in Scriptura sibi videntur contraria, adparentes tantum antilogias, et oppositiones, quae inde existant, quod ad verum sensum Interpres non pertigerit. De his conciliandis inter se antilogiis multa solent praecipi in Hermeneutica. Quod ego superfluum esse iudico. Nam propositis rectae interpretationis regulis, ac deprehenso legitimo Scripturae sensu una etiam sponte antilogiarum nodi dissolvuntur. Sed tamen Interpres modestus, atque verecundus esse debet; ne dum ipse sibi plaudit pervenisse se ad verum Scripturae sensum; suum iudicium statim certum, atque indubitatum putet, si praesertim ab aliis interpretibus dissentiat, et difficultas, obscuritasque cuiuspiam loci nondum ab Ecclesia diiudicata sit. In interpretanda Scriptura, idem quod in disputatione de fidei dogmatibus, est tenendum. Ecclesiae utrobique solius est certum ferre iudicium, quae errare non possit. *Ego vero*, inquiebat S. Augustinus contra Epist. Fundamenti, *Evangelio non crederem, nisi*

Auctoritas Ecclesiae in definiendo Scripturae sensu.

me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas. Si in humanis, vulgaribusque, atque in quotidiano usu positis rebus, quarum tota cognitio vel a sensibus, vel a sola ratione pendet, tam saepe veri similitudine decipimur, etiam cum solerter, et ingeniose rem aliquam nos deprehendisse putamus; quanto ergo minus praesumere hoc aliquis, si prudens est, potest in rebus Divinis, atque a sensibus abstractis, quaeque totae pendent a Revelatione? Hominum ex Augustana, Helveticaque Confessione haec insolentia est, ut quod in definiendo Scripturae sensu ius abiudicarunt toti Ecclesiae; id non tantum tribuerunt Luthero, Calvino, aliisque, a quibus suam reformationem acceperunt; sed privatim suorum cuique, quicumque Scripturam apud eos legit. Quasi, si ipsorum iudicio tota in interpretanda Scriptura errare potest Ecclesia; id non magis illos iudicare oportuisset de uno, alterove homulo, ne sese abripi post illos paterentur. Interpretis igitur, atque Theologi idem in Scriptura, quod Causidici, ac Iurisconsulti in foro, atque interpretatione civilium legum debet esse munus, et officium. Discutere ipsius est, atque quaerere, mentemque suam proponere, et quasi lumen iudicibus praeferre; sed sententiam illius ferre non est.

INTERPRETATIO
SACRAE SCRIPTVRAE.

LIBER GENESIS.

PRAEFATIO.

Liber totius sacrae Scripturae omnium primus, et antiquissimus est Genesis, qui Graece sic adpellatur, quod in eo mundi generatio, rerumque omnium productio describatur. Hebraei illum a prima voce, qua incipit, *Beresith* adpellant. Moyses est illius Scriptor, qui etiam alios quatuor, qui proxime sequuntur, scripsit: et qui quinque Libri coniunctim Pentateuchus Graeco vocabulo dicuntur. Genesim Moyses, quo adcurate tempore scripserit, certum plane non est. Sed veri similius est fecisse ipsum hoc, quando post eductum ex Aegypto Israeliticum populum in deserto iussu Dei ipsius formabat Religionem, et statum politicum. Nam, cum et leges, quas a Deo acceperat, et Religionis caerimonias, atque res cum populo gestas literis consignaturus esset; necessarium ei fuit, ne historiam mancam, atque imperfectam relinqueret; originem ipsam Israelitici populi exponere,

narrationemque altius repere. Abrahami praesertim memoria non erat illi praetereunda: cui Israeliticus populus in acceptis deberet illos singulares Dei favores, quibus in peculiarem Dei populum fuerat adoptatus, et in quo populo Deo constituere placuit illa, et peragere, quibus praesignificarentur ea, quae pertinebant ad Christum, et quae propterea etiam Divino consilio literis consignata sunt per Moysem, ut inde a lege Veteris Testamenti testimonium acciperet Evangelium Iesu Christi. Quae eadem ratio non minus valere debebat; ut ipsum etiam exordium mundi atque primi hominis ortum exponeret, non tantum ut de vera illius utriusque origine certos faceret Israelitas, quae tum ubique per mundum, cum nationes omnes defluxissent ad idololatriam, falsis narrationibus superstitiose corrumpebatur; verum etiam, quod, si de rebus sui populi, quibus praefigurabatur Christus, voluit narrationem instituere; hoc multo magis fuerit ei faciendum de primo homine Adamo. In quo, eiusque transgressione tota vertebatur causa Christi. Quemadmodum etiam S. Paulus inter primum hominem, et Christum antithesim instituit: *Factus est*, inquit *primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem - - - primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis.* 1. Cor. 15. v. 45. Facto igitur initio narrationis suae a creatione mundi, et a primo homine, Moyses rem perducere voluit ad Veteris Testamenti sanctionem, totamque illius

constitutionem. Quod deinde reliquis suis libris persequitur, et absolvit. In hoc autem Geneseos libro a principio creati mundi historiam producit usque ad obitum Ioseph filii Iacobi, complectiturque annorum 2369. spatium. Argumentum huius libri est historicum, si pauca quaedam praecepta Adamo in paradiso, Noemo, Abrahamoque data excipiantur. Genesis haec, itemque alii omnes Veteris Testamenti libri, si pauci aliquot Deuterocanonici excipiantur, quod suis locis adnotabitur, scripti omnes sunt Hebraice.

SYNOPSIS
LIBRI GENESEOS.

Deus in principio creavit caelum, et terram, idque dierum sex spatio; ita, ut prima die lucem, alera firmamentum, tertia post factam separationem aquarum a terra herbas omnis generis, et plantas; quarta solem, lunam, et stellas; quinta pisces, et aves; sexta quadrupedes, repentesque animantes, ipsumque denique hominem, atque hunc ad imaginem suam produxerit. *Cap.* 2. Die septima Deus requievit a condendo novo opere. Hominem Deus collocavit in paradiso. Ubi ei concessum fuit omnibus aliis fructibus ad cibum uti, excepta sola arbore scientiae boni, et mali. Imponit Adam nomina animantibus, et ex eius latere, dicitur, quomodo educta sit Heva. *Cap.* 3. Serpens Hevam inducit ad comedendum fructum ex vetita arbore. Hevae svasione idem quoque facit Adam. Quam ob rem ambo expelluntur a Paradiso, et cum aliis poenis, tum morti subiiciuntur. *Cap.* 4. Adam ex Heva Cainum suscipit, deinde Abelem filios. Ille agricola, iste pastor ovium fuerat. Uterque sacrificium offert Deo. Sed, quod ad Abelis sacrificium Deus respexerit, non vero ad Caini; iste Abelem fratrem interficit. *Cap.* 5. Deducitur genus Adami primum ad aliquam distantiam per Cainum, deinde

per Seth, quem Abelis loco Adam susceperat, usque ad Noe. *Cap.* 6. Homines multiplicantur, simulque flagitiis corrumpuntur. Quam ob rem edicit Deus se diluvio puniturum totum orbem. Solus Noe invenit gratiam, quem Deus iubet struere arcam. *Cap.* 7. Hanc ipse ingressus est, et una tres ipsius filii: Sem, Cham, et Iaphet, et istorum, Noeque uxor. Item animalia omnis generis, ex mundis septena, ex immundis bina. Fit diluvium, quo delentur omnia, quae vivebant super terram, et quae erant, extra arcam. *Cap.* 8. Decrescentibus vero rursus aquis, arcaque consistente in montibus Armeniae, iussus exire a Deo Noe ex arca offert sacrificium. Deus promittit se non amplius tali plaga percussurum totum mundum. *Cap.* 9. Accipit Noe facultatem a Deo utendi animalium carnibus ad cibum citra tamen sangvinem: iubetque Deus interfici omnem, quicumque humanum sangvinem effunderet; iridem vero signum sui foederis cum humano genere in caelo constituit de non amplius delendo mundo aquis diluvii. Noe plantat vineam, vinoque inebriatus cum fuisset, et denudatus dormivisset, eumque Cham iunior filius indecore adspexisset; maledictionem a patre tulit: Semo autem et Iapheto, qui eum averso vultu contexerant, benedixit. *Cap.* 10. Describitur propagatio generis humani per Noemi eosdem tres filios, quaeque nationes ex his singulis ortae, et propagatae sint. *Cap.* 11. Aedificatur turris Babel, fit lingvarum confusio. Enarratur Semi genealogia usque

ad Abrahamum. *Cap.* 12. Abraham eductus a patre suo Thare primum ex Ur Chaldaeorum, quae illius erat patria in Haran, inde iubetur ire in regionem Chanaan: ubi peregrinatione instituta ob famem, quae ibi esse coeperat, se contulit in Aegyptum. Quo cum venisset a Pharaone ipsi erepta est Sara uxor, sed quam restituit plagis admonitus a Deo. *Cap.* 13. Abraham ex Aegypto reversus in Chananaeam habitat in Bethel una cum Loth fratris filio. Exoritur iurgium inter Abrahae, et Lothi pastores. Quare ab invicem separantur, Lothque sibi pro domicilio Sodomam eligit, cuius incolae pessimi erant homines: Abraham se transfert ad convallem Mambre. *Cap.* 14. Chodorlahomor rex Elamitarum cum tribus aliis sibi confoederatis regibus bellum infert Sodomae, finitimarumque quatuor civitatum regibus: cumque eos vicisset captivum etiam secum abducit Lothum. Hostes cum Abraham persecutus fuisset, atque illis cladem attulisset, Lothumque recuperavisset, ei revertenti ex praelio obviam processit Melchisedech rex Salem, oblatoque pane, et vino ei benedixit. *Cap.* 15. Abrahamo, qui adhuc prolibus caruerat, promittit Deus haeredem. Offert Deo Abraham sacrificium, cum quo Deus foedus facit de danda illi terra Chanaan. *Cap.* 16. Agarem sibi deinde ancillam copulat: quae cum concepisset, et Saram propterea dominam suam despexisset, atque ab illa vicissim afflicta esset, et propterea fugam inivisset, monita autem ab angelo reversa fuisset; peperit deinde Ismaelem. *Cap.* 17.

Abrahae, et Sarae commutat Deus nomina, cum ille ante Abram, ista Sarai fuisset vocata, traditque ei legem circumcisionis, atque insuper ex Sara uxore promittit ipsi filium. *Cap.* 18. Abrahamus hospitio exceptis tribus angelis ab his rursus confirmatur de filio ex uxore Sara. Duo deinde ex his angeli Sodomam pergunt. Tertius vero cum Abrahamo consistens de imminente Sodomae excidio certiorem eum facit, atque in persona Dei cum eo locutus illius precibus daturum se dicit, ut Sodomae, et finitimis civitatibis parcat, si saltem decem iusti essent in illis reperti. *Cap.* 19. Duo angeli Sodomam profecti altera die mane educunt ex civitate Lothum, illiusque uxorem, et duas filias. Ignis de caelo delapsus consumit Sodomam, Gomorrham, et duas praeterea civitates. Lothi uxor transgressa in itinere praeceptum angeli, ne respiceret, in salis statuam versa est. Lothum duae eius filiae vino consopiunt, et cum eo concumbunt. *Cap.* 20. Abrahae in Geraris peregrinanti rursus uxor eripitur ab Abimelecho illius loci rege; iterumque eam recipit per plagas Divinitus admonito Abimelecho. *Cap.* 21. Sara ex Abrahamo suscipit, et parit Isaacum: Abraham ex domo, Sarae postulatu, exigit Agarem cum Ismaele: qui cum adolevisset habitavit in deserto Pharan. Abimelech foedus init cum Abrahamo. *Cap.* 22. Iubetur Abraham immolare filium suum Isaac. Sed cum iam extentum habuisset brachium ad infligendum filio ictum; iussus est retrahere manum, atque in filii locum im-

molare arietem, et quod obedivisset; promittit illi Deus, quod in semine illius benedicendae sint omnes gentes. *Cap.* 23. Moritur Sara aetatis anno centesimo vigesimo septimo, eam Abraham in spelunca, quam ab Ephrone Hethaeo emit, sepelit in Hebron. *Cap.* 24. Servum deinde suum in Mesopotamiam mittit ad accipiendam inde uxorem Isaaco. Is ei adducit Rebeccam. *Cap.* 25. Abraham quoque Ceturam ducit uxorem, ex qua plures suscipit filios, et cum centum septvaginta quinque annos vixisset, mortuus est: quem in sepulchro Sarae sepeliunt Isaac, et Ismael. Progenies deinde Ismaelis enarratur, illiusque etiam mors. Isaaco sexagenario nascuntur ex Rebecca uno partu Esau, et Iacob. Qui cum adolevissent, atque Esau ex venatione defatigatus domum venisset; Iacobo fratri pro pulmento ex lentibus primogenituram suam vendidit. *Cap.* 26. Isaac peregrinatur in Geraris propter famem, cui Deus promissiones, quas Abrahae fecerat, confirmat. Cum Palaestinis propter puteos habet controversiam. Tandem Abimelech Palaestinorum rex cum eo init foedus. *Cap.* 27. Isaac iam senex, et caligantibus iam oculis propter senectutem, cum benedicere Esavo voluisset, prius tamen cibos sibi ab illo ex venatione afferri petiisset; Iacobus consilio matris simulans se Esavum, cuius etiam vestes induerat, praeripit fratri Esavo benedictionem. Esau minatur se occisurum Iacobum. Rebecca Iacobo consilium dat eundi in Mesopotamiam, ut se fratris irae subducat. *Cap.* 28. Ia-

cob accepta iterum a Patre benedictione, et mandato, ut sibi ex Mesopotamia peteret uxorem, eo proficiscitur. In eo itinere noctu in somno vidit scalam protensam usque in caelum, et per eam adscendentes, desendentesque angelos, atque illi scalae innixum Deum, qui promissiones Abrahae ante factas ei quoque confirmavit. *Cap.* 29. Adventu suo in Haran a Labano avunculo benevole excipitur. Cui Septem annis servit pascendo ipsius greges, ut Rachel filiam ipsius accipiat uxorem. Cum vero Laban Liam, alteram suam filiam, ei fraudulenter substituisset; Rachelem ipsi etiam deinde dedit, cum se obligavisset, serviturum pro ea aliis adhuc annis septem. Iacob ex Lia quatuor suscipit filios: Ruben, Simeon, Levi, et Iudam. *Cap.* 30. Rachel cum infoecunda esset, famulam suam Balam Iacobo tradit uxorem: quae filios progenuit duos Dan, et Nephtali: tum ex Zelpha Liae famula filios etiam suscipit Gad, et Aser, iterumque ex ipsa Lia Issacharem, et Zabulon, et filiam nomine Dinam. Tum Rachel quoque filium ei edidit Ioseph. Mercedis causa, cum ultra adhuc Iacob Labano serviret, et quod varii coloris erat, in gregibus sibi dari postulavisset, Labanque consensisset, illeque decorticatas virgas in canalibus, unde greges bibebant, posuisset; multitudine gregum ditatus est supra modum. *Cap* 31. Infensum cum sibi propterea vidisset Labanum, illiusque fraudem esset expertus, evocatis in agrum Lia, et Rachel uxoribus clam, et inscio Labano socero suo proficiscitur domum. Laban il-

lum persequitur, atque die septimo in monte Galaad cum esset assecutus, expostulavissetque cum eo: deinde foedus ineunt, et sibi valedicunt. *Cap.* 32. Iacob iter suum prosecutus obviam habet angelos; mittit nuncios, et munera ad Esau, luctatur cum angelo, ab occurrente sibi Esavo amanter excipitur. *Cap.* 33. Primumque in Socoth figit habitationem post reditum, deinde vero transfert se in urbem Sichimorum Salem, et prope eam in agro, quem emit, habitat. *Cap.* 34. Dinam filiam Iacobi violat Sichem, filius Hemor, qui principatum in illa urbe tenebat. Cuius etiam connubio, ut potiri possit, non tantum ipse, sed omnes Sichimitae circumcisionem suscipiunt: cuius occasione usi Simeon, et Levi fratres Dinae Sichemitas interficiunt, urbemque depopulantur. *Cap.* 35. Iacob iussu Dei pergit habitatum ad Bethel: confirmantur ei rursus Divinae promissiones, Israelque deinceps vocari iubetur. Inde cum esset profectus, in itinere Ephratam versus moritur Rachel in puerperio: cum esset enixa Benjaminum. Ruben incestum admittit cum Bala. Isaacum centesimo, et octogesimo aetatis anno mortuum sepeliunt Iacob, et Esau filii. *Cap.* 36. Describitur progenies Esau, et profecta ab eo Idumaeorum origo. *Cap.* 37. Iosephum fratres, quod illorum aliquod crimen patri detulisset, somniaque de futura sua magnitudine, quae viderat, enarravisset: meditantur occidere: interventu vero Rubeni demissus cum fuisset in cisternam, aqua vacuam, venditur postea ab iisdem suis fratribus

bus Madianitis mercatoribus, et deportatur in Aegyptum: ab his Putiphar illum emit Pharaonis magister militum. *Cap.* 38. Iudae prognati sunt filii tres ex Chananaea uxore: Her, Onan, et Sella. Her duxit uxorem Thamar. Eo mortuo sine liberis, cum eius fratrem Onan pater ad Thamar iussisset accedere procreandorum liberorum causa nomine defuncti fratris, atque ille hoc praepostere instituisset, ne illa conciperet, morte punitus est a Deo. Thamari promissus fuit Sella: sed eius cum nondum satis esset aetas adulta; illa interim missa est in paternam domum. Cum vero promisso suo eam frustratus fuisset socer; illa simulato vestitu, occultatoque vultu in itinere consedit, quo sciebat Iudam iturum ad tondendas oves. Qui cum eam non agnovisset, meretricemque reputavisset, inscius cum nuru sua concubuit promisso hoedo, cuius interim loco illa ipsius baculum, annulum, et armillam pignoris loco accepit, atque cum his rebus se domum iterum recepit. Utero crescente parabat Iudas illam plectere, ignique cremare; cum illa prolato pignore ipsum Iudam socerum suum criminis complicem demonstravit. Duos deinde ex hoc incestu filios procreavit Phares, et Zaram. *Cap.* 39. Iosephum Putiphar in Aegypto praefecerat toti reliquae suae familiae. Eius uxor illum pertrahere fuit conata ad libidinem. Cumque is ex illius m. .ibus relicto etiam pallio se eripuisset; illa Iosephum accusavit falso hoc eodem crimine. Quamobrem a Putiphare coniectus est in carcerem. *Cap.* 40. Apud carceris prae-

fectum autem iniit gratiam, qui ei curam commisit captivorum omnium. Tali statu pincernae, et pistori regio missis in eosdem carceres explicuit somnia; cui explicationi eventus respondit altero restituto ad officii gradum pristinum, altero suspenso in patibulo. *Cap.* 41. Cum Pharao quoque rex Aegypti somniavisset, et ad illa interpretanda Ioseph ex carcere adductus fuisset, atque is ex illis somniis fertilitatem septem annorum primo, ac deinde successuram totidem annorum sterilitatem praedixisset; proregis dignitate ipsum rex exornavit, eique Asenethem filiam Putipharis sacerdotis dedit uxorem. Adventu ubertatis, quam praedixerat, frumenta deinde recondidit in horrea. Uxor autem ei duos filios genuit Manassen, et Ephraim. Ubi vero successit sterilitas, conveniunt undique in Aegyptum emendi frumenti gratia. *Cap.* 42. Iacob quoque eo mittit suos filios hac de causa solo domi apud se retento Benjamino. Hos ad speciem duriter excepit Ioseph. Frumentum cum deinde illis dedisset, pecunias quoque, quas attulerant, reponi illis clam ad saccos iubet. Simeonem autem unum ex illis retinet velut obsidem, non esse ipsos exploratores, quo illos nomine ad speciem incusaverat: et, si fratrem suum vellent recipere, aut si rursus frumenti emendi vellent facultatem habere, iubentur Benjaminum secum adducere. *Cap.* 43. Consumpto frumento aegre adduci potest Iacob, ut Benjaminum a se una cum reliquis dimittat in Aegyptum. Eos benevole complectitur Ioseph, liberum etiam

dimittit Simeonem, etiam convivio ipsos excipit. *Cap.* 44. Repletis iterum eorum saccis frumento, scyphum quoque suum Ioseph curat occulte imponendum in saccum Benjamini, cumque profecti essent, ex itinere sunt reducti, tanquam furti rei. Benjaminum, apud quem Scyphus fuerat repertus, simulat Ioseph quasi in servitute apud se sit retenturus. Intercedit Iudas, seque in locum Benjamini offert Iosepho. *Cap.* 45. Tum vero is non se valens ultra tenere agnoscendum se dat fratribus. Pharaonis iussu mittuntur deinde currus, et iumenta ad Iacobum, totamque illius familiam devehendam in Aegyptum. Tanquam, si ex profundo somnio evigilavisset, ita ad hunc nuncium revixit spiritus Iacob, neque nisi viso omni adparatu, qui missus fuerat, induci ad credendum potuit. *Cap.* 46. Iacob profectus, cum ad locum, qui Bersabee dictus est, venisset, victimasque Deo obtulisset, adparuit ei Deus, a quo confirmatur ad proficiscendum in Aegyptum. Recensetur tota Iacobi familia, et stirps, quae cum illo venit in Aegyptum; animae universim sex, et sexaginta. Patri suo Ioseph obviam venit in terra Gessen: quo amplexato instruit fratres, quo modo illos loqui coram Pharaone oporteat, ut terram Gessen ad habitandum ab eo accipiant. *Cap.* 47. Quosdam de suis fratribus Ioseph introducit ad Pharaonem, deinde etiam Patrem. Ab Aegyptiis cum illos defecisset pecunia pecora primum accipit pro frumento, quod illis dabat; ubi autem pecora quoque iam illos defecissent, tum eorum pos-

sessiones, et agros occupat, regique subiicit exceptis tamen sacerdotum fundis, quod istis a rege praeberetur annona. Iosephum adiurat Iacob, ut eum mortuum sepulturae causa in Chananaeam devehendum curet. *Cap.* 48. Benedicit deinde moriturus duobus Iosephi filiis Manassi, et Ephraim, illosque sibi adoptat. *Cap.* 49. Convocatis demum omnibus filiis extremum illos alloquitur, futuraque illis praedicit. *Cap.* 50. Mortuus fertur in terram Chanaan, ibique sepelitur, in eodem sepulchro cum Abrahamo, et Isaaco. Ioseph deinde fratrum suorum animos perculsos, qui in metu erant, ne is fortasse defuncto parente iniurias sibi ab illis illatas ulcisceretur, solatur, et erigit. Post quinquaginta annos ipse etiam moritur, cum et instantem iis in Aegypto calamitatem, et liberationem ex ea praedixisset, iisdemque praecepisset, ut ossa eius etiam secum ferrent, quando ex Aegypto demigraturi sunt in Chananaeam.

GENESIS.

CAPVT I.

Caeli, et terrae creatio, atque ipsius hominis productio.

IN principio creavit Deus caelum, et terram. Principium Hebraice est *Reschith.* (וְאשִׁית) Quod proprie, et vi sua rei alicuius caput, atque initium significat. Quamobrem Arabs hoc sic vertit: *Primum, quod creavit Deus, fuit caelum, et terra.* Ex quo sensus iste efficitur: nihil creatarum rerum ante exstitisse, quam caelum, et terra creata fuissent. „Literae sacrae, ait S. Augustinus l. 11. de Civ. „Dei Cap. 6. ita dicunt in principio Deum fecisse „caelum, et terram, ut nihil ante fecisse intelligatur; quia hoc potius in principio fecisse diceretur; si quid fecisset ante cetera cuncta, quae fe„cit.“ Quare Proverbiorum Cap. 8. 22. sic etiam de Dei Sapientia sermo est, ut illa se dicat ante fuisse, quam res ulla per productionem facta sit. „Dominus possedit me, inquit, in initio viarum „suarum, antequam quidquam faceret a principio.“ Quod enim factum est, consequens est non fuisse, antequam factum esset. Omnia ergo, quae existunt, praeter Deum, aliquando non fuerunt, existendique initium acceperunt.

Sed non capiunt humanae rationes, quomodo res, quae non fuerunt, capere existentiam potuerint. Itaque iam antiquorum philosophorum istud axioma fuit: ex nihilo nihil fieri, iidemque propterea materiam aliquam statuerunt fuisse aeternam, ex qua vel opificio Dei, aut ipsius etiam naturae aliqua naturali vi productio istarum rerum omnium in mundo facta sit. Hocque idem principium tenuerunt haeretici plures primis Ecclesiae seculis, ut Manichaei, Marcionitae, Valentiniani, atque nunc illi, qui se nostra aetate haberi philosophos sapientissimos volunt, dum repudiata, et excussa Religione nihil aliud volunt tenere, quam quod ipsi ingenio, et ratione sua comprehendunt. Adversus istorum rationes, qui si vel se ipsos noscerent; viderent profecto distantiam inter se, et Deum, nec ab humana mente, quae finita, terminisque circumscripta est, infinitum, quod in actione Dei fuit, qua mundum e nihilo produxit, comprehendi posse; quod si comprehendi humano ingenio posset, iam Divinum, et infinitum non esset, adversus istos, inquam, Manichaeos autem, et alios, quos dixi, haereticos nominatim perstringit, sic iam olim disputavit S. Chrysostomus Homil. 1. in Gen. „At „quomodo, inquit, ex nihilo fieri quid possit? „(adversarium sic inducit opponentem, deindeque „respondet) Tu vero mihi dicas, quomodo ex prius „existentibus fieri quid possit? Nam, quod ex non „existentibus terra facta sit, ego credo, tu autem „dubitas: quod autem ex terra factus sit homo,

„ambo confitemur. Dic igitur illud, quod in con-
„fesso, et facilius est, quomodo ex terra facta sit
„carnis natura. Ex terra enim lutum, later, vas
„fictile, et testa fieri solet. Carnem vero ex terra
„factam nemo unquam viderit. Quomodo igitur fa-
„cta est carnis natura? quomodo ossa efformata
„sunt? quomodo nervi, et arteriae? quomodo mem-
„branae, adeps, carnes, cutis, ungves, capilli, et
„tanta diversitas variarum substantiarum ex una sub-
„iacente terra? Verum haec dicere minime pos-
„sis. Quomodo ergo absurdum non fuerit eum,
„qui id, quod clarius, et facilius est, ignorat,
„difficiliora, et arcana scrutari? Vis? te adhuc
„ad faciliora ducam, quae quotidie fieri solent?
„Attamen, nec de his quidem rationem reddes.
„Panem quotidie comedimus. Quomodo igitur,
„quaeso, panis ipsa natura in sanguinem vertitur,
„in pituitam, in bilem, et in reliquos humores?
„Nam panis quidem densus, durusque est, san-
„gvis vero mollis, et fluidus; panis vel candidus,
„vel frumenti colore, sanguis ruber, et niger. Ce-
„terarum item qualitatum differentiam si quis per-
„sequatur, multum inveniet panem inter, et san-
„gvinem discrimen. Quomodo igitur haec fiant,
„rationem reddas velim. Sed numquam possis.
„Ergone tu, qui cibi quotidie immutati rationem
„reddere nequis, a Deo peractae creationis ratio-
„nes a me repetes? An non hoc extremae demen-
„tiae fuerit? Si nostri similis est Deus, rationem
„exige operum. Imo, ne id quidem concedatur.

„Multa quippe humana certe facta, qui fiant, di-
„cere non possumus: exempli causa, quomodo ex
„metallica terra aurum fiat, quomodo arena in vi-
„tri puritatem mutetur, multoque plura dici pos-
„sent humano artificio facta, quorum rationem
„ignoramus. Verum tamen, si nostri similis sit
„Deus, per me licet, rationem repetas; sin im-
„menso spatio a nobis distat, et supra modum
„antecellit, an non extremae fuerit insaniae eos,
„qui immensam illius sapientiam, et virtutem
„(Graece δύναμιν potentiam) confitentur, eamque
„Divinam, et incomprehensibilem, quasi de hu-
„mana quadam arte, sic per singula factorum ra-
„tionem expetere? *In principio fecit Deus cae-*
„*lum, et terram.* Super illud fundamentum sta, ne
„quis te humanarum cogitationum fluctus moveat."

S. Augustinus l. 1. de Gen. ad Lit. S. Ambrosius l. 1. Hexameron, et plures Patres in isto Geneseos loco Principii nomine Dei Filium et Christum intelligunt, quasi nimirum sic esset: Per Filium, vel per Christum creavit Deus caelum et terram. Nam praepositionem *in* loco *per* usurpari in Scriptura insvetum prorsus non est: hucque illos istud deduxit, quod apud Ioannem Cap. 1. v. 3. de Verbo sit: „Omnia per Ipsum facta sunt, et „sine Ipso factum est nihil" et quod se apud eumdem Ioannem Cap. 8. v. 25. Christus Principium nominaverit: „Principium, qui et loquor vobis." Non est contraria haec priori interpretationi: illa autem tantum planior est, quod proprietatem se-

quatur vocabuli: *principium.* Nam illud proprie initium significat. Tropice autem nonnisi, ponendo causam efficientem pro effectu, tribuitur Christo, quod ipse ortum, atque existendi initium rebus omnibus dederit.

Caelum, quod in principio est creatum, est ille locus, qui beatis est destinatus. Quare de eo Christus dicit: „ Possidete paratum vobis regnum „ a constitutione mundi.“ Matth. 25. v. 34. Nam caelum tam aereum, in quo volucres caeli degunt, quam sidereum est tantum postea, ut subsequetur, productum. Cum caelo autem non incongrue intelliguntur creati esse ipsi etiam angeli. Neque enim nisi creaturis locus a Deo conditur. Ipse enim Deus nullo loco comprehenditur. S. Ambrosius l. 1. Hexam. S. Gregorius Naz. serm. de Natali, et plures Patres senserunt angelos aliquanto ante hunc mundum esse conditos. S. Augustinus autem l. 11. de Civ. Dei Cap. 32. libertatem permittit sentiendi hac de re in utramque partem pro unius cuiusque arbitrio: „ Ut volet, inquit, quisque accipiat, „ dum tamen angelos sanctos in sublimibus sedibus „ non quidem Deo coaeternos, sed tamen de sua „ sempiterna, et vera felicitate securos, et cer- „ tos esse nemo ambigat. “ Concilium autem generale Lateranense IV. sic pronunciat: „ Creator „ omnium invisibilium, et visibilium, spiritualium, „ et corporalium sua omnipotente virtute simul ab „ initio temporis utramque de nihilo condidit crea- „ turam: spiritualem, et corporalem, angelicam

„videlicet, et mundanam.“ Nec tamen isto Concilii decreto Patrum illam esse aliqua ratione perstrictam sententiam docet Thomas Caietanus, et post eum Sixtus Senensis Bibliothecae Sanctae l. 5. Fuisse nimirum Concilii Lateranensis propositum refellere tantum, et damnare illum errorem eorum, qui dicerent spirituales substantias omnes esse primo sic a Deo conditas; ut in isto statu sine corporibus persisterent, ac deinde tantum postquam peccavissent, perque occasionem istius eorum peccati facta quoque esse corpora, in quae veluti in carcerem detruderentur. Quae proinde Concilii definitio tantum eo spectet; ut doceat in creandis spiritualibus substantiis fuisse Dei intentionem; ut has, quae modo corporibus copulatae sunt spirituales substantiae, et hominum animae, statim tunc Deus in illarum productione coniunxerit cum corporibus; non vero tantum postea corpora illis addiderit; esseque alias quidem spirituales substantias, angelos videlicet sic creatos, ut numquam veniant ad corpora; alias autem spirituales substantias, unde animae constant nostrae, numquam aliter esse a Deo factas, quam, ut copulatae existant corporibus, ac proinde Origenis tantum, et illius sequacium explosum esse errorem, qui vellent hominum animas esse caelestes substantias, quae in corpora non venissent, nisi peccavissent.

Nec tamen Moyses angelorum productionem aperte meminit, non quidem ideo ne illorum commemoratione Iudaei sua ingenii ruditate in ipsorum

admirationem abrepti Divinis illos honoribus afficerent; nam hoc eos magis, si aperte dixisset angelos esse creatos, ab hoc errore revocare potuisset, cum praesertim nihilo minus postea saepe de ipsis mentionem faciat; sed quod Moysis scopus fuerit in descriptione hac sua Creationis res tantum in mundo adspectabiles distincte proponere, ad captum videlicet faciliorem Israelitarum, quibus tum scribebat. „Cur non de angelis, vel de archangelis, ait „S. Chrysostomus Serm. 1. in Gen. loquitur nobis? „Nam, si ex creaturis Creator conspicitur, multo „magis ex illis nosci potuit. Pulchrum est caelum, „sed non ita pulchrum, ut angelus; splendidus sol, „sed non ita splendidus, ut Archangelus. Cur ita„que sublimiore dimissa via per humiliorem nos „ducit? Quia cum Iudaeis loquitur, qui intellectu „minus instructi erant, qui sensibilibus haerebant --- „nec licebat sublimiore via illos ad Creatorem du„cere. Sublimior utique via illa erat, sed asperior, „praerupta, et ardua infirmioribus. Ideo illos per „faciliorem ducit, per caelum, terram, mare, ce„teraque visibilia creata.“ Itaque omisso ulteriore sermone de caelo protinus terrae primam formam describit.

2. *Terra autem erat inanis, et vacua.* Carebat suo scilicet ornatu, nondum vestiebatur arboribus, et plantis, nondum incolebatur ab animantibus. Quare Septvaginta istud adposite omnino, et apte verterunt vocabulis ἀοράτȣ, et ἀκατασκευάστȣ; quae significant fuisse illam informem, et indispo-

sitam. *Et tenebrae erant super faciem abyssi.* Tenebrae non dicuntur esse creatae. Non enim aliud sunt, quam absentia lucis; quas proinde nondum existente luce esse oportuit. Tamen Isaiae 45. v. 7. dicitur Deus formans lucem, et creans tenebras, quia scilicet ipse est, qui dierum, atque noctium producit vicissitudinem. Deinde, ibi apud Isaiam lucis, et tenebrarum nomine prosperae, adversaeque res designantur: quod subsequens ibi oratio declarat. Nam, quam lucem prius, et quas tenebras adpellavit; has deinde e vestigio propriis vocabulis sic explicat: faciens pacem, et creans malum. Abyssus Graecum est vocabulum, et significat ingentem aliquam, et quasi fundo omni carentem profunditatem. Quam ob rem ea voce vulgo etiam maria propter summam illorum altitudinem adpellantur. Quare toti etiam telluri haec tum fuit compellatio data, quando aquae adhuc erant cum terra confusae, atque totam eius superficiem texerant.

Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Habet hoc Hebraica praesertim lingua, ut adiecto vocabulo Dei ad aliquod nomen elevetur illius significatio ad maximam altitudinem: quomodo montes, flumina, cedri Dei, pluraque isto modo solent denominari ad eorum vel magnitudinem, vel praestantiam indicandam. Ad hunc igitur modum Spiritus Dei, qui super aquas ferebatur, intelligi posset, et accipi pro ingenti, et vehementi vento, qui tum flaverit super aquas, quibus tota superficies telluris fuit cooperta, si iam tum ventus fuisset productus.

Nam, cum ventus nihil aliud sit, quam aer concitatus ad motum, et ad fluxum; is vero productus sit tantùm altero creationis inchoatae die, ut est infra versu 7. et 8. ubi firmamenti nomine demonstrabitur designari non aliud, quam hoc aereum caelum, in quo nubes suspenduntur, quique aer toti telluri circumfunditur, continetque sua expansione omnia; flare adhuc tum, quando productus nondum fuit, non potuit. Citra igitur translationem ad significandum tantum magnitudinis altissimum gradum nomen Dei isthic sumendum est proprie pro ipso Deo, illiusque Spiritu, ut hoc ita Patres quoque nominatim S. Ambrosius l. 1. Hexam. S. Augustinus l. 1. de Gen. ad Lit. accipiunt, atque ipsa Ecclesia in suis precibus profitetur, quibus Sabbato sancto utitur ad baptismatis fontem benedicendum. „Deus, dicitur in illis, cuius Spiritus super aquas „inter ipsa mundi primordia ferebatur." „Pro eo, „verba sunt S. Hieronymi in Quaestionibus Hebrai„cis in Gen. quod in nostris Codicibus scriptum „est: *ferebatur*, in Hebraeo habet: *Merepheth*, „quod nos adpellare possumus *incubabat*, sive *con„fovebat* in similitudinem volucris ova calore ani„mantis. Ex quo intelligimus non de Spiritu mun„di dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu „sancto, qui et ipse Vivificator omnium a princi„pio dicitur." Qua de re idem S. Hieronymus in lib. Trad. Hebr. in Gen. „Spiritus Dei, inquit, su„per aquas ferebatur, et nascentem mundum in „figura baptismi parturiebat." Ut enim ex aquis,

super quas tum Spiritus Dei ferebatur, producta sunt in mundo omnia; ita ex superveniente Spiritu sancto super aquas baptismi foecundatur, et multiplicatur Ecclesia.

3. *Dixitque Deus: fiat lux, et facta est lux.* Deus solo suo imperio produxit universa. „Quia „ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et crea-„ta sunt." Psal. 148. v. 4. 4. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris*, nempe interponendo dierum, atque noctium vicissitudinem. Unde sequitur lucem adpellatam esse diem, et tenebras noctem. 5. *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem, factumque est vespere, et mane dies unus.* Vespere, et mane, quod diei, et noctis initium est, positum est pro reliqua totius eiusdem diei duratione. Dies vero unus idem est, qui primus. Nam Hebraei eodem vocabulo *Echad* (אֶחָד) tam numerum, quam ordinem consveverunt exprimere. At vero illud hic habet difficultatem, quomodo dies iam nunc esse potuerit, et nox, cum sol nonnisi postea, et die quarto productus sit. Qua de re S. Augustinus l. 1. de Gen. contra Manichaeos sic disseruit: „Potuisse fieri, „inquit, ut tres superiores dies singuli per tantam „moram temporis computarentur, per quantam mo-„ram circumit sol, ex quo procedit ab Oriente, „quousque rursus ad Orientem revertitur. Hanc „enim moram, et longitudinem temporis possent „sentire homines etiamsi in speluncis habitarent, „ubi orientem, et occidentem solem videre non

„possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram „fieri etiam sine sole, antequam sol factus esset, „atque ipsam moram in illo triduo per dies singu- „los computatam. Hoc ergo responderemus, nisi „nos revocaret, quod ibi dicitur: *et facta est vespe- „ra, et factum est mane*, quod nunc sine solis „cursu videmus fieri non posse. Restat ergo, ut „intelligamus in ipsa etiam mora temporis ipsas „distinctiones operum sic adpellatas, vesperam „propter transactionem consummati operis, et ma- „ne propter inchoationem futuri operis, de simi- „litudine scilicet humanorum operum, quia plerum- „que a mane incipiunt, et ad vesperam desinunt. „Habent enim consvetudinem Divinae Scripturae „de rebus humanis ad Divinas res verba transferre.“ Potuit autem hoc sic etiam accidere, ut lux, quae modo prima die est creata, ad quartum usque diem, donec sol, et reliqua sidera producerentur, circa tellurem motum aliquem talem, conversionemque, qualem postea sol, peregerit, illiusque vices interea obiverit, dierumque, et noctium vicissitudinem effecerit. „Cum enim totam terram adhuc aqua „tegeret, nihil impediebat, ait S. Augustinus de „Gen. ad Lit. l. 1. c. 12. ut ex nna parte face- „ret diem lucis praesentia, ex alia noctem lucis „absentia, quae in eam partem succederet a tempo- „re vespertino, ex qua lux in aliam declinaret.“

6. *Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis.* 7. *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quae*

erant sub firmamento ab his, quae erant super firmamentum. Et factum est ita. 8. *Vocavitque Deus firmamentum caelum: et factum est vespere, et mane dies secundus.* Sidereum caelum firmamenti nomine non potest intelligi, cum sidera quarta tantum die sint producta. Nec sidera supra se aquas habent, in quarum tamen medio positum fuit firmamentum. Aer ergo, qui circumfunditur telluri, et suspensas tenet nubes, mediusque est inter aquas illas superiores in nubibus, et eas, quae sunt in superficie terrae, firmamenti nomine intelligendus venit. Consonat Hebraicum quoque vocabulum *Rakia* (רָקִיעַ) quod vi sua expansum aliquid significat, beneque naturam aeris exprimit. Quare etiam in Psalmo 103. v. 3. cum esset dictum: „Extendens caelum sicut pellem, qui tegis aquis superiora „eius" has deinde easdem aquas supra caelum, sic idem Psaltes clarius explicat: „Qui ponis nubes „adscensum tuum" ut adpareat easdem aquas, quibus caeli superiora tegerentur, esse nubes, ac proinde, quod illis aquis subiacet caelum, esse hoc aereum firmamentum. 9. *Dixit vero Deus: congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, et adpareat arida. Et factum est ita.* 10. *Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum vocavit maria.* Cum Deus nunc primum iusserit in terra adparere aridam; consequens est, totam ad hoc tempus superficiem illius fuisse aquis contectam. Itaque nisi Deus iisdem aquis ita providisset; ut terrae superficie alia se se attollente, alia vero dehiscente

hiscente locum acquirerent, quo defluerent; futurum fuisse, observat S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 1. c. 12. ut aquae ad iussionem Dei montium instar ac cumulare se se debuissent. Quod tamen contra accidit. Ex quo intelligitur, ex isto aquarum defluxu, et commeatione in unum locum simul tum enatos esse montes, atque valles. Neque tamen locus ille, quo aquae convenerunt, cogitari unus tantum debet. Nam, non sic esse hoc factum, ipsi videmus. Sed intelligi debet, sola earum a terra separatio, atque in certis locis, veluti in fluminibus, et maribus consociatio.

Et vidit Deus, quod esset bonum. 11. *Et ait: germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.* S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 5. c. 4. censuit solam tantum foecunditatem, atque vim procreandorum fructuum esse modo inditam a Deo arboribus, et plantis. „Causaliter, inquit, tunc dictum est produxisse terram „herbam, et lignum, id est producendi accepisse „virtutem.“ Sed plantas iam provectas, et arbores simul cum maturis fructibus esse productas versus declarat subsequens: 12. *Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam.* Tanto autem hoc magis cogitandum est, quod animantes mox creandae maturos certe fructus desideraverint,

quibus vescerentur. Elucet ergo hinc admirabilis providentia Dei, qui terram his ante rebus omnibus instruxerit, quae animatis creaturis essent usui, et inprimis, qui hominem loco ultimo condiderit; ut eum, cuius causa reliqua fecerat, in mundum induceret, tanquam in paratam domum. Solet vero hic quaeri, qua anni aetate mundus sit conditus. Altero post istum die sole, luna, ac reliquis sideribus conditis, non est dubitandum; quin totus simul mundus ad praesens systema sit compositus. Est autem quovis anni tempore in tellure relate ad diversas illius partes omnis varietas anni, simulque eodem tempore, quoad diversas plagas est aestas, hiems, et reliquae anni partes. Quod si autem definite, quoad illam terrae partem hoc quaeratur, quam incoluit primus homo; videtur iam annus fuisse provectus propter maturitatem fructuum, et quod Hebraei, Aegyptii, pluresque alii populi annum civilem ab autumno, et a mense Tisri, qui Septembri nostro congruit, consveverint supputare. Tamen S. Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 14. et S. Gregorius Naz. orat. in Nat. Domini ver tunc fuisse tenuerunt permoti illa solum convenientia, quod eodem anni tempore videatur creatus fuisse mundus, quo recreatus est per Christum. Sed quoniam hoc Scriptura non docet, nihil certi definiri potest.

Et vidit Deus, quod esset bonum. 13. *Et factum est vespere, et mane dies tertius.* 14. *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento caeli,*

et dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, 15. *ut luceant in firmamento caeli, et illuminent terram. Et factum est ita.* 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas.* 17. *Et posuit eas in firmamento caeli, ut lucerent super terram,* 18. *et praeessent diei, ac nocti, et dividerent lucem, ac tenebras. Et vidit Deus, quod esset bonum,* 19. *Et factum est vespere, et mane dies quartus.* Luna dicitur luminare magnum, non relate ad stellas; sunt enim hae, ex Astronomorum observatione, multis gradibus illa maiores, sed comparate ad lumen, quod mundo praebet: et qua ministratione luminis luna omnino luminare maius est, quam stellae omnes etiam simul sumptae. Soli, lunae, reliquisque sideribus officium praescribitur; ut dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos. „Non illa, ait S. Augustinus l. 2. de Gen. ad Lit. cap. 14. dicit Scri„ptura signa, quae observare vanitatis est; sed „utique utilia, et huius vitae usibus necessaria, quae „vel nautae observant in gubernando, vel omnes „homines ad praevidendas aeris qualitates, per „aestatem, hiemem, et autumnalem, vernalemque „temperiem.“

20. *Dixit etiam Deus: producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento caeli.* Estius, et quidam alii interpretes censent aves non ex aqua, sed ex terra, sicut

iumenta, et pecudes esse productas, quod in Hebraeo sit: *et avis volet super terram* (וְעוֹצ יְעוֹפֵף עַל־הָאָרֶץ) cuius loco Latinus Interpres posuit: *et volatile super terram sub firmamento.* At licet Hebraeus non ita expressè hoc posuerit, ut Latinus Interpres vertit; tamen quoniam de productione ex aqua sermonem orsus est, atque nonnisi deinde inferius versu 24. distincte de animantibus, quae ex terra producta sint, narrationem instituit; consequens est, ut quas aves dixit iussas esse a Deo volare super terram, eaedem omnino similiter, atque pisces, intelligantur propter tenorem orationis ex aqua productae esse, et prodiisse. Potuerunt tamen aves non ex illa, quae in fluminibus, vel stagnis, et maribus est aqua, esse productae, sed ex illa quae in nubibus est, et aeri innatat, ut ibi haec utraque animantium species intelligatur esse producta, ubi regionem suam ad habitandum accepit. Quam ob rem S. Augustinus de Gen. contra Manich. l. 1. c. 15. „Non itaque immerito, inquit, non solum „pisces, et cetera, quae in aquis sunt animalia, sed „etiam aves de aquis natas esse fidelissima Scriptura „commemorat, quia per istum aerem volare pos„sunt; qui de maris, et terrae humoribus surgit.“

21. *Creavitque Deus cete grandia, et animam viventem, atque motabilem, quam produxerunt aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum.* 22. *Benedixitque eis dicens: crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multipli-*

centur super terram. 23. *Et factum est vespere, et mane dies quintus.* Quandoquidem aqua iam exstiterit, unde cete producta modo sunt, consequitur sive Latinum vocabulum *creare*, sive Hebraicum *bara* (בָּרָא) quod isthic loci est, ubi de cetorum productione sermo est, non vi sua significare productionem ex nihilo. Quo genere argumentandi quidam utuntur ad primum versiculum huius capitis, conantes ex Hebraico vocabulo *bara*, quo ibi etiam Moyses usus est, ostendere caeli et terrae creationem factam esse ex nihilo. Nec hoc eo dico, quasi non haec reapse facta essent ex nihilo, quod et ego ibi demonstravi: sed tantum, quod non sit adcurata haec illorum argumentandi ratio. 24. *Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in genere suo iumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita.* 25. *Et fecit Deus bestias terrae iuxta species suas, et iumenta, et omne reptile terrae in genere suo.* Quasdam tamen animantium species ex commixtione duplicis generis veluti mulum ex equa et asino esse nonnisi postea productas, atque sic animalium species multiplicatas, non incongrue accipitur. Est autem abstrusior quaestio, an illa quoque vermium, et insectorum genera, quae nonnisi in putrescentibus aliis corporibus nascuntur, nullo tum adhuc eorum putrescente, condita iam tunc sint. S. Augustinus de Gen. ad Lit. L. 3. c. 14. ista „quae de „animalium, inquit, gignuntur corporibus, et ma-„xime mortuorum, absurdissimum est dicere tunc

„creata, cum animalia ipsa creata sunt, nisi quia „inerat iam omnibus animatis corporibus vis quae„dam naturalis, et quasi praeseminata, et quo„dam modo liciata (hoc vocabulo intelligitur ta„le aliquid, cuius quasi textura iam inchoata est) „primordia futurorum animalium, quae de cor„ruptionibus talium corporum pro suo quaeque ge„nere, ac differentiis erant exortura per admini„strationem ineffabilem omnia movente incommu„tabili Creatore.“ Recentiores autem philosophi, nihil etiam in putrescente materia volunt enasci, quod non ex ovulis aliunde eo per aerem delatum sit. Sed quoniam haec insecta non nascuntur, nisi in putrescentibus corporibus; quomodo ad illud, quod primum in mundo putruit corpus, aliunde ovula illa perferri potuerunt?

Et vidit Deus, quod esset bonum, 26, *et ait: faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus terrae, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.* 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum, et feminam creavit eos.* S. Ambrosius lib. de dignit. hom. c. 1. „Tanta, in„quit, dignitas humanae conditionis esse cognosci„tur, ut non solo iubentis sermone, sicut alia sex „dierum opera, sed consilio sanctae Trinitatis, et „opere Maiestatis Divinae creatus sit homo.“ Itaque hinc, non tantum S. Ambrosius, ut ex hoc illius loco perspici etiam potest, verum etiam S. Ba-

silius hom. 9. in Gen. S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 6. et communiter Patres ex hac Dei in numero plurali locutione Personarum Trinitatem inferunt in eodem Deo. Praeterquam enim, quod absurdissimum sit creationis actionem, quae nonnisi Divina potentia perfici potest, communicare cum altero aliquo, qui Deus non sit, prout Hebraei insulsissime contendunt esse hoc dictum a Deo de creando homine ad angelos; tum idem hoc ex orationis istius contextu efficit, atque deducit S. Augustinus in eo, quem dixi loco. „Poterat et illud, „inquit, quando factus est homo, de angelis in„telligi, quod dictum est: *faciamus hominem*, „quia non dixit: faciam: sed quia sequitur: *ad ima„ginem nostram*, nec fas est credere ad imaginem „angelorum hominem factum, aut eamdem esse „imaginem angelorum, et Dei, ideo recte illic in„telligitur pluralitas Trinitatis. Quae tamen Trini„tas quia unus est Deus, etiam cum dixisset: *facia„mus, et fecit*, inquit, *Deus hominem ad imagi„nem Dei*, non dixit: fecerunt dii, aut ad imagi„nem deorum.“ Socinus, ut argumentum ex hoc loco pro pluralitate Personarum in Deo eludat, vult hoc sic esse dictum a Deo, quemadmodum Hannibal apud Livium, dixerat: „liberemus tandem diu„turna cura populum Romanum“ et, ut saepe principes edicta sua plurali numero proponunt. Nempe, quemadmodum terreni principes consiliis suorum reguntur, procerumque, atque eorum, quos adiutores imperii sui, et administros habent, consensio-

nem in suis decretis orationis illo modo in numero multitudinis indicant, atque sicut Carthaginensium imperator Hannibal de se coniunctim cum suis ducibus, et militibus illud pronunciaverat; neque enim ipse per se aliquid sine manibus suorum efficere in bello, et praestare poterat; sic in Deum quoque Socinus conferre vult, acutus scilicet theologus talem modum agendi, et inepte putat valere etiam de eo talem rationem loquendi. Est creatio solius Dei propria. Non ergo consilium ab angelis petiit, vel in auxilium illos vocavit. „Gloriam meam al„teri non dabo.“ Isa. 48. v. 11.

In quonam autem imago, atque similitudo Dei, quam in creatione sua accepit homo, consisteret, „noverint, ait S. Augustinus contra Manichaeos l. „1. de Genesi, in Catholica disciplina spiritales fide„les non credere Deum forma corporea definitum, „et quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, „secundum interiorem hominem dici, ubi est ra„tio, et intellectus, unde etiam habet potestatem „piscium maris, et volatilium caeli, et omnium „pecorum, et ferarum, et omnis terrae, et omnium „repentium, quae repunt super terram. Cum enim „dixisset: *faciamus hominem ad imaginem, et si„militudinem nostram*, addidit continuo, *et habeat „potestatem piscium maris, et volatilium caeli*, et „cetera, ut intelligeremus non propter corpus dici „hominem factum ad imaginem Dei, sed propter „eam potestatem, qua omnia pecora superat. Omnia „enim animalia cetera subiecta sunt homini non

„propter corpus, sed propter intellectum, quem „nos habemus, et illa non habent.“ Hanc autem imaginem Dei multo illustriorem reddiderunt iustitia, et sanctitas veritatis, in qua primus homo, ut Paulus docet, creatus est (Eph. 4. v. 24.) et qui splendor Divinae imaginis, per peccatum corruptus, deperiit. Estne autem etiam mulier facta ad imaginem Dei? Nam Paulus 1. Cor. 11. 7. inter virum, et mulierem, hac in re, distinctionem facit. „Vir, „inquit, non debet velare caput suum, quoniam „imago, et gloria Dei est; mulier autem gloria vi„ri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier „ex viro.“ S. Augustinus l. 12. de Trin. c. 4. hoc sic explicat, ut mulier una cum viro, et coniunctim una sit imago Dei. „Cum autem, inquit, ad adiu„torium distribuitur, quod eam ipsam solam atti„net, non est imago Dei; quod autem ad virum „solum attinet, imago Dei est tam plena, atque „integra, quam in unum coniuncta muliere.“ Hoc autem Paulus de muliere dixit docendi gratia debere eam subiectam esse viro, quod ex viro in viri adiutorium sit facta. Quid igitur? Mulier facta est ad imaginem viri, vir autem factus est ad imaginem Dei, ergo etiam mulier facta est ad imaginem Dei. Itaque cum esset dictum: *creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*, protinus de ambobus sic ad imaginem Dei factis subiicitur: *masculum et feminam creavit eos.*

Estne autem Heva iam nunc hac eadem sexta die cum Adamo, an tantum postea alio aliquo die

producta? Nam dubitationem facit, quod tantum sequenti capite, postquam Deus dicitur quievisse die septimo; Hevae describatur formatio. Est autem illud prius certiùs, et Scripturae conformius. Nam eadem sexta die v. 28. Deus ambos alloquitur: *Crescite*, inquit, *et multiplicamini*, *et replete terram*, iterumque versu 29. *Ecce dedi vobis*, inquit, *omnem herbam adferentem semen.* Allocutusne fuisset duos, si unus tantum Adam adhuc fuisset? Deinde initio sequentis capitis dicuntur omnia esse perfecta. At vero creatio, quoad humanum genus, sine muliere nondum fuisset plena, et perfecta. Solus enim Adam non sufficiebat ad propagationem humani generis. Ut ergo in reliquis animantibus species omnes integrae, mas scilicet, et femina fuerunt productae; ita hoc idem censendum est de homine. Sed sequente capite solus tantum modus productionis Hevae adcuratius describitur, idemque hoc ibi fit v. 7. de Adamo, qui tamen absque omni controversia productus fuit die sexta, et generatim totum secundum caput, creationis tantum partes aliquas plenius exponit, et explicat.

28. *Benedixitque illis Deus, et ait: crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.* Hinc, quod Deus ad primos homines dixerit: *crescite, et multiplicamini* Hebraei, deinde Protestantes etiam legem volunt facere adversus caelibatum. Atqui hoc idem a Deo superius v. 22.

ad pisces etiam, et aves fuit dictum: *crescite et multiplicamini:* quae cum intellectu careant, et ratione; lege sic, ut nisi eam teneant, et servent, peccent; obstringi non possunt. Etiam de comedendis arborum fructibus sequentis capitis v. 16. ad Adamum dixit Deus: *ex omni ligno paradisi comede.* Neque tamen istud erat praeceptum, sed tantum facultas, et concessio utendi omnibus arboribus ad cibum excepta illa una, de qua ibi dicetur. Solam igitur connubii facultatem, foecunditatisque benedictionem illis verbis Deus impertitus est, non legem de matrimonio hominibus imposuit. 29. *Dixitque Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam,* 30. *et cunctis animantibus terrae, omnique volucri caeli, et universis, quae moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.* 31. *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere, et mane dies sextus.*

CAPVT II.

Deus die septimo quiescit, hominem in paradiso collocat, et mulierem ex viri latere producit.

IGITVR perfecti sunt caeli, et terra, et omnis ornatus eorum. 2. *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo*

ab universo opere, quod patrarat. „Cum in die „septimo requiescit Deus ab omnibus operibus suis, „et sanctificat eum, nequaquam est accipiendum „pueriliter, tanquam Deus laboraverit operando, „ait S. Augustinus l. 11. de Civ. Dei Cap. 8. *qui* „*dixit, et facta sunt*, verbo intelligibili, et sem„piterno; non sonabili, et temporali. Sed requies „Dei requiem significat eorum, qui requiescunt „in Deo." Quies nimirum haec Dei, et cessatio a productione novorum Operum typum, et imaginem gessit illius quietis, quam sancti capient in caelo, postquam exantlatis huius vitae laboribus, refertique bonis operibus hinc excesserint. Id, quod intelligitur ex S. Paulo, qui ad Hebraeos cap. 4. v. 3. de caelestis requietis felicitate, atque studio eo perveniendi verba faciens, cum dixisset: „Ingredie„mur enim in requiem, qui credidimus" hoc deinde etiam probat isto Geneseos testimonio: *et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis.* „Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam „ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus." ibidem v. 10. Hinc S. Augustinus de Gen. contra Manich. cap. 22. „Quid aliud, inquit, significat, „quod dicitur Deus requievisse ab omnibus operibus „suis, quae fecit bona valde, nisi requiem nostram, „quam nobis daturus est ab omnibus operibus no„stris, si et nos bona opera fecerimus?" Dicit quidem Christus Joannis 5. v. 17. „Pater meus us„que modo operatur, et ego operor" sed id S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 4. c. 12. sic expli-

cat et conciliat: „Potest, inquit, intelligi Deum „requievisse a condendis generibus creaturae, quia „ultra iam non condidit aliqua genera nova; dein- „ceps autem usque nunc, et ultra operari eorum- „dem generum administrationem, quae tunc insti- „tuta sunt, non ut ipso saltem die septimo po- „tentia eius a caeli, et terrae, omniumque rerum, „quas condiderat, gubernatione cessaret; alioquin „continuo dilaberentur. Creatoris namque poten- „tia, et omnipotentis, atque omnitenentis virtus „causa subsistendi est omni creaturae. Quae vir- „tus ab eis, quae creata sunt, regendis, si ali- „quando cessaret; simul et eorum cessaret species, „omnisque natura concideret. Neque enim sicut „structor aedium cum fabricaverit, abscedit, atque „illo cessante, atque abscedente stat opus eius; „ita mundus vel ictu oculi stare poterit; si ei Deus „regimen sui subtraxerit. Proinde et quod Domi- „nus ait: Pater meus usque nunc operatur, conti- „nuationem quamdam operis eius, qua universam „creaturam continet, atque administrat, ostendit."

3. *Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* Deus sanctificavit diem septimum, quem scilicet sancte observari iusserit, suoque eum cultui consecraverit. Sed fueritne iam in principio mundi lex haec in vigore, obscurum est, et videtur non fuisse, quod nusquam in Scriptura istius observantiae vestigium aliquod exstet, nec uspiam legantur patriarchae diem illum

observavisse, tametsi aliae illorum actiones, etiam minutiores, diligenter descriptae sint. Atque hoc magis etiam inde confirmatur, quod cum Moyses Israelitas pridie Sabbati duplum eius, quod aliis diebus solebant, iussisset ex manna colligere, unde a colligendo, Sabbato, prohiberet eos huius diei religio; ipsi etiam illorum principes istius religionis causam non statim perspexerint; sed hanc illis Moyses explicare debuerit. Exod. 16. v. 23. Si autem res haec iam in usu apud eos ante fuisset, cur propter diem Sabbati pridie duplum de manna colligere deberent; nihil difficultatis ad perspiciendum habere apud eos potuisset. In libro secundo Esdrae cap. 9. v. 17. Levitae in sua precatione sic alloquuntur Deum: „Ad montem quoque Sinai descendisti, „et locutus es cum eis de caelo - - - et Sabbatum „sanctificatum tuum ostendisti eis, et mandata, et „caerimonias, et legem praecepisti eis in manu „Moysi servi tui.“ Et S. Irenaeus l. 4. c. Haer. cap. 30. diserte dicit ne Abrahamum quidem observavisse Sabbatum.

4. *Istae sunt generationes caeli, et terrae, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus caelum, et terram.* Sex superiores dies, quibus singillatim describebatur, et per partes, rerum omnium creatio, hic adpellantur singulariter, quasi unius diei tantum nomine. Et S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 4. c. 22. censuit opus creationis omne esse peractum a Deo uno die, et sine productione aliqua temporis, et in momento, atque cum interpre-

tationem proposuisset de luce, quae prima die creata est, fuisse eam spiritualem, cognitionemque eo nomine intellexisset creaturarum, qua istae iam se in seipsis contemplatae sint; iam se deinde a se ad Deum verterint; istam saepius repetitam mentis conversionem iam ad se, iam ad Deum diei, et vesperae nomine per illos sex dies adpellatam esse posuit, quin reapse opus creationis per sex illos productum fuerit, sed sex illos dies esse distincte in narratione positos tantum ad faciliorem captum illorum, qui istud Ecclesiastici cap. 18. 1. non possunt perspicere: „Qui vivit in aeternum, creavit „omnia simul.“ At Scripturam interpretandi regula est, quam ipse S. Augustinus etiam de Doctr. Christiana l. 3. c. 10. tradidit: „ut quidquid sermone „Divino neque ad morum honestatem, neque ad „fidei veritatem proprie referri potest, figuratum „esse cognoscas.“ Cum ergo adversus haec repugnantiam nullam res habeat, si sex illi dies proprie sumantur; sequitur sic esse illos sumendos, ne citra iustam causam a propria, et naturali dictorum significatione discedatur, quod interpreti fas non est, ne Scripturam ad suam magis licentiam, quam iuxta veram intelligentiam interpretetur. Dicit autem Moyses etiam Exodi 20. 11. diserte: „sex „diebus fecit Dominus caelum, et terram, et omnia, „quae in eis sunt.“ Non ergo una dies fuit, quo peractum est creationis negotium, sed opus istud a Deo productum est per dies sex. Nec Ecclesiasticus, dum dixit Deum creavisse omnia simul, aliud

significare voluit, quam omnium, quae quidem existendi initium aliquando accepissent, unum esse opificem Deum. „Omnia per ipsum facta sunt, et „sine ipso factum est nihil.“ Joan. 1. v. 3. Quamvis igitur isthic dicatur dies, quo Deus fecit caelum, et terram; tamen dies haec non una est; sed est secundum consvetudinem Lingvae Hebraeae dies posita indefinite pro tempore, quod saepe etiam longius, diei nomine solet compellari, uti Psalmo 94. v. 9. totum illud tempus, quo Israelitae, peregrinantes in diserto, tentaverunt Deum, diei nomine adpellatur: „Sicut in irritatione secundum diem „tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres „vestri, probaverunt, et viderunt opera mea.“ Fuit vero hoc spatium annorum quadraginta, ut ibi statim subiicitur: „Quadraginta annis offensus „fui generationi illi, et dixi: semper hi errant „corde.“

Jam primis sex diebus absolutum est totum creationis opificium. Quare etiam primo versiculo huius capitis post sex illos dies dicitur: *Igitur perfecti sunt caeli, et terra, et omnis ornatus eorum.* Quod ergo modo ponitur: *Istae sunt generationes caeli, et terrae* non haec nova, et diversa a priore generatio est, et productio caeli, atque terrae, sed tantum aliqua ex his, quae iam prius creata sunt, quomodo creata, et producta sint, latius describuntur. Ex opere autem tertiae, et sextae diei paradisus, deinde Adami, et Hevae productio, hic plenius modo exponuntur. 5. *Et omne*

omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret: subintellige isthic ex versu praecedente: *Deus fecit*. Vult nimirum Moyses docere gramina illa, et plantas esse a Deo per creationem repente productas, quin ad eas, quemadmodum erga istas, quae modo crescunt, cultura humanae industriae, vel adiumenta pluviae accesserint. Quare sequitur: *non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat, qui operaretur terram. 6. Sed fons adscendebat e terra irrigans universam superficiem terrae*. Pro fonte in Hebraeo positum est vocabulum *Edh* (אֵד) quod proprie vaporem significat, unde Paraphrastes Chaldaeus pro illo nubem posuit, suntque illae aquae, quae initio totam superficiem telluris contexerant, et quibus in unum locum confluere iussis, patefactaque terra, tertia creationis, et mundi die, germinaverunt arbores, atque plantae. Huc ad istud tempus referendum esse istum adscensum fontis, non quod productis iam etiam plantis, et post tertium mundi diem talis adhuc ratio irrigationis perduraverit, ut haec opinio Calmeti, quorumdamque aliorum interpretum est, perspicitur inde, quod Moyses hoc dicat factum esse, antequam virgultum agri oriretur in terra, et herba germinaret. Hoc enim fuit ante diem mundi tertium.

Tali modo cum Moyses explicuisset, quomodo productae sint arbores, et plantae; formationem deinde etiam hominis, quomodo facta sit, ex-

ponit: 7. *Formavit igitur*, in Hebraeo illativae particulae loco est litera *vav*, quae vulgo apud Hebraeos usum copulativae particulae praestat, quomodo etiam isthic verterunt Septvaginta: *καὶ ἔπλασεν* et formavit: *Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* 8. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio:* Hebraeus habet *mikkethem.* (מִקֶּדֶם) Quae Hebraica vox generaliter significat id, quod prius, vel anterius est, quare pro mundi etiam plaga, quae oriens dicitur, ab iisdem Hebraeis usurpatur; et quo eodem modo etiam isthic Septvaginta istud verterunt: *κατ' ἀνατολὰς versus Orientem.* At versio Latina, illiusque sensus est adcuratior, et convenientior: Nam, si plagam mundi hic voluisset Moyses designare, versus quam situs fuerit paradisus; necessarium fuisset etiam locum aliquem, et regionem simul nominare, unde situs et positio paradisi versus Orientem determinaretur. Neque enim nisi relate ad certum aliquem locum plagarum determinatio fieri potest, cum pro consideratione ad diversa loca idem etiam locus positionem ad diversas plagas habere possit. Sensus igitur est paradisum statim etiam a principio, et una cum reliquis rebus esse a Deo productum, non vero tardius, et separatim esse factum. In quo posuit hominem, quem formaverat.

9. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum svave:*

lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni, et mali. Cur lignum, et prior illa arbor vitae adpellata sit, S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 8. C. 5. dicit „ quamquam corporalem „ cibum, talem tamen illam arborem praestitisse, „ quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, „ non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione „ salubritatis occulta.“ Arbor autem scientiae boni, et mali cur hoc nomen acceperit, requirendum. (verba sunt eiusdem S. Augustini citato loco) „ Mihi autem etiam, atque etiam consideranti, „ dici non potest, quantum placeat illa sententia, „ non fuisse illam arborem cibo noxiam: neque „ enim, qui fecerat omnia bona valde, in paradi- „ so instituerat aliquid mali, sed malum fuisse „ homini transgressionem praecepti. Oportebat au- „ tem, ut homo, sub Domino Deo positus alicun- „ de prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum „ virtus esset ipsa obedientia; quam possum veris- „ sime dicere solam esse virtutem omni creaturae „ rationali agenti sub Dei potestate, primumque „ esse, et maximum vitium tumoris ad ruinam sua „ potestate velle uti, cuius vitii nomen est inobe- „ dientia. “

10. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* 11. *Nomen uni Phison, ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum.* 12. *Et aurum terrae illius optimum est: ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus.* Flu-

vium Phison eumdem esse cum Phaside Colchidis fluvio post Hadrianum Relandum, qui ineunte hoc seculo dissertationem hac de re edidit, tenent plerique Interpretes. Satis etiam haec duo nomina inter se conveniunt Phasis, et Phison. Plinio teste l. 6. C. 4. et Strabone l. 11. Phasis in montibus Armeniae oritur, et decurrit ad Pontum Euxinum. Duo memorantur Hevilach alter filius Chus Gen. 10. v. 7. alter filius Iectan Gen. 10. v. 29. A quorum ergo alterutro regioni illi nomen hoc est inditum. Quam eamdem cum Colchide esse, declarat hoc, quod a Ptolomaeo in Tabula tertia Asiae Cholva, et Cholvata urbes Colchidis memorentur, quae cum nomine Hevilath propinquitatem habent. Convenit etiam hoc, quod Colchis feracissima sit auri. Quod incolae cribris, et perforatis pellibus ex fluviis excipiebant. Pro bdellio Hebraeus habet *Bedolach*, pro lapide onychino lapidem *Schoham*. Plinius l. 12. C. 9. bdellium tradit esse genus quoddam gumi, quod stillat ex arboribus. Relandus, et cum eo alii vertunt chrystallum, cuius magna copia sit in vicinia Colchidis. Septvaginta illius loco posuerunt carbunculum. (ὁ ἄνθραξ) Iidem Septvaginta Hebraeum etiam *Schoham* iam onychem, iam smaragdum, iam alium lapidem in diversis Scripturae locis verterunt. Itidem alii Interpretes de hoc nomine in varias sententias abeunt. Chrystallum autem esse, vel lacrimam aliquam pellucidam et albam ex aliqua arbore, inde deducitur, quod manna, quod Israelitis in deserto e caelo pluit,

colorae dicatur fuisse bdellii, (Num. 11. 7.) idem vero manna Exodi 16. v. 14. album instar pruinae fuisse perhibeatur. 13. *Et nomen fluvii secundi Gehon, ipse est, qui circuit omnem terram Aethiopiae.* Non facile hic fluvius ex aliqua similitudine nominis potest determinari. Sed tamen in vicinitate cum reliquis tribus eum debuisse esse, id demonstrat, quod omnes quatuor dicantur ex uno fonte fluxisse. Id vero in Araxim, qui Asiae fluvius longe maximus est, maxime quadrare, potior fert Interpretum sententia. Is oritur in Ararat, montibus Armeniae, intervallo milliarium sex ab Euphrate, ferturque suo cursu in mare Caspium. Et ipsa Hebraeae vocis *Gehon* significatio consentit cum Persico fluminis nomine Araxe, quod utrumque praeceps aliquid, et impetuosum significat, qualis in suo cursu est Araxes. Pro Aethiopia Hebraeus habet *Chus.* Chussaeorum autem regio teste Strabone posita erat ad Mediam, quae ex ea parte qua vergit ad Occidentem, tangit Armeniam, ut adeo, quomodo ex uno fonte cum priore fluvio venire iste secundus potuerit, difficile perspectu non sit. 14. *Nomen vero fluminis tertii Tigris, ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus ipse est Euphrates.* De his fluviorum nominibus nulla est controversia. Tigris tamen in Hebraeo vocatur *Chidekkel*, ex quo *Diglath* est. Quo nomine etiam modo ibi incolae fluvium istum adpellant. Euphratem Hebraeus *Ferath* adpellat. Unde Euphrates excrevit addita syllaba anteriore, quae in Persica lingua

aquam significat. Iidem hi duo fluvii Plinio, et Ptolomaeo testibus etiam ex Armeniae montibus originem ducunt. Ita omnes quatuor isti fluvii, quoad suam originem conveniunt in iisdem Armeniae montibus. Cumque tunc, quando paradisus exstitit, ex illo profluxerint, consequentia est ad eosdem montes Armeniae fuisse positum Paradisum; quemadmodum Relandi, aliorumque Interpretum communior haec sententia est. Fluvii autem illi quatuor iam modo ex eodem fonte non oriuntur: quorum scaturigines, ubi ex terra erumpunt, mutatae probabilissime per diluvium sunt.

15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum.* Neque tamen gravis, et molesta erat haec occupatio futura. Nam, ut cum sudore sui vultus operaretur terram, hoc ei tantum postea, poenae nomine, impositum fuit. Erat igitur omnis illa occupatio referenda ad voluptatem. „Quidquid igitur deliciarum habet agricultura, ait „S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 8. C. 8. tunc „utique longe amplius erat, quando nihil accidebat adversi vel terra, vel caelo. Non enim erat „laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum „ea, quae Deus creaverat, humani operis adiutorio laetius, feraciusque provenirent, unde Creator ipse laudaretur uberius, qui animae in corpore animali constitutae rationem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo volenti satis „esset, non quantum invitum indigentia corporis

„ cogeret. - - - Custodire potuit autem (ait ibidem „ Cap. 9. S. Augustinus) non adversus improbos, „ aut inimicos, qui nulli erant; sed fortassis adversus bestias." Erant etiam hae bestiae tum in officio erga hominem: sed tamen sicut dominium erga illas accepit homo, sic regendae etiam erant in paradiso, ne pro suo impetu possent agere, sed penderent ab hominis imperio. In quo custodia videtur esse reponenda paradisi, quam tum exercere deberet homo adversus animalium liberum impetum. Idem hoc etiam sic explicat S. Augustinus capite 10. citati libri: „Custodiret autem, inquit, „ eumdem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitte- „ ret, quare inde mereretur expelli." Sed haec artificiosior, nec ita plana explicatio est.

16. *Praecepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede:* 17. *de ligno autem scientiae boni, et mali, ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Geminatio eiusdem vocis, et in aliis lingvis, et praesertim in Hebraea adhiberi consvevit, significationisque intensionem, et maiorem eius rei, quae dicitur, certitudinem denotat. Erat homo, tam quoad animam, quam quoad corpus factus immortalis. Vita animae cum illa est, quod sit, et existat; tum illa primi hominis, antequam peccaret, fuit; quod, ut Paulus inquit Eph. 4. v. 24. creatus sit in iustitia, et sanctitate veritatis, et unde vulgari Scripturae phrasi dicuntur mortui, qui exuti hac iustitia sunt. Itaque quomodo hanc animo mortem incurrerit pri-

mus homo, statim ut peccavit, obscurum non est. Quoad corpus autem eo ipso die, quo vetitum fructum comedit, mortuus est, quod secundum corpus, quod immortale a Deo acceperat, factus sit etiam mortalis, atque moriendi debitum contraxerit. Quamobrem Arabs hoc sic vertit: *Ex arbore ſcientiae boni et mali ne comedas: nam in die comestionis tuae ex ea mereberis mori.* Et S. Chrysostomus hom. 17. in Gen. „Hoc est, inquit, sen„tentiam accipietis mortales posthac vos futuros. „Sicut enim in humanis iudiciis, quando quis sen„tentia lata, ut capite multetur, iterum in carcerem „coniicitur, licet ibi multo tempore agat, nihil ta„men melius habet defunctis, et mortuis, utpote „iam per sententiam mortuus: eodem modo et hi „ab eo die, a quo mortalitatis sententiam accepe„runt, tametsi longo tempore duraverint, nihilo„minus sententia mortui erant.“

18. *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum hominem esse solum.* Ad perfectionem humani generis requirebatur etiam femina, ut sic propagari posset. Haec igitur, cum adhuc deesset, non erat bonum, hoc est non erat perfecta, et absoluta hominis creatio, cum vir tantum adhuc existeret sine altero sexu. Atque hoc pertinere, quod dictum est, non esse bonum, declarat id, quod sequitur: *faciamus ei adiutorium simile sibi.*
19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, et universis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vo-*

caret ea. Omne enim, quod vocavit Adam animae viventis; ipsum est nomen eius. Ex hoc loco non obscure deducitur animantium genuina, primaevaque nomina in Moysis, atque Hebraeorum lingva Moysis aetate constitisse. 20. *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia caeli, et omnes bestias terrae. Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius.* 21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea.* 22. *Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam.* Productionem hanc feminae ex latere viri Cajetanus, quasi non sic vere facta esset, per allegoriam explicavit. At hoc contrarium est etiam Paulo, qui „Non enim, „inquit, vir ex muliere, sed mulier ex viro" 1. Cor. 11. 8. Docet deinde diserte S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 8. C. 1. proprie esse accipienda, quae a Moyse narrantur, etsi per ea simul etiam alia significentur. „Narratio quippe in „his libris non genere, inquit, locutionis figura„tarum rerum est, sicut in Cantico Canticorum, „sed omnino gestarum, sicut in Regnorum libris, „et huiusmodi ceteris." Non solam costam esse exceptam ex latere Adam, ut inde formaretur femina, sed simul etiam carnem, qua eadem costa tegebatur; intelligitur ex eo, quod deinde ad Hevam Adam dixit: 23. *dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Haec*

vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Ergo non os tantum, verum etiam caro ex latere illius extracta est. Itaque et illud: *replevit carnem por ea* eodem modo intelligi debet, ut non sola iterum caro, sed os quoque in eius, quod exceptum est, locum, substititutum esse intelligatur; ut neque minor numerus costarum, quam ante fuerit, neque ullus defectus pristinae integritatis postea fuerit in Adamo.

Cur igitur Deus costam ab eo abstulit, si in eius locum aliam rursus subtituturus fuit? Nempe „Sacramentum hoc magnum est in Christo et Ec„clesia" Eph. 5. 32. „Dormit Adam, ait S. Au„gustinus Tract. 9. in Joan. ut fiat Eva: mo„ritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae „fit Eva de latere; mortuo Christo lancea per„cutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus „formatur Ecclesia. Cui non adpareat, quia in „illis tunc factis futura figurata sunt, quandoqui„dem dicit Apostolus ipsum Adam formam futuri „esse? Qui est, inquit, forma futuri." Rom. 5. v. 14. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Duo in carne una dicuntur propter copulationem corporum in usu matrimonii. Quare etiam ii, qui illegitime copulantur; tamen unum corpus effici dicuntur. „Qui adhaeret mere„trici, unum corpus efficitur" 1. Cor. 4. v. 16. 25. *Erat autem uterque nudus Adam scilicet, et uxor eius, et non erubescebant.* „Quid enim pu-

„ deret, ait S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 11. C. „ 1. quando nullam legem senserant in membris „ suis repugnantem legi mentis suae? quae illos „ poena peccati post perpetrationem praevaricatio- „ nis secuta est usurpante inobedientia prohibitum, „ et iustitia puniente commissum. Quod antequam „ fieret, nudi erant, ut dictum est, et non con- „ fundebantur: nullus erat motus in corpore, cui „ verecundia deberetur; nihil putabant velandum, „ quia nihil senserant refrenandum.“

CAPVT III.

A serpente primi homines inducuntur ad comedendum vetitum fructum: idcirco expelluntur ex paradiso.

1. SED *et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus.* Serpens iste verus erat, et naturalis, quo tanquam instrumento usus est daemon ad decipiendam Evam. Nam, cur Moyses inter hunc, et cetera animalia calliditatis, et astutiae comparationem fecisset; si ille fictus tantum, et umbratilis fuisset? Cur etiam postea Deus naturali serpenti poenam dictavisset; si ille ad seductionem non intervenisset? Fuisse autem in eo, et tanquam sub larva daemonem, intelligitur ex eo, quod Sap. 2. v. 24. per illius invidiam mors dicatur introducta esse in orbem

terrarum. „Invidia diaboli mors, inquit Sapiens, „introivit in orbem terrarum:" Et quod Joannis 8. v. 44. Christus illum dicat homicidam fuisse ab initio. Diabolus igitur fuit, qui ex serpente loquens parentes nostros in paradiso in mortem praecipites egit; dum illos induxit ad transgressionem mandati. Itaque serpentis antiqui nomine etiam ab Joanne in Apocalypsi adpellatur daemon. „Proiectus est, inquit, draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas." (Cap. 12. 9.) S. Cyrillus Alexand. l. 3. contra Julianum censuit non fuisse verum, et naturalem serpentem; sed illius tantum formam, et simulacrum, quod daemon in se assumpserit. At S. Basilius, S. Chrysostomus in suis homiliis in Genesim, et S. Augustinus l. 11. de Gen. ad lit. cap. 27. in illa, verum fuisse serpentem, quo usus est daemon ad decipiendum, sunt sententia. „In serpente ipse (diabolus) „locutus est, verba sunt S. Augustini, utens eo „velut organo, movensque eius naturam eo modo, „quo movere ille, et moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos, et signa corporalia, per „quae mulier svadentis intelligeret voluntatem. --- „Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina, „in qua sedebat Balaam, locuta est homini; nisi „quod illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum."

Qui dixit ad mulierem: cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? 2. *Cui respondit mulier: de fructu lignorum, quae sunt in paradiso vescimur,* 3. *de fructu vero ligni,*

quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. „Deus affirmat, ait S. Bernardus Serm. „22. de Diversis, mulier dubitat, Satan negat.“ Quaestio autem hic existit, quomodo se Heva immiserit ad colloquium cum serpente, cum ei mens minime potuerit deesse ad perspiciendum, vocem, qua serpens utebatur, naturalem ei non esse. S. Cyrillus Alex. l. 3. contra Julianum docet istud non ignoravisse, sed tantum admiratam primum esse, et quonam modo hoc esset, dubitare coepisse; deinde vero cogitatione illa propriae excellentiae, quam daemon suggesserat, dicendo: eritis sicut dii, sui oblitam, atque supra se raptam, non tantum animum ad serpentis dicta magis adcommodavisse, verum etiam svasioni illius cessisse. In quam sententiam etiam locutus est S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 11. c. 30. „Quando, inquit, his verbis „crederet mulier a bona, atque utili re Divinitus „se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor „ille propriae potestatis, et quaedam de se super„ba praesumptio?“ S. Thomas in lib. 2. Sentent. Dist. 21. dicit Hevam serpentis loquelam ad superiorem aliquam vim retulisse, atque ideo ei aures praebuisse.

4. *Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini.* 5. *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum, et malum.* Istud: *dii* in Hebraeo est *Elohim* (אֱלֹהִים)

et potest etiam singulariter verti: Deus, prout et Geneseos cap. 1. v. 1. ita versum est etiam a Latino Interprete, et tam isthic, quam alibi saepe in Scriptura vero Deo tribuitur. Qualiter etiam hic esse usurpatum hoc Dei nomen inde deducitur, quod daemon cupiditate Divinae excellentiae Hevam tentaverit, cui in ceteris rebus nihil ad felicitatem deesset, et quod illa capta hac pollicitatione fructum illum attentius considerare coeperit, ut sequitur:

6. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, adspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit.* „Fortassis, ait S. „Augustinus de Gen. ad Lit. l. 11. c. 30. etiam „cum verbo svasorio, quod Scriptura tacens intel-„ligendum relinquit. An forte iam svaderi non „opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat?“ Adamum non esse deceptum hac in re, diserte dicit S. Paulus 1. Tim. 2. 14. „Adam, inquit, non est seductus; mulier autem „seducta in praevaricatione fuit.“ Neque enim ut serpens Hevam, sic Heva quoque decipiendi animo Adamum ad comedendum vetitum fructum induxit. Sed ille omnino scienter fefellit; haec vero iam decepta, cum non tantum nihil mali ex illo esse, sed ingens etiam bonum exspectaret; viro idem svasit, et ille uxori morem gessit. Sicut igitur non omne falsiloquium est mendacium; sed tantum illud, quando quis id verum affirmat esse, quod scit esse falsum; sic deceptio quoque tantum illa est svasio,

quae fit animo decipiendi. Cur autem mulieri svadenti cessit, qui illa prudentia instructus fuit, quando nullatenus adhuc intellectus ipsius per peccatum laesus fuit, ut verum dispicere difficile ei non fuerit? S. Augustinus huc respondet de Gen. ad Lit. l. 11. c. 42. „Salamon vir tantae sapientiae, nunquid, ait, credendum est, quod in simulacrorum „cultu credidit aliquid esse utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non „valuit faciens, quod sciebat non esse faciendum, „ne suas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret. Ita et Adam, postea„quam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit, ut simul ederent, noluit eam „contristare.“

7. *Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata.* Vox haec est Graeca, significatque proprie cingulum circa lumbos. Non sola autem folia, sed una cum tenuioribus ramis, illa, unde cingulos sibi contexerent, acceperunt. Neque enim si folia tantum fuissent, plectere illa inter se, ut haererent, facile potuissent. Neque vero prius clausos oculos habuerunt, atque se aliter quam nudos etiam ante viderunt. „Sed aperti dicuntur oculi, qui et antea patebant, ait S. Augu„stinus de Gen. ad Lit. l. 11. c. 31. ad aliquid in„tuendum, et cogitandum, quod antea numquam „adverterant. - - - Index anima rationalis bestialem „motum in membris suae carnis erubuit, eique in-

„cussit pudorem, non solum quia hoc ibi sentie-
„bat, ubi numquam antea tale aliquid senserat; ve-
„rum etiam, quod ille pudendus motus de prae-
„cepti transgressione veniebat. Ibi enim sensit, qua
„prius gratia vestiretur, quando in sua nuditate ni-
„hil indecens patiebatur.“

8. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Deinceps pluribus exemplis adparebit etiam ex his Moysis libris, angelum fuisse, etiam cum Deus dicitur apparuisse, qui angelus Dei personam gereret, et ex illa loqueretur. Quomodo certum est angelum fuisse, qui Moysi in ardente rubo apparuit, et qui illi in monte Sinai legem dedit ex Actuum Apostolicorum capitis 7. v. 30. et 53. etsi ibi, ubi hoc in Exodo narratur, Deus appellatur fuisse, quem Moyses in rubo vidit, et a quo legem accepit. Ex quo illud deduci potest, et hic, et alibi quoque, ubi Deus in conspicua aliqua forma dicitur apparuisse; hunc angelum fuisse, Divina tamen auctoritate instructum. Istud: *ad auram post meridiem* Septvaginta verterunt: τὸ δειλινὸν *ad vesperam.* Per auram igitur post meridiem flatus intelligitur advesperascentis aurae. Non eadem die, qua producti sunt primi nostri parentes, funestum eorum lapsum accidisse, inde perspicitur, quod Moyses, antequam hunc illorum casum exponeret, de septimo, qui quietis dies fuit, narrationem instituerit. A qua serie narrationis temere recederetur, si

si iste in peccatum lapsus in sextum mundi creati diem conferretur. Quanam autem adcurate die hoc factum sit, quoniam Scriptura reticet, dici non potest. Verisimillimum est prorsus non magnum aliquod spatium intercessisse, quod dum haec Scriptura narrat, nihil inter ea aliquid aliud, quod interea acciderit, interponat.

9. *Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: ubi es?* 10. *Qui ait: vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.* 11. *Cui dixit Dominus: quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?* 12. *Dixitque Adam: mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* 13. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem: quare hoc fecisti? Quae respondit: serpens decepit me, et comedi.* 14. *Et ait Dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terrae: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae.* S. Augustinus de Gen. contra Manichaeos l. 2. c. 17. S. Gregorius M. Beda totam hanc poenam figurate ad daemonem referunt, et nihil ad serpentem. At S. Chrysostomus hom. 17. in Gen. et Theodoretus Quaest. 34. in Gen. sic sententiam hanc ad daemonem referunt, ut doceant eam simul etiam pertinuisse ad naturalem serpentem. Qui serpens licet hoc naturale habuerit, ut reperet; idem tamen hoc ei nunc per maledictionem impositum esse, non

quo ille poenam aliquam ex rependo sentiret; sed ut homines, dum repentem illum viderent; illius transgressionis suae admonerentur; prorsus quemadmodum iris a Deo in signum data est securitatis de non amplius futuro diluvio, etsi iam antea exstiterit, non tunc tantum esse coeperit, quando in signum Divini favoris data est; indeque cautiores, et circumspectiores adversus antiqui serpentis technas, et machinationes efficerentur. „Poenam intentat, „verba sunt S. Chrysostomi, et talem, quae in „omne tempus extendatur, et sui spectaculo omni- „bus posthac futuris doctrina sit, ne ultra pestilens „illud audiatur consilium, neque locus concedatur „dolosis ipsius insidiis. Sed forte dixerit aliquis, „cum diabolus serpentis opera usus malum attulerit „consilium, cur bestiae illi poena infligitur? Est et „hoc ineffabilis benignitatis Dei opus. Nam, sicut „amantissimus pater puniens eum, qui filium suum „occiderit, et gladium, et ensem, per quem filius „suus occisus est, destruit, et in multas partes com- „minuit; eodem modo Deus egit. Quia serpens „quasi gladius quidam diaboli servivit malitiae, „perpetuam ipsi poenam infligit; ut per hoc, quod „sub sensum, et adspectum cadit, intelligamus, „in quanta ignominia sit diabolus. Nam si is, qui „ut instrumentum ministravit, tantam expertus est „indignationem; quale supplicium verisimile est „suscepturum diabolum?“ Terram autem serpens non comedit: sed terrae nomine intelligitur genus infimi, et sordidi cibi ex terrae putoribus. Hac ve-

ro serpentis maledictione, dum ipse feriebatur daemon, pronunciabatur fore ipsum inter omnes alias creaturas maledictum, redactumque eo, ut ei peccatorum sordes, et turpissima vitia, ad quae homines conatur inducere, tanquam pro cibo sint, hisque, quae foedissima, indignissimaque sunt, delectetur.

15. *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Hoc quoque de inimicitiis, quamquam ad naturalem serpentem etiam spectaverit, inter quem, et hominem naturalis quaedam etiam nunc ab illa deceptione aversio, et mutua insectatio perdurat; tamen praecipue pertinet ad daemonem. Nam „Deus omni„potens, et clemens, ait S. Leo serm. 2. de Nat. „Domini, statim ut nos diabolica malignitas vene„no suae mortificavit invidiae, praedestinata mor„talibus suae pietatis remedia praesignavit denun„cians serpenti futurum semen mulieris, quod no„xii capitis elationem sua virtute contereret, Chri„stum scilicet in carne venturum, Deum, homi„nemque signans, qui natus ex Virgine violatorem „humanae propaginis incorrupta nativitate damna„ret.“ In Hebraeo pronomen, quod Latinus Interpres in feminino genere posuit, sic ut mulier intelligatur, quae sit contritura caput serpentis, est generis masculini, concordatque cum nomine *zera* (זֶרַע) quod semen significat, et apud Hebraeos generis masculini est. Itidem Septvaginta pronomen

in masculino genere collocarunt *αὐτός ipse*, et nec cum muliere Graece *γυνή*, nec cum nomine: *semen* Graece *σπέρμα*, quorum prius feminini, alterum neutrius generis est, concordarunt, sed directe illo pronomine: *ipse* Christum designarunt. Ad quem modum iuxta Versores Graecos etiam quaedam Latina Exemplaria et S. Hieronymus tam in Hebraicis Quaestionibus, quam in sua Versione, prout exstat inter illius opera, locum istum cum pronomine masculino: *ipse* habent. Et omnino semen mulieris Christus contrivit caput serpentis. Nec hoc in feminino genere *ipsa* de Virgine Deipara, et Matre Christi aliter intelligi debet, quam quod ipsa non per se, sed per Christum, quem in mundum edidit, contriverit caput serpentis. Editiones Graecae loco verbi: *conteret*, habent *τηρήσει servabit*: non tamen omnes, et nominatim Complutensis habet: *τειρήσει affliget*, vexabit: quod congruit cum verbo: *conteret*. Hebraeus autem, et versiones omnes aliae antiquae cum versione Latina consentiunt. In Graecum autem propter convenientiam utriusque verbi inter se quoad sonum, et tantum unius literae discrepantiam, quae tamen ipsa etiam sono conveniret cum altera, facilitas summa fuit vocem alteram pro altera inter describendum substituendi. Per semen autem daemonis, qui etiam per Christum conteruntur; omnes impii, et adseclae diaboli intelliguntur, qui propterea etiam ex patre diabolo esse dicuntur: „Vos ex patre diabolo estis." Joan. 8. v. 44. Serpens autem, quando pedibus calcatur,

quia non habet, quomodo aliter resistat, et noceat; illius, a quo calcatur, mordere saltem nititur calcaneum. Diaboli autem studium eo significatur, quod cum superare non possit Christum; saltem illum mordeat lacessendo fideles, et Ecclesiam, quae est illius corpus. Quare etiam Paulus „Deus autem, inquit, pacis conterat Satanam sub pedibus „vestris velociter." Rom. 16. v. 20.

16. *Mulieri quoque dixit: multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Hoc: *sub viri potestate eris*, Hebraice est: *et ad virum tuum desiderium tuum* (וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ) Quod Septvaginta verterunt: *et ad virum tuum conversio tua.* (ἡ ἀποϛροφή σου) Quod utrumque ad subiectionem significandam pertinet, tanquam quae a viro pendeat, pendentemque ab eo suum appetitum habere debeat. 17. *Adae vero dixit: quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.* 18. *Spinas, et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae.* Non nunc primo spinae, et tribuli creati sunt, sed terra in iis procreandis multo, quam ante, facta est ex maledictione feracior. Cumque ante homo in fructibus arborum praecipuum, atque nobilissimum haberet victum; postea magnam partem ad radices, et ad olera redactus est.

19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Panis phrasi Scripturae solet poni pro qualicunque victus genere. Sic Daniel de se (cap. 10. v. 3.) „Panem, in„quit, desiderabilem non comedi“ et Luc. 14. v. 1. de Christo dicitur, intravisse eum in domum cuiusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem. Neque enim solum panem vir primarius in suo convivio, ad quod Christum invitavit, proposuit. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium.* Quam prius (cap. 2. v. 13.) adpellaverat viraginem ideo, quod de viro fuerit sumpta (in Hebraeo, ubi *Isch* (אִישׁ) virum, *Ischa* (אִשָּׁה) autem uxorem significat; elegantius haec adparet paronomasia) hanc nunc nominat Hevam, Hebraice *Chava* (חַוָּה) quae vox derivata a radice Hebraica *chaja* (חָיָה) viviferam significat.

21. *Fecit quoque Dominus Deus Adae, et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos,* 22. *et ait: ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, et malum.* „Non aliter intelligendum est, „inquit S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 11. c. 39. „quod ait: *unus ex nobis* nisi propter Trinitatem „numerus pluralis accipiatur, sicut dictum erat: „*faciamus hominem*, sicut etiam Dominus de se, „et de Patre: veniemus ad eum, et mansionem „apud eum faciemus. Replicatum est igitur in ca„put superbi, quo exitu concupiverit, quod a ser-

„ pente suggestum est: *eritis sicut dii.* Ecce, in-
„ quit, Adam factus est, tanquam unus ex nobis.
„ Verba enim sunt haec Dei, non tam huic insul-
„ tantis, quam ceteros, ne ita superbiant, deter-
„ rentis, propter quos ista conscripta sunt. Factus
„ est, inquit, tanquam unus ex nobis in cognoscen-
„ do bonum, et malum. Quid aliud intelligendum,
„ nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum,
„ quod non solum non fuerit factus, qualis fieri vo-
„ luit; sed nec illud, quod factus fuerat, conserva-
„ vit?" *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum.* Aliquid hic deest, quod ad perfectum sensum requiritur, atque hoc ex subsequenti supplendum est: nunc ergo emittendus ex paradiso est, et arcendus: et quae coepta est, superiore versu, irridendi illius stultitiam, continuatur oratio. Nam, si etiam comedisset ex arbore vitae; non tamen, postquam lata in illum fuit mortis sententia; vivere immortalem vitam potuit. Sed hoc per exprobrationem ei dictum est; ne, sicut comedendo vetitum fructum, se similem putabat futurum Deo in scientia; ita nunc quoque de arbore vitae sibi persvaderet se non moriturum esse, si ex illa comedisset; etiamsi mortis sententiam iam in illum pronunciasset Deus. „ Alienatus enim a vita, ait
„ S. Augustinus de Gen. ad Lit. l. 11. c. 40. non so-
„ lum, quam fuerat, si praeceptum servasset, cum
„ angelis accepturus, sed ab illa etiam, quam du-
„ cebat in paradiso, felici quodam corporis statu,

„ separari utique debuit a ligno vitae, quod ex ipso „ illi subsisteret felix ille status corporis ex re vi„ sibili virtute invisibili.“ Quid autem arbor vitae reipsa praestitisset, si homo sine peccato in paradiso perstitisset; iam ad capitis 2. v. 9. dictum est.
23. *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.*
24. *Eiecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.* Versatilis gladius ille est, qui in quamcunque partem vertatur, aciem ad secandum habet. Est ergo gladius duplici acie instructus, cum quo angelus collocatus fuit ante paradisum. Neque ulla causa est, cur non vere hoc in visibili forma credatur esse factum; ex quo criminis sui atrocitatem tanto manifestius perspicerent primi homines, siquidem aliae quoque, et variae Angelorum in conspicua forma adparitiones reperiantur esse factae, illasque exhibeat Scriptura.

CAPVT IV.

Cain occidit Abelem. Memorantur Henoch, et alii quidam, qui ex stirpe Caini descenderant. Adam in locum Abelis gignit Sethum.

1. *ADAM vero cognovit uxorem suam Hevam, quae concepit, et peperit Cain dicens: possedi hominem per Deum.* Uxorem cognoscere actionem ma-

trimonii significat. Qua in significatione etiam a Julio Caesare l. 6. de bello Gallico, ab aliisque Latinis auctoribus vox illa usurpatur. Cain in Hebraea lingva a radice *kana* (קָנָה) derivatur, quae possidere significat. 2. *Rursumque peperit fratrem eius Abel.* Hebel, ut in Hebraeo est, (הֶבֶל) vanitatem significat, et sic alterum filium a vanitate, quam in mundanis rebus iam erat experta, Heva denominavit. *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola.* Nondum carnes hominibus ad cibum fuerant permissae. Lanae igitur, et lactis tantum causa oves curaverat Abel, idque propterea, quod cum oves natura timida sint, et inermia animalia; facile iniuriis pateant ferarum aliarum animantium. 3. *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino.* 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum.* Hebraeï eadem voce *cheleb* (חֵלֶב) lac, et adipem adpellant. Eadem ratione Hugo Grotius utitur ad suam opinionem lac tantum, et lanam esse ab Abele in sacrificium oblata, neque esse ipsa etiam pecora in sacrificio mactata. Contrarium autem infertur ex facto Noemi, qui Genesis 8. v. 20. statim, ut prodiit ex arca post diluvium, et antequam Deus facultatem illi concessisset vescendi carnibus; holocaustum obtulit ex omnibus mundis animantibus. Quod illi in mentem facere non venisset; nisi hoc in more iam antediluviano tempore fuisset. Neque vero haec per cruenta sacrificia frequentata Religio ad aliquem alium congruentius, quam ad

Adamum referri potest. Nec enim dubio locus est, quin ille filios et posteros suos ritum colendi Deum docuerit.

Et respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius. 5. Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit. Levitici 9. v. 20. et saepe alias memorantur sacrificia, quae Deo erant accepta, a caelesti igne Divinitus esse absumpta. Quamobrem coniectura est, etiam ad Abelis oblationem, tali modo Deum respexisse. Nam, quo id reapse modo factum sit; Scriptura non demonstrat. At vero caussam, cur Abelis sacrificium Deo fuerit acceptum; Paulus demonstrat ad Hebraeos 11. v. 4. „Fide, „inquit, plurimam hostiam Abel, quam Cain obtu„lit Deo, per quam testimonium consecutus est es„se iustus.“ Ex quo intelligitur fidei, et Religionis, animique sinceritatem in Caino defuisse; ob quam causam illius sacrificium displicuerit Deo. „Portionem bonorum suorum obtulit, sed cor sibi „reservavit“ ait S. Augustinus l. 15. Civ. Dei. c. 17.

Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus eius. 6. Dixitque Dominus ad eum: quare iratus es, et cur concidit facies tua? 7. Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem male; statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius. Non tantum Hebraica, verum etiam Latina loquendi consvetudine in, et prae foribus rem dicimus eam esse, quae admodum vicina, et propinqua est. Si ergo benefeceris, dicebat Deus ad Cainum, hoc est, si eodem

modo tuum sacrificium bonum fuerit, quomodo illud obtulit Abel, recipies; fructum videlicet illius rei percipies, et eodem te favore, quo Abelem propter sacrificationem complectar. *Sed sub te erit appetitus eius:* peccati appetitus; hoc enim vocabulum antecesserat. Ad futurum autem Caini peccatum, et ad caedem fratris, quam iam tum in animo meditaretur, respexit Deus. Demonstrabat autem ipsi, quod etiamsi appetitus peccandi, et caedem fraternam perpetrandi illi venisset; ipse tamen animum suum in potestate habeat ad utramque partem, neque aliqua necessitate impellatur ad malum illud, quod menti incidit, perpetrandum. Ex quo manifeste illud quoque infertur, liberum arbitrium etiam post Adami peccatum permansisse homini, nec esse sublatum, sicut Luthero placuit.

8. *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.* 9. *Et ait Dominus ad Cain: ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: nescio. Num custos fratris mei sum ego?* 10. *Dixitque ad eum: quid fecisti? vox sangvinis fratris tui clamat ad me de terra.* Calmet per vocem sangvinis Abel intelligit illius consangvineos, uxorem nimirum, et illius liberos, quos iam tum habuerit Abel, quando interfectus est; siquidem Sethum, quem in illius locum suscepit, centesimo, et trigesimo aetatis suae anno Adam generaverit, (Gen. 5. v. 3.) ac proinde tantum iam aetatis Cain, atque Abel circiter attigerit,

quos susceptos esse non multo postea, quam Adam eiectus ex paradiso est, inde coniiciatur, quod Moyses in sua narratione Caini, et Abelis generationem statim post illam expulsionem collocet, et qui illius consangvinei cum propter illum interfectum ploratum edidissent, iste clamor sangvinis Abel fuerit, qui perlatus ad Deum sit. At vero hoc melius refertur ad significandam immanitatem ipsius huius criminis, quod clamasse ad Deum dicatur, quia in eo sangvis Abelis, innocenter fusus, Deum provocaverit ad vindicandum iniquissimum facinus. Istudque perspicitur ex S. Paulo. Qui ad Hebraeos 12. v. 24. comparationem faciens inter sangvinem Christi, et sangvinem Abel, „Accessistis, inquit, ad „testamenti novi mediatorem Jesum, et sangvinis „adspersionem melius loquentem, quam Abel" sicut ipsum sangvinem Christi proprie intellexit; ita consequens est, ut stet comparatio, Abelis quoque sangvinem proprie posuisse, ac proinde illum fuisse, qui ad Deum clamaverit. Melius autem locutus est sangvis Christi, quam Abelis, quod iste pro vindicta Deum interpellaverit; ille suo clamore propitiationem, et veniam humano generi a Deo impetraverit.

11. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sangvinem fratris tui de manu tua.* 12. *Cum operatus fueris eam; non dabit tibi fructus suos: vagus, et profugus eris super terram.* Septvaginta hoc ita verterunt: *gemens et tremens* (ςένων, καὶ τρέμων) *eris super*

terram: quia nimirum stimuli, et angores conscientiae, quos ob illud suum facinus patiebatur, ut vagaretur, et nullum sibi tutum locum putaret esse, fecerunt. 13. *Dixitque Cain ad Dominum: maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* S. Chrysostomus hom. 19. in Gen. excusare hoc Caini factum conatur, atque illud explicat de sola criminis agnitione, et confessione, non de desperatione. Pagninus vero sic istud reddidit: *maior est punitio mea, quam ut feram.* Et licet etiam hoc alterum, si ita a Caino est dictum, reprehensionem habeat, quod Deum nimiae, et iniustae severitatis arguat; tamen esse hoc ab eo cum desperatione veniae dictum S. Ambrosius l. 1. de Poenitentia cap. 9. aliique Patres docent, idque consentaneum quoque est Versioni Septvaginta: In qua sic est: μεῖζον ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναι με *maior est causa mea, quam, ut dimittatur mihi.* Eventus etiam demonstravit, quod desperaverit. In gratiam enim a Deo receptus fuisset; si ipse veniam ab eo quaesivisset.

14. *Ecce eiicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar, et ero vagus, et profugus in terra.* A facie terrae se dicebat eiiciendum, non quod prorsus ex omni terra esset eiiciendus: sic enim nec superstes ad ullum tempus mansisset; sed quod tranquillam stationem nuspiam habiturus esset. Illud autem: *a facie tua abscondar*, quoniam faciei erga aliquem conversio Dei benevolentiam significat, sicut illud est Psalmi: „Ne avertas faciem a me“ Psal. 26. v. 9. significat Dei aversio-

nem ab ipso. *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* 15. *Dixitque ei Dominus: nequaquam ita fiet: sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Chaldaeus loco: *septuplum* posuit: *in septimam generationem.* At vero hoc septuplum non aliud significat, quam gravem admodum poenam. Id, quod aliis confirmatur exemplis Scripturae: Psalmo 78. v. 12. „Redde vicinis nostris septuplum „in sinu eorum" iterum Psalmo 11. v. 7. Argentum probatum terrae, purgatum septuplum. *Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.* S. Chrysostomus hom. 19. in Gen. et S. Augustinus l. 12. contra Faustum cap. 12. censuerunt signum istud fuisse tremorem illum, quem gerebat in corpore. Qualenam autem hoc signum reipsa fuerit, ex quo ii, in quos inciderat, prohiberentur, ne manus illi inferrent, quoniam Scriptura ipsa non loquitur, certo dici non potest. Ne interficeret eum omnis, est loquendi phrasis ex indole Hebraica, idemque est, atque nullus. Quale illud etiam est Psalmi 118. v. 133. „Et non dominetur mei omnis iniustitia."

16. *Egressusque Cain a facie Domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Egressus a facie Domini, hoc est, vel ex loco, ubi modo ei apparuit Dominus; vel abiectus a Deo, atque exclusus ab illius benevolentia, et a quo Deus se averterit, quemadmodum hoc ad versiculum 14. supra explicatum est. „Quid est, *exiit a facie Dei?* „hoc est, inquit S. Chrysostomus hom. 20. in Gen.

„nudatus est praesidio Dei propter abominabile, „et perniciosum facinus.“ Loco vocabuli: *profugus*, in Hebraeo est *Nodh* (נוד) significatque omnino vi sua vagum, et profugum. Septvaginta autem isthic istud *Nodh* pro nomine proprio loci posuerunt: Habitavit, inquiunt, *in terra Naid.* (ἐν γῇ Ναίδ) Quae fortasse eadem fuit cum illa, quam Herodotus l. 7. Nysam, Strabo autem l. 11. Nisaeam adpellat. Nam ex Naid facile Nais, et hinc rursus Nisa, vel Nisaea potuit existere. 17. *Cognovit autem Cain uxorem suam, quae concepit, et peperit Henoch, et aedificavit civitatem, vocavitque nomen eius ex nomine filii sui Henoch.* Ptolomaeus l. 7. c. 3. Memorat in Susiana regione civitatem quamdam nomine Hanuchtam. Quae fortasse eadem fuit propter convenientiam nominis cum ea, quam aedificavit Cain.

18. *Porro Henoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech.* 19. *Qui accepit duas uxores: nomen uni Ada, et nomen alteri Sella.* De hoc facto Lamechi sic pronunciat S. Hieronymus l. 1. c. Jovinianum. „Primus, inquit, Lamech sangvina„rius, et homicida unam carnem in duas divisit „uxores. Fratricidium; et digamiam eadem cata„clysmi poena delevit.“ An tamen Lamech Cainum revera occiderit, infra adhuc examinabitur. 20. *Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.* Jam Abel erat ante pastor ovium. Sed Jabel cum tota sua familia

sic genus vitae pastoritium est secutus; ut cum pascuorum mutatione, tentoria quoque sua alio, atque alio semper post greges transferret. Qui usus etiam post diluvium apud Arabes, Scythas, aliosque populos obtinuit.

21. *Et nomen fratris eius Jubal: ipse pater fuit canentium cithara, et organo.* 22. *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, et faber in cuncta opera aeris, et ferri. Soror vero Tubalcain Noema.* 23. *Dixitque Lamech uxoribus suis Adae, et Sellae: audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum.* 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero Septuagies septies.* Non mediocriter hic locus sua obscuritate torquet Interpretes. Vulgo creditur Cain a Lamecho esse interfectus. Hebraei rem hanc narrant, quasi sic accidisset: Lamechum inter venandum ductu, et admonitione pueri, cum ipsius iam propter aetatem coecutirent oculi, sagittam emisisse in Cainum, qua ille peremptus sit, et ob quam rem Lamech illum puerum ita verberibus affecerit; ut ex plagis inflictis, lividoque corpore obierit; atque nomen etiam huius pueri conantur prodere, fuisseque Tubalcainum Lamechi filium. At vero hinc de Caini caede certi nihil confici potest. Id agnoscunt S. Chrysostomus, et Theodoretus in Genesim, pluresque alii Interpretes. Non est omnino hoc ex usu Moysis in scribendo, ut, si reipsa caedes illae fuissent patratae, cum eas commemoravisset,

visset, non simul eorum, qui interfecti erant, nomina exposuisset. Res itaque potius aliter ex contextu est intelligenda. Praecesserat Lamechum duas sibi accepisse uxores; describuntur deinde suscepti ex utraque uxore liberi, et quale vitae genus illorum fuerit, ac tandem istud subiicitur: *dixitque Lamech uxoribus suis: audite vocem meam etc.* Res erat tum insolens, illicita, invidiosa copulari pluribus uxoribus, et ab Adamo, aliisque facile fuit in reprehensionem vocata. Quare ea res merito sollicitas habere potuit Lamechi uxores, ne factum hoc illius impunitum non sinerent alii. Hanc igitur ob causam ille dicebat uxoribus suis Adae, et Sellae: *audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum.* Sunt verba blandientis, et demulcentis ipsas: *quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum.* Hebraicum *ki* (כִּי) cuius loco isthic Latinus Interpres causalem particulam: *quoniam* posuit, cum significationem omnino causalis particulae vulgo habet; tum etiam saepius adhibetur negationis gratia. Qualia plura sunt exempla: ut Isaiae 30. v. 21. „Haec via: „ambulate in ea: Non (Hebraice *ki* כִּי) declinetis „neque ad dexteram, neque ad sinistram" item Isa. 43. v. 22. Cap. 29. v. 16. et saepius alibi. Deinde, ubi Latine redditum habemus: *in vulnus meum, in livorem meum*, quod ne Latine quidem recte de aliena caede sumi potest, non enim is, qui laedit, et percutit, sed laesus, et percussus, vulneratur ac livescit; Hebraeus ibi adhibet praepositio-

nem Literae *Lamed* (ל) quae Hebraea praepositio iam vim habet nostrae praepositionis *in* vel *ad*; iam etiam ponitur loco nostrae praepositionis *a* vel *ab*. Tale exemplum est Genesis 1. v. 6. Nam, quod ibi etiam Latinus Interpres per praepositionem *ab* vertit, hoc in Hebraeo est cum praepositione illius Literae *Lamed*: *dividat aquas ab aquis:* (בֵּין מַיִם לָמָיִם) ut adeo Lamechi illa ad uxores dictio etiam verti sic possit: non occidi virum a vulnere meo, nec adolescentulum a livore meo; quem scilicet livorem, et quod vulnus is se diceret non illis inflixisse. Et si de Caino esset pronunciatum a Deo, esse septuplum puniendum illius interfectorem; de me, dicebat, qui tantum crimen non admisi, septvagesies septies, id est longe, et infinities maior vindicta, si me quis interficeret, caperetur. Magnum autem aliquem quemcunque, et interminatum numerum significat istud: sepvagies septies iuxta illud Matthaei 18. v. 22. „Non dico „tibi usque septies, sed usque septvagies septies.“ Non ergo alio haec Lamechi spectabat ad suas uxores oratio, quam ut eas metu liberaret, ne ei timerent, quod duas haberet uxores.

25. *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen eius Seth dicens: posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Omittit hic ulterius commemorare, et producere genealogiam stirpis Cain: sed ad Abelem, eiusque loco susceptum alium Adami filium Seth transfert orationem. Haec enim

est linea, unde Noe, deinde Abraham et ipse Christus descendit. Qui scopus est, quo descriptio haec omnis collineat. Finis enim legis Christus. Rom. 10. v. 4. 26. *Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Iste coepit invocare nomen Domini.* Hebraice *tunc coeptum est invocari in nomine Domini* (אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה) Quod, etsi non strictim secundum Hebraeum de Enos est dictum; tamen, quoniam hoc Moyses memoravit facta mentione de Enos; intelligitur hoc sic esse isthic memoratum; ut ad laudem, et commendationem Enosi voluerit pertinere. Quomodo hoc etiam intellexerunt Septvaginta, usi ipsi quoque pronomine demonstrativo ὗτος perinde atque Latinus Interpres posuit: *iste.* Quoniam autem Hebraicum *huchal* (הוּחַל) iam incipere, iam profanare etiam significat; Kimchi, pluresque Rabbini in hunc alterum sensum locum istum torserunt, atque Enosum profanationis, idolorumque cultus auctorem fecerunt, ita, ut apud Catholicos etiam Interpretes dubium de intelligentia illius excitaverint. Perperam autem Hebraei illi doctores ad profanationis sensum locum istum torquent. Neque enim significatio invocationis isthic desumitur ex voce *huchal*, sed ex *likro* (לִקְרֹא) quae vox, quin invocare significet, nullam prorsus dubitationem habet. Atque idem hoc magis determinatur etiam, et dignoscitur ex eo, quod verbo invocare adpositum sit istud: *in nomine Domini*, atque ipsum proprium sit Dei nomen Jehova: (יְהוָה) sicque verbum illud *huchal* pro pro-

fanare sumatur, prodiret malus iste, et secum ipse pugnans sensus: *tunc profanatum est invocando in nomine veri Dei.* Invocare autem in nomine Dei est idiotismus linguae Hebraeae, quod iuxta Syntaxim Latinam verti debet: invocare nomen Dei. Quandoquidem autem certum est non nunc primum invocatum esse, et cultum Deum, cum Abel iam sacrificium obtulerit Deo, nec dubitari possit, quin hoc idem quoque fecerit Adam, Deumque religiose coluerit, a quo eductus ex suo delicto est, ut est Sap. 10. v. 2. et virtutem accepit continendi omnia; istud de Enos non aliter intelligendum est, quam quod ille primus coetum illorum instituerit, qui religiosis officiis palam, ac publice colerent Deum; cum hoc antea quisque tantum pro se, et seorsim perageret.

CAPVT V.

Genealogia Adami usque ad Noe.

1. *HIC est liber generationis Adam.* Pro libro Hebraeum vocabulum est *sepher* (סֵפֶר) et generatim qualecunque scriptum, vel recensionem significat. Describitur autem isthic, et recensetur genus Adami per eam lineam quae per Sethum ducitur usque ad Noe. Personae autem sic ordine memorantur, ut earum primo aetas exponatur, qua filium gene-

rarunt, qui illis secundum hanc lineam successit; deinde quamdiu post hanc generationem aetatem suam produxerint; ac demum, quo anno aetatis suae mortui sint. Hoc autem toto capite, ac deinde etiam usque ad Thare patrem Abrahae Septvaginta Interpretes annos aliter computant, quam Vulgata nostra habeat, et Hebraea. Illi enim cuivis patriarchae, qui in hac genealogia ponuntur usque ad Noe, ad annum quo filium generarunt, centum annos adiiciunt, ita ut Adamus secundum illos Seth filium anno aetatis suae 230. generaverit, quod Vulgata et Hebraea dicit factum esse anno aetatis illius 130. Eodemque modo agunt cum patriarchis reliquis. Ac licet postea centum illos annos, quos addiderunt, rursus detrahant in summa annorum, qua ponunt illos vixisse, postquam generarunt filium; tamen in reliqua etiam numerandi ratione adhuc disconveniunt, atque hac mundi aetatem sic promovent; ut secundum eos anni 586 plures prodeant usque ad Diluvium, quam prodeant secundum Hebraeam, et nostram Vulgatam; et cum secundum hanc ducto calculo annus, quo factum est diluvium, in mundi annum incidat 1656. iuxta illos hoc accidisset anno mundi 2242. Consimiliter ad annum usque septvagesimum Thare, quando genuit Abrahamum, rursus superant eamdem Vulgatam, et Hebraeam annis 880; cumque ad illud usque spatium a diluvio secundum nos, et Hebraeos anni efficiantur tantum 292; secundum illorum calculum prodeant anni 1172: ac proinde universe 1466 annis differant in

tota computandi ratione a creatione mundi ad nativitatem usque Abrahae a Vulgata, et Hebraea.

Cur autem hoc fecerint Interpretes Septvaginta, et patriarchis centum annos addiderint ad illam aetatem, in qua dicuntur generasse filium; haec vulgo ratio redditur, quod servire voluerint vulgari opinioni annos aetatis patriarcharum esse non solares, sed tales tantum, ex quibus decem efficerent unum vulgarem, neve sumendo illos pro talibus, quales decem aequivalerent uni vulgari solari anno, inconveniens deinde illud enasceretur immatura, et puerili aetate, imo etiam saepe infantili susceptam ab illis esse prolem. Nam, cum Seth Enosum filium dicatur procreasse anno aetatis suae centesimo et quinto, Enos vero rursus Cainanum nonagesimo aetatis anno; consequens fuisset, ut sumendo istos annos pro lunaribus Seth Enosum anno aetatis suae undecimo, Enos autem Cainanum anno aetatis nono procreavisset. S. Augustinus de Civit. Dei Lib. 15. c. 12. adhuc sua aetate testatur quosdam fuisse, qui in ista opinione de annis lunaribus fuerint. Simulque docet ibidem cap. 13. non Septvaginta Interpretum, sed descriptoris opus istud fuisse, qui annos illos aliter posuerit. „Illa diversitas, inquit, „numerorum aliter se habentium in codicibus Grae„cis et Latinis, aliter in Hebraeis, ubi non est ista „de centum annis prius additis, et postea detractis „per tot generationes continuata parilitas, nec ma„litiae Judaeorum, nec diligentiae, vel prudentiae „Septvaginta Interpretum, sed Scriptoris tribuatur

„errori, qui de bibliotheca supra dicti regis (Pto-„lomaei) codicem describendum primus accepit.“ Consilium, cur hoc ab isto, qui annos mutavit, hoc ita factum sit, istaque discrepantia inducta, videtur fuisse, ne gentiles, si solares anni illi crederentur, tantam longitudinem aetatis legentes, fabulosum hoc esse suspicarentur. Etiam Samaritanus codex discrepat nonnunquam in annis ab Hebraeo. Quod itidem vitio tribuendum videtur cuiusdam vetusti descriptoris.

Est autem falsum patriarcharum illos annos non fuisse solares. Nam Moyses nuspiam inter annos, si quando illos memorat, discrimen aliquod facit. Jam vero ex descriptione diluvii, et ex narrationibus sequentis libri, qui Exodus inscribitur, luculenter apparet ipsum tales annos intellexisse, qui ex annuo solis motu efficiuntur. Et si etiam ab ipsis Septvaginta Interpretibus haec annorum introducta esset diversitas; tamen prae versione potior ipsius fontis, quae Hebraea Scriptura est, haberi deberet auctoritas. Atque illud tanto evidentius erroris, quoad annos, et eorum numerationem convincit Graecos Septvaginta Interpretum codices; quod secundum eos Mathusalem quatuordecim annis vivere debuisset ultra diluvium: nam Mathusalem iuxta chronologiam Septvaginta Interpretum, genuit filium Lamech anno suae aetatis 167, Lamech vero filium Noe procreavit anno aetatis suae 188. anno autem sexcentesimo vitae Noe factum est diluvium infra cap. 7. v. 11. ergo colligendo hos annos in unam

summam Mathusalem tum annos vitae 955 habere tantummodo debuisset: cumque etiam iuxta Septvaginta Interpretum positionem annos vixerit 969, consequens est tali ratione annum, quo vivere desiit, in annum decimum quartum post diluvium, quod anno sexcentesimo vitae Noe accidit, cadere debuisse: cum tamen certum sit illum nec in arca, ut superstes manere potuisset, fuisse; nec alios, quam, qui in arca fuerunt, superstites post diluvium mansisse. Gen. 7. v. 7. et 1. Pet. 3. v. 20.

In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. 2. *Masculum, et feminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati sunt.* 3. *Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit filium ad imaginem, et similitudinem suam, vocavitque nomen eius Seth.* 4. *Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios, et filias.* 5. *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est.* 6. *Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos.* 7. *Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios, et filias.* 8. *Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est.* 9. *Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan.* 10. *Post cuius ortum vixit octingentis quinque annis, et genuit filios, et filias.* 11. *Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est.* 12. *Vixit quoque Cai-*

nan septvaginta annis, et genuit Malaleel. 13. *Et vixit Cainan, postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios, et filias.* 14. *Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est.* 15. *Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared.* 16. *Et vixit Malaleel, postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, et genuit filios, et filias.* 17. *Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est.* 18. *Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Henoch.* 19. *Et vixit Jared, postquam genuit Henoch, octingentis annis, et genuit filios, et filias.* 20. *Et facti sunt omnes dies Jared, nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est.* 21. *Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalem.* 22. *Et ambulavit Henoch cum Deo, et vixit, postquam genuit Mathusalem, trecentis annis, et genuit filios, et filias.*

Ambulare cum Deo idem est, quod ambulare in eius lege. Significat enim coniunctionem, et coniunctam vitam agere cum Deo: quae coniunctio efficitur per amorem: amor autem situs est in mandatorum Dei observantia. Nam „qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me“ ait Christus Joan. 14. v. 21. Quamobrem etiam de Noemo, qui a iustitia laudatus est, subsequente capite est, ambulasse illum cum Deo, et ad Abrahamum sic quoque Deus dixit: „Ambula coram me, et esto perfectus.“ Gen. 17. v. 1.

23. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.* 24. *Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Encomium ambulasse illum cum Deo iterum repetitur, quando ex hoc mundo raptus est ad declarandam illius in hac ambulatione cum Deo perseverantiam. Quo autem ablatus a Deo sit, et cuius rei gratia intelligitur ex Eccli. 44. v. 16. „Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det „gentibus poenitentiam.“ Atque citra mortem illum esse translatum, diserte a Paulo dicitur ad Hebraeos 11. v. 5. „Fide, inquit, Henoch translatus „est, ne videret mortem, et non inveniebatur, „quia transtulit illum Dominus.“ Unum futurum ipsum ex duobus illis testibus, qui in fine mundi, quando grassabitur Antichristus, propheticum, et exhortandi homines ad poenitentiam munus gesturi sunt, Apocalypseos 11. v. 3. inde deducitur, quod Henochum Ecclesiasticus ideo in paradisum translatum esse dicat, ut det Gentibus poenitentiam. Certe autem isto munere non fungetur extra hunc mundum, et in paradiso, ubi iam poenitendi locus non est. Consequens ergo est, illum adhuc in mundum istum esse rediturum, ubi prophetae, et Divini praeconis officium exercebit. Ubinam autem paradisus ille, quo translatus est, sit, postquam illius paradisi, in quo Adam fuit, nullum iam vestigium superest, definiri non potest. Latro poenitens eadem adhuc die, qua pependit in cruce, futurus erat in paradiso Luc. 23. v. 43. Paulus quoque raptus

fuit in paradisum 2. Cor. 12. v. 4. Ubicunque demum ille modo ad illud tempus, quo redibit, est, et tranquillam, beatamque vitam degit, dici is locus paradisus potest. Credibile est illum cum Elia, qui consimiliter raptus ante mortem est, venturusque esse dicitur Matth. 17. v. 11. in uno loco degere.

25. *Vixit quoque Mathusalem centum octoginta septem annis, et genuit Lamech.* 26. *Et vixit Mathusalem, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios, et filias.* 27. *Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est.* 28. *Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium.* 29. *Vocavitque nomen eius Noe, dicens: iste consolabitur nos ab operibus, et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Praedictioni huic eventus respondit. Ex quo intelligitur Lamechum hic usum esse prophetico Spiritu. Septvaginta hic verterunt: οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν: *Iste requiescere nos faciet ab operibus nostris.* Quae versionis varietas inde orta est, quod Nomen Noe a duplici Hebraea radice derivari possit, videlicet ab *nuach* (נוּחַ) et *naham* (נָחַם) quarum prior *quiescere*, altera *consolari* significat. Nec ista inter se multum differunt. Solatium enim, et levamen percipit is, cui quies ex labore, atque aerumna praestatur. Id vero factum est per Noe, quando mundus ex suo per diluvium interitu servatus per illum, et reparatus est. In quo typum Noe gessit Christi: cu-

ius Crucem arca figuravit; quod sicut ibi, qui in arca erant, per lignum, unde arca erat exstructa; ab interitu servati sunt; ita, qui in Christum crucifixum credunt, per illius Crucem, et mortem, quam in Cruce subiit, ab aeterna morte liberentur. Aquae, quae arcam sublevarunt, ne a diluvio absorberetur, figuram gesserunt aquae baptismatis. Sic enim de arca, et de illis aquis pronunciat Petrus 1. ep. 3. v. 20. „In qua, inquit, pauci, id „est octo animae salvae factae sunt per aquam, „quod et vos nunc similis formae salvos facit „baptisma.“

30. *Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, et genuit filios, et filias.* 31. *Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septvaginta septem anni, et mortuus est. Noe vero, cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, et Japhet.* Non simul, et ex uno partu omnes tres suscepit; sed illo aetatis suae tempore istos generare coepit, ac primo quidem Japhetum. Nam iste Gen. 10. v. 21. vocatur Semi frater maior, obscurius id quidem in Versione Vulgata, sed clare, et perspicue in Hebraeo, et in Versione Septvaginta, quod ibi proponetur. Sem autem non quingentesimo anno Noe, sed biennio tardius natus est, siquidem biennio post diluvium, quod sexcentesimo anno Noe accidit, centum fuit annorum. (Gen. 7. v. 6. cap. 11. v. 10.) Rursus autem Cham Gen. 9. v. 24. vocatur filius minor. Quare certum est non fuisse trigeminos, et uno partu edi-

tos. Sem tamen non tantum Chamo, verum etiam Japheto anteponitur. Quia iste est, per quem deinde genealogia ducitur ad Abraham, et ex cuius proinde stirpe descendit Christus. In hac genealogia ab Adamo usque Noe sunt personae decem, ita ut etiam ipse Adam et Noe in hoc numero comprehendatur. Et quamvis nemo non istorum plures tam filios, quam filias habuerit, isti tamen silentio praetermittuntur, quod ad istam genealogiam non spectaverint, et quam solam genealogiam propositum Moyses habuit texere, quod illa ad Christum pertinuerit, atque per hos progenitores ab Adamo Christus descenderit.

CAPVT VI.

Diluvio Deus decernit humanum genus delere. Solum autem Noemum eximit ab interitu, cui mandatum dat de construenda arca, et introducendis in eam animalibus.

1. *CVMQVE coepissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent,* 2. *videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Non defuerunt vetusti quidam Patres, ut Justinus, Athenagoras in suis Apologiis, Tertullianus de cultu feminarum cap. 2. S. Cyprianus de disciplina, et habitu Virginum, S. Ambrosius in libro de Noe, et

Arca, qui censerent istos, qui hic filii Dei vocantur, angelos fuisse, qui mulierum specie capti connubia cum illis iniverint, et unde gigantes deinde procreati sint: quin istud ipsum etiam fuisse angelorum peccatum, ob quod e caelo pulsi, et deturbati sint. „Verum Scriptura nos aliter docet, ait „S. Chrysostomus hom. 22. in Genesim, nempe an„tequam formaretur primus homo, a sua dignitate „excidisse et diabolum, et eos, qui cum eo ma„iorem, quam decebat, dignitatem ambiebant, „sicut et Sapiens quidam inquit: *invidia autem* „*diaboli mors intravit in mundum*. Dic quaeso mi„hi, si non ante factum hominem excidit, quomo„do in tanta dignitate manens invidit homini? Quo„modo rationi consonum est angelum incorporeum, „et in tali dignitate constitutum homini invidere cor„pore circumamicto? Sed quoniam a superna glo„ria in extremam ignominiam deiectus fuerat, li„cet esset incorporeus, videns formatum hominem „in corpore tantum honorem, Conditoris bevevo„lentia sortitum, invidia exarsit, et deceptione, „ad quam serpentis opera usus est, hominem mor„tis poenae obnoxium fecit. Talis enim est mali„tia: non potest non graviter ferre aliorum felici„tatem. Quod igitur diabolus, et omnis eius co„hors olim a gloria illa exciderint, et ignominiosi „evaserint, manifestum est. Alioquin etiam quan„ta non dementia plenum fuerit dicere angelos ita „deiectos, ut cum mulieribus rem haberent, et in„corporea illa natura copularetur corporibus? An

„ non audis Dominum dicentem (Matth. 22. v. 30.)
„ de angelorum substantia: *In resurrectione enim*
„ *neque matrimonium contrahunt, neque nubunt,*
„ *sed sunt, sicut angeli Dei?* Neque enim possibi-
„ le est incorpoream naturam talem unquam concu-
„ piscentiam habere. - - - Docuimus vos morem es-
„ se Scripturae, ut homines filios Dei vocet (ex
„ istis Scripturae locis hoc demonstravit: *ego dixi:*
„ *dii estis* Ps. 81. v. 6. *Filios genui et exaltavi*
„ Isa. 1. v. 2. *Primogenitus meus Israel* Exod. 4.
„ v. 22.) Et quia isti a Setho originem trahebant,
„ et ab eius filio, qui adpellatus est Enos, dicit
„ enim: *iste speravit invocare nomen Domini Dei,*
„ ab illo postea nati vocati sunt filii Dei in Divi-
„ nis Scripturis, propterea; quod eousque paren-
„ tum virtutem imitati sunt. Filios autem Cain,
„ et qui ex eo nati, et qui ante Seth geniti fue-
„ runt, filios hominum vocat.“ Hanc eamdem de angelis sententiam refutavit etiam S. Augustinus de Civ. Dei l. 15. c. 23.

3. *Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Dei Spiritus est vita, quam hominibus dedit. Hanc vero vitam pronunciat non permansuram in homine in aeternum. Cuius loco in Hebraeo est *holam* (עֹלָם) quae vox cum aeternum, tum etiam phrasi Hebraica significat tantum aliquam longiorem durationem. Neque enim nunc Deus ex immortalitatis statu deiecit homines; sed iam morti illos prius sub-

iecit statim, quando legem de non comedendo scientiae boni, et mali fructu transgressi sunt. Hoc igitur isthic *in aeternum* significat, non ultra, et diutius esse victuros, quos scilicet delere diluvio decreverat. „Ac si diceret, ait S. Chrysostomus „hom. 22. in Gen. non sinam illos posthac vivere.“ *Quia caro est.* „Hoc est: ait idem S. Chrysosto„mus homilia eadem, eo quod carnalibus operi„bus seipsos totos dedant, - - - Perpetuus enim „Scripturae mos est carnem vocare carnales: sicut „virtute praestantes carnis expertes nominat, quem„admodum Paulus dicit: *Vos autem non estis in „carne* (Rom. 8. 9.) non, quod non carne cir„cumdati essent; sed quia carne circumdati supe„riores erant carnalibus affectionibus, et sensibus.“ *Eruntque dies illius centum viginti anni.* „Quod „non sic accipiendum est, ait S. Augustinus de „Civ. Dei l. 15. c. 24. quasi praenunciatum sit, „post haec homines centum viginti annos vivendo „non transgredi, cum et post diluvium etiam quin„gentos excessisse inveniamus. Sed intelligendum „est hoc Deum dixisse, cum circa finem quingen„torum annorum esset Noe, id est: quadringentos „octoginta vitae annos ageret, quos more suo „Scriptura quingentos vocat, nomine totius maxi„mam partem plerumque significans, sexcentesi„mo quippe anno vitae Noe, secundo mense, fa„ctum est diluvium: ac si centum viginti anni prae„dicti sunt futuri vitae hominum periturorum, qui„bus transactis diluvio delerentur.“

4. *Gigantes*

4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, isti sunt potentes a seculo, viri famosi.* Gigantes in Hebraeo *nephilim* (נְפִלִים) adpellantur. Quae vox significat tales, qui viribus suis stulte confisi superbe, atque violenter in alios irruerent. Quale superbiae, et temeritatis ex fiducia suarum virium elogium ipsis etiam Sapiens c. 14. v. 6. et Ecclesiasticus cap. 16. v. 8. tribuit. Exstitisse autem homines ante diluvium inusitata proceritate tanto minus mirabile est, quod etiam postea istius generis plures homines exstiterint Moysis, et Davidis adhuc aetate. Qualis Og fuisse memoratur Deut. 3. v. 11. et integri populi Emim, Enacim, et Zonzomin gigantea magnitudine eiusdem Deuteronomii cap. 2. v. 10, 11, 20. et quinque gigantes, quos David interfecit 1. Reg. 17. v. 4. et 2. Reg. 21. v. 16.

5. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* „Hoc „est, ait S. Chrysostomus hom. 22. in Gen. magno „studio, nihil obiter, nihil negligenter ab eis fit, „neque brevi tempore, sed omnibus diebus, omnem „suam vitam in hoc impendunt.“ 6. *Poenituit eum, quod hominem fecisset in terra.* „Ubi legi„tur, ait S. Augustinus de Civ. Dei l. 17. c. 7. „quod poeniteat Deum, mutatio rerum significa„tur immutabili praescientia manente Divina.“ *Et tactus dolore cordis intrinsecus, 7. delebo, inquit,*

hominem, quem creavi a facie terrae: ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres caeli. Poenitet enim mè fecisse eos. Dolor cordis in Deo eadem est, quae poenitentia. Intrinsecus autem sive intimus iste dolor dicitur, tanquam, qui secundum loquendi rationem humanam fuerit vehementissimus; quo non aliud, quam firmitas declaratur illius decreti, quo Deus deleturus per diluvium erat hominem. „Jam forte dixerit aliquis, verba sunt S. Chrysostomi hom. 22. in Gen. „quare cum homo in malum declinavit, etiam bruta eamdem poenam sustinent? Merito sane. Num „propter suum ipsorum usum producta sunt bruta? Propter hominem facta sunt. Cum igitur hic „e medio auferatur, quis illorum usus esset? Idcirco et istam poenam communem ferunt, ut indignationis gravitatem addiscatis. Et sicut ab initio cum primus homo peccasset, terra maledictionem accepit; sic et nunc cum abolendus esset homo, bruta quoque cladis socia fiunt.“

8. *Noe vero invenit gratiam coram Domino.* 9. *Hae sunt generationes Noe: Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Hoc est: inter homines eo tempore generatos, et qui tum vixerunt. „In tempore illo ait S. Chrysostomus „hom. 22. in Gen. in generatione illa perversa, „quae adeo in malum declinavit, quae neque vestigium virtutis prae se ferre voluit.“ *Cum Deo ambulavit*, 10. *et genuit tres filios Sem, Cham, et Japheth.* 11. *Corrupta est autem terra coram*

Deo, et repleta est iniquitate. 12. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram,* 13. *dixit ad Noe: finis universae carnis venit coram me.* „Hoc „est, advenit tempus, ait S. Chrysostomus hom. „24. in Gen. quo secandum erit, et ulceris repen„tis vis compescenda.“ Carnis autem nomine homines adpellantur, non tantum per Synecdochen, partem sumendo pro toto; verum etiam, ut iam supra v. 3. demonstratum est, quod iidem homines libidinosi, et toti secundum carnem essent: *Repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra.* 14. *Fac tibi arcam de lignis laevigatis.* Hebraice de lignis *Gopher.* (גֹּפֶר) Quod qualenam adcurate lignum sit, dissident Interpretes, et lingvae Hebraeae gnari. Septvaginta hoc verterunt: ἐκ ξύλων τετραγώνων *ex lignis quadrangularibus*, Paraphrastes autem Chaldaeus cedrum isthic pro Gopher posuit, Arabs buxum, Syrus lignum viminis. Unde, quoniam antiqui Interpretes in hoc nomine interpretando non conveniunt; videtur non species haec certa esse, sed tantum generale nomen; quo proprietas explicetur ligni, quod ad arcam assumendum fuerit. Quemadmodum hoc etiam explicuit Rabbinus Salamon, ben Melech, in Michlal Jophi. Ubi docet lignum hoc esse leve, quodque facile aquis supernatet.

Mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus, et extrinsecus. 15. *Et sic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcae,*

quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. Jam olim Celsus, gentilis philosophus, et Appelles haereticus, ut oppugnarent Scripturam, ex hac delineatione arcae inferre conabantur, repugnantiam de tot animalibus cum annona, quae per annum sufficeret, quanto spatio scilicet duravit diluvium, ad hanc arcam concludendis, et compingendis. Quem veterem Celsiani ingenii partum nunc iterum recoxerunt vulgo Deistae, et nostri aevi illuminati philosophi. Origenes ad refellendum Celsum, et Apellem homilia 2. in Genesim cubitos in hac descriptione arcae vult sumendos esse non vulgares, verum geometricos, et quorum unus magnitudine sua aequet vulgares sex, taliumque geometricorum cubitorum usum fuisse in Aegypto, quamque disciplinam et Moyses ipse ab Aegyptiis hauserit, atque etiam usurpaverit. Ludovicus Capellus triplex plane cubitorum genus distinguit: maiorum, minorum, et mediocrium. Apud Ezechielem quidem cap. 43. v. 13. in dimensione templi, quod ibi describitur, cubitus memoratur, qui palmo superet vulgarem: verum ante tempus captivitatis Babylonicae, ubicunque in libris Canonicis de cubitis aliquis sermo est, nullum prorsus ponitur discrimen, quin Deuteronomii cap. 3. v. 11. cubitus, quo ibi mensura instituitur, diserte definitur esse ad mensuram cubiti virilis manus; ut adeo, quoniam Moyses de cubitis in constructione arcae nullum aliquod discrimen, et diversitatem posuit; illi etiam non alii, quam vulgares sint intelligendi.

Neque tamen arca non satis erat capax ad recipienda omnia illa animalia, annonamque pro iis ad unum, et amplius etiam annum, omneque id comprehendendum, quidquid cogitatione assequimur ibi in usum eorum, qui clausi erant, debuisse esse. Id, quod Joannes Buteo Anglus, et Le Pelletier Rothomagensis, revocando rem etiam ad calculum, demonstrarunt. Iste posterior assumpto ad calculum cubito, cuius mensuram Joannes Graves, Astronomiae in Academia Oxoniensi Professor, Cairo ex Aegypto attulerat, quique collatus cum pede Parisiensi viginti, et dimidium fere digitum illius aequabat, quamque mensuram et cum antiquo Aegyptiorum cubito convenire, et usurpatam etiam ab Hebraeis, quorum mensuris adsveverant, quando illorum civitates aedificare debebant, prorsus rationi conforme est, iste, inquam, isto tali cubito assumpto ad calculum, ductoque calculo deprehendit aream illius arcae fuisse capacem cubitorum cubicorum 450000. Tum tota arca in tres contignationes distributa praeter infimam illius partem, in qua sentinam collocavit, additis singulorum animalium diversis claustris, atque inito numero omnium animalium, quae intrare in arcam, ut vivere sub diluvio possent, debebant, institutaque proportione ad eorum magnitudinem addita etiam quantitate victus, et annonae, quae universis ad annum sufficeret, ita ut etiam 31174. urnas Parisienses aquae dulcis in eius sentina constituat, arcam omnino capacissimam sine ullis angustiis reperit ad multitu-

dinem omnem illam animalium cum sufficiente annona continendam, et comprehendendam. Etiam Buteo ex suo calculo idem deduxit, licet prorsus vulgares, et usitatos cubitos adsumpsisset ad calculum. Vanissimi autem homines in sacris Literis, et Religione cavillantur, quidquid non statim perspiciunt. Le Pelletier multa etiam millia ovium ad arcam conclusit ad victum carnivororum animantium. Quod tamen ne quidem erat necessarium. „Novimus enim, ait S. Augustinus de Civ. Dei. l. „15. c. 17. quam multa animalia, quibus caro cibus est, frugibus, pomisque vescantur, et maxime fico, atque castaneis. Quid ergo mirum, si „vir ille sapiens, et iustus, etiam Divinitus ad„monitus, quid cuique congrueret, sine carnibus „aptam cuique generi alimoniam praeparavit, et „recondidit? Quid est autem, quo vesci non coge„ret fames? Aut quid svave non, ac salubre face„re posset Deus, qui etiam, ut sine cibo viverent, „Divina facilitate donaret?“ Nec solam hic humanam industriam, sed Divinam providentiam fuisse, cogitandum est. An Noe etiamsi filiorum, vel aliorum hominum usus fuisset adiutorio, omnium animantium, et maxime volucrium species colligere potuisset, ut ne una quidem omitteretur? „Non fuit ista cu„ra, ait S. Augustinus citato loco, illius hominis vel „illorum hominum, sed Divina. Non enim ea Noe „capta intromittebat, sed venientia, et intrantia per„mittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum est: „*intrabunt ad te*, non scilicet hominis actu, sed „Dei nutu.“

16. *Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem eius.* Quandoquidem, ut ex Hebraeo magis apparet, pronomen: *eius* non cum fenestra concordat, verum cum arca (וְאֶל־אַמָּה תְּכַלֶּנָּה) *et ad cubitum consummabis eam*, est enim affixum generis feminini concordans cum arca, non cum fenestra, quae Hebraeis masculini generis est; non igitur hoc ad fenestram pertinet, quam magna et alta esse debeat, verum ad arcam: quanto spatio infra illius verticem, et tectum constitui fenestra debeat. *Ostium autem arcae pones ex latere; deorsum caenacula, et tristega facies in ea.* Quae caenacula, et tristega Latinus Interpres posuit, hoc de tribus contignationibus clarius est in Hebraeo: *Inferiora secunda, et tertia facies ei:* (תַּחְתִּיִּם שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים תַּעֲשֶׂהָ) 17. *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitae est subter caelum: universa, quae in terra sunt, consumentur.* 18. *Ponamque foedus meum tecum; et ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum.* Pactum hoc, atque foedus erat de non inducendo amplius diluvio, uti hoc deinde infra capitis 9. v. 11. clarius dicitur: „Statuam pactum meum vobiscum, et nequa-„quam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii"

19. *Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam ut vivant tecum masculini sexus, et feminini.* 20. *De volucribus iuxta genus suum, et de iumentis in genere suo, et ex*

omni reptili terrae ſecundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum: Hebr. *venient ad te* (יָבֹאוּ אֵלֶיךָ) Ex quo sensus iste deducitur animalia ductu Dei intravisse ad arcam, quin Noe illa conquirere, et comprehendere debuerit, uti hoc iam superius ad 15. versiculum istius capitis demonstratum est: *ut possint vivere.* 21. *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quae mandi possunt, et comportabis apud te, et erunt tam tibi, quam illis in cibum.* 22. *Fecit igitur Noe omnia, quae praeceperat illi Deus.*

CAPVT VII.

Noe, et animantia ingrediuntur arcam: ſit deinde diluvium, quindecim cubitis superans vertices altissimorum montium.

1. DIXITQVE *Dominus ad eum: ingredere tu, et omnis domus tua in arcam. Te enim vidi iustum coram me in generatione hac,* id est, ut iam superiore capite demonstratum est, inter homines modo generatos, et qui nunc viverent. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, et septena masculum et feminam: de animantibus vero immundis duo, et duo: masculum, et feminam.* Origenes, et Auctor Quaestionum ad Orthodoxos, hoc de septenis ex mundorum animantium speciebus sic sumpserunt, ut septem paria censue-

rint ex illis in arcam esse accepta, et introducta. At verisimilius est istud: septena sic esse sumendum, ut non septem et septem, hoc est, bis septem ex eadem mundorum animalium specie fuerint accepta; sed septena quidem hinc, septena autem illinc ex altera specie: quemadmodum *duo et duo* quoad immundas species non sic est positum, quasi ex eadem immundorum specie duo, et duo debuissent accipi; sic enim fuissent quatuor, et duo paria: sed distributive hoc positum est, ut duo quidem ex hac, altera duo ex alia specie acciperentur. Quomodo etiam S. Chrysostomus istud sumpsit hom. 24. in Genesim, et S. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum, et quam sententiam Interpretes vulgo sequuntur omnes. Monendum autem hic habeo in Versione Latina S. Chrysostomi esse isthic posita septem paria, cum Graece tantum sint septem, quoad munda animalia, quae inducta sunt in arcam: vocabulum autem *paria* de suo tantum adiecit interpres S. Chrysostomi Latinus.

3. *Sed, et de volatilibus caeli septena, et septena masculum, et feminam, ut salvetur semen super faciem universae terrae.* 4. *Adhuc enim et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terrae.* 5. *Fecit ergo Noe omnia, quae mandaverat ei Dominus.* 6. *Eratque sexcentorum annorum, quando diluvii aquae inundaverunt super terram.* 7. *Et ingressus est Noe, et filii eius,*

uxor eius, et uxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluvii. 8. *De animantibus quoque mundis, et immundis, et de volucribus, et ex omni, quod movetur super terram.* Et superius, et nunc iterum animalia sic memorantur, ut discrimen inter illa fiat, aliaque ex his munda, alia immunda esse dicantur. Cumque istud discrimen reipsa in animalibus, quae inducta in arcam sunt, a Noe observatum sit; profecto vigere illud iam tum, Noemoque notum esse oportuit, atque adeo iam ante legem, quae per Moysem a Deo lata est, et in qua discrimen illud descriptum est; huius discriminis certa quaedam erat notitia. Deinde quomodo illi ante diluviani homines scire potuerunt, quaenam animalia offerre deberent in sacrificiis? Nam, non qualibuscunque animalium victimis, sed solis mundis esse sacrificatum Deo, docet factum Noe. Qui, postquam egresus est ex arca post diluvium, non promiscue, sed ex mundis tantum animalibus victimas delegit ad sacrificium. Cum igitur vi naturali ingenii perspici vix potuerit, quaenam relate ad sacrificium munda censenda essent animalia; consequitur primis statim hominibus aliquam a Deo fieri debuisse revelationem, qua discrimen illud animalium mundorum ab immundis agnoscerent.

9. *Duo, et duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut praeceperat Dominus Noe.* 10. *Cumque transissent septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram.* 11. *An-*

no sexcentesimo vitae Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae caeli apertae sunt. Duplicem annum, duplexque illius initium Hebraei habuerunt. Sacrum videlicet annum, quem in vere auspicabantur, et civilem, quem in autumno. Sed ille sacer institutus tantum a Moyse est, et observari coepit ab Israelitarum primo paschate, et ab illorum exitu ex Aegypto. Cumque nunc Moyses nihil dicat, qualem annum intelligat, et vulgaris, antiquaque consvetudine frequentatus annus Israelitis is, qui in autumno coepit, fuerit, iste magis videtur esse intelligendus. Quod Moyses, si iam hic, antequam sacer ille annus institutus est, iuxta illius modum loqui voluisset, hoc dicere, et notare, praetermissurus non videatur fuisse. Anni autem civilis Hebraeorum primus mensis *Tisri* erat, nostroque Septembri respondebat, ac veluti luna aequinoctialis citius, aut serius contingebat, unde mensis iste numerabatur; ita primus ille mensis etiam plus, vel minus in Octobrem se se immergebat. Ex quo coniectura circiter fieri potest de diluvio, quando coeperit. Lancelotius primam diem diluvii anno mundi 1656. in diem octavam, secundum nos, Decembris collocat ex eo, quem ipse instituit chronologico et secundum Astronomicas rationes calculo. Abyssus Graecum est vocabulum, et significat quasi fundo omni carentem profunditatem. In Hebraeo pro abysso vocabulum est, quod fontes significat: *maenoth* (מַעְיְנֹת) subterraneae

autem aquae intelliguntur, quae tum in diluvio eruperunt. Cataractae, itidem Graecum vocabulum est, et significat id, quod cum impetu fluit, ideoque translate pro sublitiis moenium portis, quibus adversum hostem subito patefactis miles cum impetu emittitur, usurpabatur. Hoc igitur eodem nomine vis illa intelligitur, quae nubes in caelo suspensas tenebat, et qua sublata, imbres se in terram effundebant. „Non quod cataractae sint in „caelo, ait S. Chrysostomus hom. 25. in Gen. „sed omnia nobis per familiaria verba (Scriptura) „loquitur, quasi diceret: praecepit tantum Domi„nus, et statim aquarum natura mandato Condi„toris obedivit, et ut confluxit, totum orbem „inundavit.“

12. *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.* 13. *In articulo diei illius ingressus est Noe, et Sem, et Cham, et Japheth filii eius, uxor illius, et tres uxores filiorum eius cum eis in arcam.* Ante hos iam septem dies, ut est huius capitis v. 1. et 4. mandatum Noe accepit, ut ingrederetur arcam. Cum ergo nunc tantum ingressus sit, postquam elapsi dies illi septem sunt; intelligitur illud Dei ad Noe mandatum nonnisi spectavisse ad hunc ipsum octavum ab inde diem, quo ingredi debebat arcam. Neque enim si alio praeceptum hoc spectavisset; ille, qui tam Dei observans, atque iustus erat, aliter quam imperatum erat, fecisset. 14. *Ipsi, et omne animal secundum genus suum, universaque iumenta in ge-*

nere suo, et omne, quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universae aves, omnesque volucres 15. *ingressae sunt ad Noe in arcam bina, et bina, ex omni carne, in qua erat spiritus vitae.* 16. *Et, quae ingressa sunt, masculus, et femina ex omni carne introierunt, sicut praeceperat ei Deus, et inclusit eum Dominus de foris.* 17. *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram, et multiplicatae sunt aquae, et elevaverunt arcam in sublime a terra.* 18. *Vehementer enim inundaverunt, et omnia repleverunt in superficie terrae. Porro arca ferebatur super aquas.* 19. *et aquae praevaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo caelo.* 20. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.* Cum dicuntur operti esse diluvio omnes montes excelsi sub universo caelo, satis profecto declaratur universalitas huius diluvii, quod non aliquam orbis partem, sed omnino totum orbem inundaverit. Sunt tamen, qui hoc negent, et partim illud extenuare volunt, ut Isaacus Vossius, quod non pertinuerit ad universum mundum, sed tantum ad certam illius regionem; partim totam hanc etiam narrationem, velut fictam tanquam ab istis aquis, quae fecisse diluvium dicuntur, fieri illud non potuerit, rident et explodunt. Suntque iidem isti, qui etiam adversus arcam, quod in illa, quae ei tribuitur magnitudine, comprehendi omnia totius mundi animalia non potuerint, consurrexerunt, at-

que ingenium suum acuerunt. Negant enim aquas istas omnes tam e caelo demissas, quam ex imo etiam terrae eductas assurgere potuisse in tantam molem; ut altitudine superarent vertices altissimorum montium. Vossius ponit aquas omnes e caelo deductas ad terrae superficiem non plus habituras in altitudine, quam unum cum dimidio pede. Itidem aquas, quae infra superficiem terrae sunt, dicunt si educantur, non altius assurrecturas, quam ad aliquot pedes, cum tamen altissimorum montium perpendicularis altitudo duodecim millia pedum habeat. Si autem rarefactione ipsarum volumen fuisset auctum; tum aquas, ita rarefactas minime fuisse idoneas, ut sustentent, et elevent, tam gravem praesertim, et onustam arcam. Ego vero instituto calculo, sic ut additis ad diametrum terrae non tantum quindecim illis cubitis, quibus aquae eminebant supra altissimos montes in diluvio, sed in vicem etiam unius leucae Gallicae, quae altissimorum montium habetur esse magnitudo, adsumpto milliari Germanico, quod duabus circiter quintis partibus maius leuca est; cum investigavissem telluris soliditatem, quae esset, si omni ex parte superficies illius protenderetur ad unum milliare Germanicum, atque hinc deinde soliditatem quae propria telluris est, subtraxissem; inveni ego tali modo molem aquarum, quae tempore diluvii exundavit per terrae superficiem ad altitudinem milliaris Germanici, etsi, ut iam dictum est, ne quidem ad tantam altitudinem aquae reipsa in diluvio ex-

creverint, sed duabus circiter quintis partibus unius milliaris humiliores fuerint, reperi inquam eam molem aquarum, quae in diluvio eminebat, et altior erat superficie terrae, licet superaret altissimos etiam montes, comparate ad terram fuisse in proportione non nisi, ut unum ad quingenta octoginta novem. Jam vero ex aquis, quae sunt in superficie terrae, atque ex earum quantitate relate ad terram solidam, tanquam per analogiam potest etiam coniectura fieri, quantae aquae sint infra terram in illius visceribus. Occupant autem duas tertias partes telluris aquae in illius superficie, idque tanta in maribus altitudine, ut teste Plinio l. 2. c. 102. vel in Ponto Euxino quindecim stadiorum profunditas deprehensa sit, in Oceano autem, ubi in altum provecti sunt, ne fundum quidem navigatores possint attingere. Requirebatur autem ad generale illud diluvium nonnisi una ex quingentis et octoginta novem illius partibus, imo ne tantilla quidem, quoniam duabus quintis fere partibus mensuram montium altiorem in demonstratione sumpsimus, quam reipsa alti montes sint. Tantillum ergo aquae relate ad totam molem educi e terrae imo non potuit ad inundandam totam illius superficiem? Omitto, quod ex illa mole aquae diluvialis multum etiam demere oporteat propter maximos, plurimosque tractus montium, in telluris superficie, qui tantum spatii ex diluvio, quanti illi ipsi montes sunt, expleverunt, et effecerunt. Ubi praeterea sunt aquae, quae ex caelo deciderunt per quadraginta dies, at-

que noctes pluviae? Nam, quod non plus omnes illae aquae ex caelo si ruant, efficiant, quam pedem unum cum dimidio in altitudine, hoc asseri nullatenus potest. Nam hoc utique inde esset definiendum, quantae aquarum moli ferendus sit aer, qui aquas sustentat in caelo. Atqui imperite ex pressione ipsius in telluris superficiem, argumentum sumitur, quantum sustinere possit superne. Hic enim in superficie vis illius ab alio aere excipitur, atque eliditur, quod non item superne contingit. Cuius quanta vis sit, nisi aer aeri occurrat, sibique ipse resistat, ne opus quidem ad perspiciendum multa est philosophia, vulgariaque docent exempla. Quantam enim vim habet modicus aer constrictus in pulvere pyrio, quando per ignem laxatur? Quantos, et quam graves globos propellit, quanta saxa, si foramine in iis facto pulvis eo claudatur, et postea accendatur, disrumpit? Molem ergo aquae ultra unius et dimidii pedis altitudinem ferre non potest? Deinde optima sane est argumentatio: illud quod iam fuit, et factum est, fieri etiam iterum posse. Atqui tota terra initio in sua productione aquis fuit contecta, etiam quando iam aquae eae, quae in firmamento locum acceperunt ab iis, quae relictae in terra sunt, separatae ab invicem sunt, ut est Genesis capitis 1. v. 7. Eaedem ergo aquae, et eo magis, cum adiuvarentur ab aquis ex firmamento, idem rursus, ut totam telluris superficiem obruerent, praestare non potuissent? Estne autem ista alicuius ingenii non dico ratiocinatio, sed cogitatio, exstitisse illud

illud diluvium in altitudine quindecim cubitorum supra celsissimos montes, sed quae tamen in aliqua tantum orbis regione tenuerint, nec universale diluvium effecerint? An aquae servato aequilibrio cogi in tantam altitudinem, permissa ipsis naturali sua vi, potuissent, ne dilaberentur, atque se alio diffunderent? Si dicerent, isti, qui tam subtiliter philosophari conantur, intervenisse in hoc diluvii opere insolitam etiam, neque secundum ordinarium naturae cursum Dei vim, et actionem, recte omnino dicerent, et saperent. Usus enim est Deus aquis illis veluti naturali quodam instrumento, nec tamen ille tantus casus, et affluxus aquarum, qui quamdiu orbis stetit, stabitque, semel tantum accidit, ab ordinaria illius est providentia. Erat igitur hoc praeter usitatas naturae leges, illiusque ordinem prodigiosum factum. Nisi autem desiperent, et sine mente essent isti, qui in rebus, factisque Divinis tam nasuti esse volunt; cogitandum illis esset, plura Deum infinita sua vi, qua pollet, facere, quam se humani ingenii quantacunque acie, quod comparate ad sapientiam Dei nihil est, siquidem finitum cum infinito ne in proportionem quidem ullam venire possit, comprehendere posse. „Quan-
„do Deus operatur aliquid, ait Doctor ille ma-
„ximo ingenio, et facundissimus Joannes Chry-
„sostomus hom. 25. in Gen. et in hunc ipsum lo-
„cum, noli humana ratiocinatione opera eius ex-
„quirere. Transcendunt enim mentem nostram,
„et nunquam potest humana cogitatio attingere,

„ et comprehendere eorum, quae a Deo condita „ sunt, rationem. "

21. *Consumptaque est omnis caro, quae movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quae reptant super terram: universi homines,* 22. *et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt.* In Latino generale nomen animantium est positum, pro quo in Hebraeo est vox, quae iumentum significat *behema* (בְּהֵמָה) 23. *Et delevit Deus omnem substantiam, quae erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile, quam volucres caeli, et deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca.* 24. *Obtinueruntque aquae terram centum quinquaginta diebus.*

CAPVT VIII.

Post diluvium eductis omnibus, qui erant in arca, Noe sacrificat Deo; qui spondet non se amplius diluvio deleturum mundum.

1. *RECORDATVS autem Deus Noe, cunctorumque animantium, et omnium iumentorum, quae erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutae sunt aquae.* „ Intelligamus haec, „ ait S. Chrysostomus hom. 26. in Gen. ut dignum „ est de Deo intelligere, ac ne secundum naturae „ nostrae infirmitatem haec crassa verba intelliga-

„ mus. Nam, quantum ad ineffabilem illam natu-„ ram attinet, indignum fuisset hoc verbum: quan-„ tum autem ad nostram imbecillitatem, apposite „ dictum est: *recordatus est.* Quid est: recorda-„ tus est? misertus est, inquit, iusti in arca degen-„ tis, misertus est eius in tanta angustia, et rerum „ difficultate constituti, ignorantisque, quando mo-„ lestiae illae finem habiturae essent.“ Spiritus autem, qui hic memoratur, idem est, qui ventus. Quare Arabs, et Syrus ventum isthic posuit. 2. *Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractae caeli, et prohibitae sunt pluviae de caelo.* 3. *Reversaeque sunt aquae de terra euntes, et redeuntes* nempe ibant, et redibant in pristina sua loca, et partim evaporatione per flatum venti sursum, unde deciderant; partim sub terram, unde ad superficiem illius eruperant, ferebantur: estque in verbis: *ibant et redibant* vel sermonis redundantia; vel ipse aquarum motus, et undulatio, quae fluctuum agitatione per ventum fiebat, illis verbis depingitur.

Et coeperunt minui post centum quinquaginta dies. 4. *Requievitque arca mense septimo, et vigesimo septimo die mensis super montes Armeniae.* Non solum Hebraeus, verum etiam Samaritanus, deinde Paraphrastes Chaldaeus, item Syrus, et Arabs habent isthic quietem hanc arcae accidisse mensis septimi decimo septimo die, ac proinde decem diebus ante. Et quamvis Versio Septvaginta hic in isto dierum numero conveniat cum nostra Vulgata; tamen et numero Versionum, et inprimis auctori-

tate Hebraici fontis prior illa lectio praevalet, ac proinde praeferenda etiam esse videtur. Montes Armeniae et Hebraeus, et Graecus montes Ararat, nomine scilicet montium istorum proprio, vocat: Latinus autem Interpres regionis nomen, ubi montes isti sunt, posuit. 5. *At vero aquae ibant, et decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium.* 6. *Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcae, quam fecerat, dimisit corvum.* 7. *Qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquae super terram.* Quoad lectionem huius versiculi cum Vulgata convenit etiam Versio Septvaginta. At vero Hebraeus istud de corvo sic habet: *exiit exeundo, et redeundo* (וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב) *donec exsiccarentur aquae super terram.* Etiam Chaldaeus hoc ad eumdem modum sine negatione habet. Etiam S. Hieronymus tam in Quaestionibus suis Hebraicis, quam etiam in sua Versione, ut exstat inter illius Opera, convenit cum Hebraeo. Videtur igitur lectio Hebraea esse anteferenda, tametsi ab ea neque Graeca Septvaginta, neque nostra Latina re dissentiat. Nam corvus ille emissus ibat, et redibat ad arcam quidem, sed non intro. Quod res consequens declarat. Nam dicitur id fecisse ad exsiccationem usque aquarum. Qui si intro reversus fuisset, certe non tantam ei libertatem Noe concessisset volandi foras, et intro ad libitum, praesertim, cum nullum ab eo indicium potuerit accipere, decesserintne iam aquae,

atque hac de causa columbam deinde coactus sit emittere. Itaque Septvaginta, iuxta quorum versionem locus iste etiam Vulgatae mutatus est, cum illum ex Hebraeo, ut iam demonstratum est, aliter S. Hieronymus verterit, hoc de reditu corvi sic intellexerunt, non quod non redierit, sed quod non intro ad arcam redierit. Atque hoc alterum cum negatione posuerunt, neque in eo ab Hebraea dissenserunt.

8. *Emisit quoque columbam post eum, ut videret, si iam cessassent aquae super faciem terrae.* 9. *Quae cum non invenisset, ubi requiesceret pes eius, reversa est ad eum in arcam. Aquae enim erant super universam terram, extenditque manum, et adprehensam intulit in arcam.* 10. *Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca.* 11. *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo.* Hebraeus ad verbum: *et ecce folium olivae rapina in ore eius.* (וְהִנֵּה עֲלֵה־זַיִת טָרָף בְּפִיהָ) Nec quidquam repugnat illud viride iam tum, et recens esse potuisse. „Alioquin arbor haec, ait S. „Chrysostomus hom. 26. in Gen. semper virens est, „verisimileque est, postquam aquae regressae sunt, „arborem hanc adhuc habuisse foliorum comam." Nam oleam sub ipsis etiam aquis virere, nec tantum virere, verum etiam baccas ferre etiam Plinius l. 12. c. 25. et Theophrastus Hist. Plantarum l. 4. c. 8. auctores sunt.

Intellexit ergo Noe, quod cessassent aquae super terram. 12. *Exspectavitque nihilominus septem alios dies, et emisit columbam, quae non est reversa ultra ad eum.* 13. *Igitur sexcentesimo primo anno* nempe aetatis Noe, nam ineunte diluvio sexcentorum erat annorum, ut est superioris capitis v. 6. *primo mense, prima die mensis imminutae sunt aquae super terram, et aperiens Noe tectum arcae, aspexit, viditque, quod exsiccata esset superficies terrae.* 14. *Mense secundo septimo, et vigesimo die mensis arefacta est terra.* 15. *Locutus est autem Deus ad Noe dicens:* 16. *egredere de arca tu, et uxor tua, filii tui, et uxores filiorum tuorum tecum.* 17. *Cuncta animantia, quae sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus, quam in bestiis, et universis reptilibus, quae reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram: crescite, et multiplicamini super eam.* 18. *Egressus est ergo Noe, et filii eius, uxor illius, et uxores filiorum eius cum eo.* 19. *Sed et omnia animantia, iumenta, et reptilia, quae reptant super terram, secundum genus suum egressa sunt de arca.* 20. *Aedificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Holocaustum Graecum vocabulum est, et significat victimae totius in sacrificio combustionem.

21. *Odoratusque est Dominus odorem svavitatis, et ait: nequaquam ultra maledicam terrae propter homines. Sensus enim, et cogitatio hu-*

mani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci. Ad vocabulum illud: *Odoratus* S. Chrysostomus hom. 27. in Gen. „Ne, inquit, offendaris verbo crassiore, sed huius verbi attemperatam rationem tuae infirmitati adscribens intellige hinc acceptam fuisse Deo oblationem iusti. Ut enim per res ipsas sciatur Dominum nullius indigere, et propter nihil aliud haec fieri permisisse, quam ut homines ad gratum animum adduceret, propterea concessit, ut igni consumerentur, ut ex iis, quae fiunt, discant ii, qui offerunt, omnia propter eorum utilitatem fieri. Quare autem, dic quaeso, haec fieri omnino permittit? Et in hoc nostrae infirmitatis habetur ratio. Quia enim homines paulatim a vero Dei cultu defecturi erant, et sibi deos cooptaturi, quibus sacrificia immolarent, prius voluit, ut sibi dona offerrentur, quo vel sic depelleret a pernicioso errore eos, quibus inde periculum imminebat. Et ut intelligas haec omnia concessa fuisse ob nostram infirmitatem, attende quomodo postea tempore procedente voluerit circumcisionem pro lege statui, non quod ad animae salutem perficere haec aliquid possit; sed ut hoc grati animi indicium, quasi signum, et sigillum circumferrent Judaei, et ne liceret eis commisceri gentium congressibus:" Quod sensus et cogitatio humani cordis prona sint in malum, consectarium fuit originalis peccati, indeque haec hominis propensio

ad malum manavit. Deus enim hominem fecerat rectum Eccle. 7. v. 30. Qui cum rectitudinem, atque iustitiam deseruisset, in qua conditus est, sua voluntate; Deus iustissime hoc ipsum ei vertit in poenam; ut propensionem ferret ad malum, quod malum sponte adamavit repudiato Deo.

Libido, et voluntas haec erga malum vulgo concupiscentia adpellari solet. Hanc autem Lutherus atque Calvinus docuerunt sic esse malum, ut, etiamsi quis stimulis illius, atque pravis suggestionibus non consentiret; tamen propter eam in peccato sit, Paulique testimonium, qui illam peccatum adpellat ad Rom. 7. v. 20. in suae sententiae patrocinium conantur trahere. At vero idem Paulus, paulo infra illum eumdem locum, diserte pronunciat: nihil esse damnationis in iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Esset autem aliquid damnationis, si proprie peccatum esset; nam peccatum dignum poena, et damnatione est. Non ergo damnabile, ac proinde neque peccatum est ferre tantum, et sentire illam concupiscentiam; sed secundum eam ambulare, et carnis desideria, quae per concupiscentiam excitantur, exequi. „Si secundum carnem vixeritis, mo„riemini; si autem spiritu facta carnis mortificave„ritis, vivetis.“ Ibidem ad Rom. 8. v. 13. Quare Concilium Tridentinum declaravit Sess. 5. can. 5. „Hanc concupiscentiam, quam aliquando Aposto„lus peccatum adpellat, Ecclesiam Catholicam nun„quam intellexisse peccatum adpellari, quod vere

„ et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex „ peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis „ autem contrarium senserit, inquit, anathema sit." Urgent vero ipsi propositum suum ex eo, quod ubi Latinus Interpres isthic posuit: *Sensus, et cogitatio humani cordis*, in Hebraeo sit: *formatio cordis humani*: (יֵצֶר לֵב הָאָדָם) ac proinde ipsum cor iam ita sit malum, ut aliud non possit, quam peccare. Sed non hoc dicitur, quomodo cor hominis fictum sit, et formatum; sed de actione cordis humani tantum est sermo; id, quod ab eo formatur, esse in malum pronum. Sunt vero hae cogitationes, et adpetitiones. Nam, si hoc priore modo sumeretur, tum hoc non esset formatio cordis humani, sed Dei: ille enim et cor hominis, et totum hominem formavit, et produxit; deinde pronitas haec ad malum recideret etiam in ipsum Deum, qui sic cor homini formaverit, ut propendeat, feraturque in malum. Quamobrem recte hoc vertit Latinus Interpres: *sensum, et cogitationem*, quomodo etiam Septvaginta hoc idem verterunt: διάνοιαν, quae vox significat cogitationem, et mentis agitationem. Lutheri atque Calvini disciplina est in hominis iustificatione non vere dimitti peccata, sed tantum postea non imputari. Quam rem iterum illi propugnant ideo, ut statuant iustitiam non nostra aliqua etiam actione, et cooperatione acquiri, sed per solam fidem, qua ei, qui credit, Christi iustitia tantum imputetur. Sic nempe molliorem suis adseclis adipiscendae salutis offerebant viam

absque poenitentiae, aliisque laboriosis in Religione operibus. 22. *Cunctis diebus terrae sementis, et messis; frigus, et aestus; aestas, et hiems; nox, et dies nôn requiescent.*

CAPVT IX.

Noemo concedit Deus facultatem edendi animalium carnes: iridemque statuit in signum, quod deleturus iam mundum non sit diluvio: Noemum denudatum Cham filius deridet, et ob eam rem maledicitur.

1. *BENEDIXITQVE Deus Noe, et filiis eius, et dixit ad eos: crescite, et multiplicamini, et replete terram.* 2. *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terrae, et super omnes volucres caeli cum universis, quae moventur super terram: omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt.* Erat homini in creatione Gen. 1. v. 28. dominium datum super omnia animalia. Cum vero homo peccando rebellavisset adversus Deum; illa etiam subiectionem erga hominem excusserunt, eoque magis, quod in ipso etiam homine pugna tunc incoeperit esse, et collisio partium. „Caro enim „concupiscit adversus spiritum, et spiritus adver„sus carnem" Gal. 5. v. 17. Nunc saltem ea auctoritas hominibus confirmata est a Deo in omnes irrationales animantes; ut ab hominibus metus illis insit, et timor. 3. *Et omne, quod movetur,*

et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Fuerunt, qui putarunt iam ante diluvium datam esse carnium edendarum facultatem, uti Caietano hoc placuit, et aliis. At vero Deus, quando hominibus post creationem victum adsignavit, herbas tantum, et fructus arborum attribuit, Gen. 1. v. 29. ibi ne verbulum de carnibus est. Et cur nunc facultatem hanc tribueret, si iam ante concessa fuisset? Nam, sicut de oleribus, et arborum fructibus concessionem iam antea factam non repetit; sic nec illam renovari oportuisset.

Est hic et alia quaestio, an iam etiam tunc animalia quaedam pro immundis habita sint, et a quibus edendis tanquam immundis abstinuerint? Quoad sacrificia discrimen hoc iam etiam ante diluvium fuisse observatum, ad Gen. cap. 7. vers. 8. demonstratum est. Hoc autem etiam quoad cibos tenuisse Interpreti Arabi visum fuit, qui istud: *omne quod movetur, et vivit, erit vobis in cibum*, sic expressit: *Omne reptile mundum vivum erit vobis esca*, in eademque sententia fuit S. Hieronymus contra Jovinianum l. 2. c. 10. At vero Deus isthic nullum discrimen, nec exceptionem fecit: *quasi olera virentia tradidi*, inquit, *vobis omnia.* Si quae nationes delectum in animalium carnibus ad cibum fecerunt, hoc vel ex palatu et stomacho diiudicarunt, vel etiam superstitionem in ea re admiserunt, uti Aegyptii hoc fecerunt, qui tangere etiam, et mactare eas pecudes, quas sacrificabant

Judaei, superstitiose religioni sibi ducerent, Exod. 8. v. 26. Quod si ergo Deus iam modo discrimen aliquod observari voluisset; non minus hoc, quam cautionem de sangvine, ne una cum carnibus illum ederent, proposuisset. 4. *Excepto, quod carnem cum sangvine non comedetis.* Hebraice hoc ad verbum sic est: *tantum carnem cum anima illius, sangvinem illius non comedetis* (אַךְ־בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ) Etiam Levitici 17. v. 14. ubi hoc praeceptum erga Judaeos renovatur, dicitur: *Anima carnis in sangvine est*, non quod sangvis, eadem quae anima sit, sed quod corporis animatio, vitaeque spiritus inde pendeat. Nisi lex haec de abstinentia ab animalium sangvine talis fuisset, quales omnes illae erant, quae latae per Moysem ad caerimonias tantum veteris legis pertinebant; sequeretur illam stare etiam nunc, et vigorem habere: nisi fortasse antiquata, et revocata per Evangelium fuisset. Quod contra accidit. Nam Apostoli in concilio Act. 15. v. 29. abstinentiam a sangvine, et suffocato suo etiam praecepto confirmarunt. Haec vero lex cum ubique ab omnibus in Ecclesia observata initio, et primis seculis fuisset, celeriter deinde remisit, adeo ut iam S. Augustinus l. 32. contra Faustum cap. 13. irridendum illum esse diceret, qui eo adhuc tempore ex illa abstinentia religionem sibi, et conscientiam faceret. Docet, spectasse hoc Apostolicum praeceptum eo, ut stante adhuc intermedio pariete inter Gentiles, et Judaeos, quoque pariete disiuncti tenebantur, per observantiam illius praecepti facilius inter se consociaren-

tur, in unamque Christi Ecclesiam componerentur. At vero pariete isto iam sublato, nec iam carnalis aliquis Judaeus in Ecclesia cum superesset, illud quoque praeceptum desiisse. Protrahebatur tamen, et a particularibus quibusdam Ecclesiis observabatur hoc praeceptum ad seculum usque duodecimum. Non fuisse autem hoc praeceptum, nisi caerimoniale etiam apud ipsos Judaeos ex Deuteronomii cap. 14. versu 21. clare deducitur. Ubi Israelitis permittitur, ut morticinam carnem peregrinis, vel alienigenis possint vendere, vel etiam donare, atque ad comedendum dare. Si autem lex haec talis fuisset, quae semper, et omnes obliget; Judaei etiam peregrinis, atque alienigenis easdem illas carnes morticinas, et cum sangvine ad edendum dare non potuissent, quin ipsi etiam ad crimen hoc concurrissent, quod edendis illis carnibus peregrini, et alienigenae admisissent.

Causa, cur sangvinis usus in cibo Israelitis prohibitus sit, Levitici 17. v. 11. illa declaratur, quod illum Deus ipsis dederit, quo super altare expiarent animas suas. Haec autem ratio, quamvis etiam valere debeat erga Noemum, ceterosque, qui ante legem Moysis vixerunt, quod idem cruentorum sacrificiorum usus etiam tunc fuerit; tamen modo, ut subsequitur, cur lata haec sit de sangvine lex, ista proponitur, ut dum abstinerent ab esu sangvinis animalium; discerent etiam, et tanto magis caverent humanum effundere sangvinem. Sic enim post mandatum de animalium sangvine Deus ser-

monem ad Noe et ad illius filios prosequitur: 5. *Sangvinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis, de manu viri, et de manu fratris eius requiram animam hominis.* In Hebraeo loco voculae: *enim* est *ach* (אַךְ) et Latine verti etiam potest: *autem.* Nec enim hoc, quod modo in isto versū positum, illius quod antecessit, in prioreque versu fuit, est causa, sed tantum orationis ulterior, atque altior progressio, ita ut, cum animalium quidem sangvinem fundi permisisset; sed tantum prohibuisset illum adhiberi ad cibum; hominis sangvinem ne fundi quidem permittat, severeque illius caedem interdicat. In Hebraeo insuper inter illa: *de manu viri, et fratris eius* non est interposita particula copulativa *et*, sed est sine illa sic: *de manu viri fratris eius.* (מִיַּד אִישׁ תָּחִיו) Vir autem frater ex usu Lingvae Hebraeae idem est, quem nos vulgo dicere solemus nostrum proximum, cum hominum nemo sit, cum quo amoris, coniunctionisque necessitudinem non habeamus, cum cognationem omnes propter primos parentes, a quibus originem ducimus, inter nos habeamus: appositeque Hebraeus, cum primum generale nomen hominis posuisset, hoc quasi deinde explicandi gratia, eum, quem prius hominem dixit, deinde nominavit virum fratrem.

6. *Quicunque effuderit humanum sangvinem, fundetur sangvis illius:* In Hebraeo hic adhuc aliquid amplius est, atque hoc: *fundetur sangvis il-*

lius, sic est: *per hominem fundetur sangvis illius.* (בָּאָדָם דָּמוֹ יִשָּׁפֵךְ) Id quod Chaldaicus Paraphrastes sic vertit: *ex iudicum sententia*, ut doceret non privata, sed publica iudicum, atque magistratuum sententia esse plectendum illum supplicio, qui violentas alteri manus attulisset. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* „Cogita obsecro, ait „ad hunc locum S. Chrisostomus hom. 27. quan„tum terrorem hoc verbo incussit. Etsi quod eius„dem naturae sit, inquit, non te avocat, neque „a tam perverso conatu repellit naturae communio; „sed si commiseratione fraterna depulsa totus in „hoc facinus prorumpis, cogita eum ad imaginem „Dei formatum esse.“ Sic nimirum, qui hominem occidit, ostenditur in ipsum Deum scelus committere, facinorosusque esse, cuius imaginem violat, et destruit.

7. *Vos autem crescite, et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam.* 8. *Haec quoque dixit Deus ad Noe, et ad filios eius cum eo:* 9. *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum omni semine vestro post vos.* 10. *Et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum tam in volucribus, quam in iumentis, et pecudibus terrae cunctis, quae egressa sunt de arca, et universis bestiis terrae,* 11. *Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.* Sicut antea propter homines, qui peccaverant, poenam extendit Deus etiam ad

bruta animantia, atque illa diluvio delevit, ideo quod facta, atque creata sint propter hominem; sic nunc pacto quoque, et securitate ista, quam hominibus Deus promiserat, comprehendit etiam bruta eiusdem hominis, in cuius gratiam condita sunt, causa. „Considera, ait S. Chrysostomus hom. „28. in Gen. quomodo benignitatem suam denuo „usque ad bruta, et feras extendat, et merito qui- „dem. Quod enim saepe dixi, hoc et nunc dico. „Nam, quia propter hominem haec producta sunt; „ideo et illorum beneficiorum partem habent, „quae homini concessa sunt. Et videtur quidem „commune esse pactum ipsi et brutis, sed non ita „est. Nam et hoc ad hominis solatium factum est; „ut scire possit, in quanto sit honore, quod non „solum in se collocentur beneficia, sed propter se „in alia quoque animalia extendatur liberalitas Do- „mini." Quod igitur pactum dicitur, quasi etiam brutis factum a Deo esset, reipsa non brutis factum est; cum enim rationis expertia sint, habilia ad contractum, et ad acceptandam aliquam promissionem esse non possunt, sed homini de ipsis etiam brutis hominis causa ab exitio conservandis, promissio facta est; et quatenus Deus homini promiserat se etiam illa esse conservaturum; atque huius conservationis promissio ad illa pertinet, illis quoque hoc pactum dicitur, et Divina sponsio facta esse.

12. *Dixitque Deus: hoc est signum foederis, quod do inter me, et vos, et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum in generationes sempiternas:*

piternas: 13. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram. 14. Cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus, 15. et recordabor foederis mei, quod pepigi vobiscum, et cum omni anima vivente, quae carnem vegetat, et non erunt ultra aquae diluvii ad delendum universam carnem. „Ergone visus ipsum, ait S. Chrysostomus hom. 28. „in Gen. in memoriam ducit? Non ut hoc suspicemur, absit; sed ut, quando videmus signum „hoc, Dei promissioni confidamus, certi non esse „possibile Dei promissiones intercidere.“ Nec enim Deus arcum suum propter se, sed propter nos in nubibus collocavit. Est autem metaphora ab homine traducta ad Deum. Homines memoriae causa visibilia monumenta sibi statuunt. Quod cum idem Deo per metaphoram tribuitur; significat stabilissimam, perfectissimamque cognitionis praesentiam. Est vero arcus ille pro signo foederis positus iris. Quae licet iam ante exstiterit; nec enim aliud est, quam naturale phaenomenon, et species in caelo ex certa positione solis ad roscidas, et pluviosas nubes, unde colores illi pinguntur in iisdem nubibus; adsumitur tamen nunc signi loco, non aliter, atque si lapis neglectus antea, et ad certum aliquem usum nondum destinatus, assumatur postea ad determinandos fundorum limites inter vicinos. Quomodo etiam Jacob Gen. 28. v. 18. lapidem, super quo noctem egerat, quando portentosam scalam vidit, et per eam adscendentes, descendentesque angelos,

in titulum postea erexit, et in monumentum sui voti, quod tunc Deo nuncupaverat.

16. *Eritque arcus meus in nubibus, et videbo illum, et recordabor foederis sempiterni, quod pactum est inter Deum, et omnem animam viventem universae carnis, quae est super terram.* 17. *Dixitque Deus ad Noe: hoc erit signum foederis, quod constitui inter me, et omnem carnem super terram.* De iride dicitur, quod eam Deus det signi loco in generationes sempiternas, et deinde, quod hoc foedus sit sempiternum: nec tamen hoc ita dicitur, quasi hominum generatio numquam ad finem ventura esset, atque foedus istud ultra etiam hunc mundum in illa iride constaret; sed utrobique hic: sempiternum de longissima duratione est positum ad finem usque mundi, et generis humani. Et bene aeternum foedus adpellatur, quod, etiamsi mundus deficiat, tamen nunquam violatur. Nec Hebraica vox *holam*, (עוֹלָם) quae in Hebraeo pro sempiterno est, perpetuam semper durationem significat, sed tantum saepe talem, et ad id durationis spatium, quamdiu res illa durat, de qua sermo est. Quomodo de servo, qui sibi a domino libertatem oblatam recusat, Exod. 21. v. 6. est: „Perforabit aurem eius subula, eritque servus in „aeternum: *Leholam.* (לְעוֹלָם) Nam certe ulterior duratio, etiamsi aeterna dicatur, in illa servitute non est, quam vita duret servi. Itaque in illo foedere quoque de iride sempiternum illud est, relate ad mundum, quod non cessat, quamdiu mun-

dus stabit, itidemque sempiternum de hominum generatione dicitur, quod non desinit, quamdiu homines in mundo generabuntur.

18. *Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca: Sem, Cham, et Japheth. Porro Cham ipse est pater Chanaan.* 19. *Tres isti sunt filii Noe, et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* 20. *Coepitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam.* 21. *Bibensque vinum inebriatus est, et nudatus iacuit in tabernaculo suo.* Quod Noe primus uvas expresserit, vinumque fecerit, quam rem nemo ante ipsum tentaverit, atque ignorando illius virtutem, modum in bibendo excesserit, sicque inebriatus sit usque eo, ut etiam mentis impos fieret, tenuit S. Chrysostomus hom. 29. in Gen. At vero S. Ambrosius in libro de Arca, et Noe sobrium illum etiam post bibitum illud vinum mansisse docuit. Et omnino inebriationis vocabulum in Scriptura saepe tantum pro bibitione, quantum ad satietatem est, usurpatur. „Bibistis, dicitur Ag„gaei 1. v. 6. et non estis inebriati; comedistis, „et non estis saturati.“ Ubi sicut saturitas comestioni, ita inebriatio bibitioni e regione ponitur, et eamdem haec rationem ad potum, quam saturitas ad cibum ponitur habere. Sicut ergo saturitas nondum adhuc est excessus, et intemperantia in cibo; ita neque ebrietas illic talis est in potu. Etiam Paulus ad Ephesios 5. v. 18. „Nolite, inquit, inebri„ari vino, in quo est luxuria.“ An forte in alio

vino hanc illis inebriandi se licentiam concessit? Non ergo intemperantiam tantum istius vini illis prohibet, sed removere penitus ab illis tale vinum vult, quod luxuriosum est. Potuit ergo res, et ita convenientius quoque de tali viro accipitur, cui eximia iustitiae laus a Deo tributa est, sic accidere, ut cum Noe transacto diluvio ad pristinum agros colendi institutum sese retulisset, vinumque, sed tamen sobrie bibisset; ex eo in somnum inciderit. Quid enim obstat, quo minus homini etiam sobrio, et dormienti contingat; ut dum se in somno vertit, et volutat, detegat se, et denudetur?

22. *Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis foras.* Ex illo videlicet tabernaculo, ubi Noe somno sopitus iacuit, et ipse illum nudatum vidit. 23. *At vero Sem, et Japheth pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum aversae fuerunt, et patris virilia non viderunt.* 24. *Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset, quae fecerat ei filius suus minor,* 25. *ait: maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* 26. *Dixitque: benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus eius.* 27. *Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus eius.* Filii minoris nomine quidam Interpretes, atque inter hos Estius putant intelligi non Chamum, sed huius filium Chanaan, et Noemi nepotem, quod etiam in hunc postea

nominatim iacta sit a Noe maledictio, tuenturque se illo Judicum cap. 1. v. 13. exemplo: ubi Othoniel adpellatur Chalebi frater minor, cum tantum fuerit fratris filius. Istud etsi contingat, ut fratris nomine etiam remotiores cognati non soli uterini vel germani denominentur, itemque filii nomen ad ulteriores posteros saepe referatur; non tamen consequens est, ut hoc ubique sic teneat. Sed hoc ex aliis adiunctis, quo sensu aliquis vel filius, vel frater dicatur, determinandum est. Dicit vero Scriptura clare, et aperte ipsum Chamum fuisse irrisorem patris. Ergo ille idem quoque intelligendus est, ubi dicitur: *Noe cum didicisset, quae fecerat ei filius suus minor*. Nam, quod opinionis suae fulciendae gratia velint rem sic accidisse; ut Chanaan omnium primo nuditatem Noemi adspexerit, ac deinde cum hoc nuncio ad Chamum cucurrerit, illumque ad irridendum Noemum adduxerit, isteque rursus erga fratres suos hoc deinde facere voluerit; est ea res tantum tota ab illorum ingenio profecta, atque excogitata: quin esse sic factum, sit vestigium aliquod in Scriptura. Nec inde praesidium etiam aliquod habere potest haec opinio, quod et superius v. 18. et sequentis capitis v. 1. et alias quoque, quando simul omnes tres filii Noe memorantur; Cham secundo loco collocetur, atque quod S. Hieronymus in libro contra Luciferianos eumdem Chamum Noe filium adpellaverit maiorem. Nam, etiamsi hoc S. Hieronymus hac eadem ratione, quae modo dicta est, inductus senserit; cer-

tum tamen est Scripturam in tribus Noe filiis, dum eos memorat, non servare aetatis ordinem. Nam Sem ponitur primus, qui tamen inter hos tres non erat natu maximus, ut hoc iam ad Capitis 5. v. 31. demonstratum est. Idem autem rursus capite sequenti, ubi, quinam ex his singulis posteri descenderint, describitur; Chamo postponitur, et Japheth, qui alias est ultimus, ibi est primus.

Cur autem Noe non Chamo, si ab illo irrisus est, sed Chanaano maledixit? „Obsecro ait S. „Chrysostomus hom. 29. in Gen. cum ad eamdem „hanc quaestionem respondisset; attendite diligen-„ter, et solutionem accipite. Volebat enim simul „et ipsum corripere propter peccatum, et contu-„meliam, qua se affecerat, et simul nolebat la-„befactare benedictionem, quae illi pridem a Deo „facta fuerat. *Benedixit* enim *Deus Noe, quando* „*exivit ex arca, et filios illius.* Ut igitur, ne „videatur maledicere, quem Deus semel benedi-„xerat, praeterito illo, qui se contumelia affe-„cerat, filio maledictum intulit. Esto, dixeris, „hoc quidem ostendit propterea Cham maledi-„ctum non fuisse, quia prius a Deo benedictionem „acceperat; quare autem cum ille peccaverit, hic „poenam luit? Neque hoc, absque ratione factum „est. Nam pater non minorem poenam habuit, „quam filius, et cruciatum sensit. Scitis enim, „scitis, quomodo saepe numero patres precati sunt, „ut filiorum poenas ipsi ferrent, et gravius illis „esse videre filios supplicio affici, quam, si iis fo-

„ rent obnoxii. Factum est hoc igitur, ut ille ob
„ naturalem in filium amorem maiorem sentiret do-
„ lorem, et benedictio Dei servaretur inviolata,
„ et filius accepta maledictione suorum propriorum
„ poenas peccatorum lueret. Nam, licet propter pa-
„ tris peccatum nunc maledictioni sit obnoxius;
„ attamen verisimile est eum etiam propter sua de-
„ licta dedisse poenam.“

Considerandum autem hic est, quandoquidem maledictio haec non solum Chanaanum nominatim feriebat, sed etiam stirpem illius; atque posteros, si hanc eamdem maledictionem Noe pronunciavisset in Chamum; tamen ei maledictioni obnoxium etiam futurum fuisse Chanaanum. Estne autem iniquum, ut cum pater iuste ad servitutem redigitur, si illius deinde filii, atque posteri eadem servili conditione debeant vivere? Atque hoc usitatum prorsus apud homines est, ut qui superiores in bello sunt; eos, quos devicerunt, subiectos una cum eorum posteris teneant, iisque dominentur. Hoc autem Deus, de quo sic est Sapientiae 12. v. 15.
„ Cum sis iustus, iuste omnia disponis; ipsum quo-
„ que, qui non debet puniri, condemnare, exterum
„ aestimas a tua virtute“ non sic faceret, ut filios plectat propter parentes, nisi in ipsis filiis iam illa esset supplicii causa: propter quam etiam e duobus geminis, cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali maiorem subiecit serviduti minoris, et Jacob dilexit, Esau autem odio habuit. ad Rom. 9. v. 13.

Ex Chanaan producti sunt deinde Chananaeorum populi, qui hanc maledictionis poenam senserunt, quando ab Israelitis, qui ab Semo originem duxerunt, partim deleti, partim subiugati fuerunt. Maledixerat autem Noe Chanaano sic: *maledictus Chanaan: servus servorum erit fratribus suis.* Geminatio eiusdem vocis intendit significationem, nec tantum apud Hebraeos; verum etiam in aliis lingvis. Apud eosdem autem Hebraeos, qui nominibus adiectivis carent, substantivum nomen in genitivo casu collocatum locum tenet, atque vices supplet adiectivi. Hinc istud: servus servorum, idem est, qui infimus, et obsequii genere vilissimus servus. Fratrum autem isthic nomine ipse Sem, et Japheth intelligitur. Quod perspicuum fit ex ea, quam istis duobus Noe dedit, benedictione: Ubi erga utrumque dicitur: *Chanaan erit servus eius.* Quare nomen isthic latius sumitur pro parentis fratribus, et pro patruis; quomodo etiam Abraham ad Lothum sui fratris filium dixerat: fratres sumus Gen. 13. v. 8. Semum autem Noe benedicturus orditur a laudando illius Deo: *benedictus Dominus Deus Sem.* Quali ratione, et verborum forma etiam Melchisedech usus est, quando benedixit Abrahamo Gen. 14. v. 19. tanquam in cuius stirpe apud Israeliticum populum futurus esset verus Dei cultus, et ad quod ipsum praedicendum haec prophetica benedictio pertinebat. Quodque deinde confirmat etiam illa, quae Japheto benedictio est data: *dilatet Deus, et habitet in tabernaculis Sem.* Quod ad praesignifi-

eandam conversionem gentium pertinere, quando medio pariete maceriae soluto condidit Deus Israeliticum, et gentilium populos in unum novum hominem, ut ait S. Paulus ad Ephes. 2. v. 14. gentiliumque populi ad Israel populum, qui Deum coleret, adsumpti, in idemque tabernaculum, hoc est: Dei Ecclesiam introducti sunt, docent S. Augustinus l. 16. c. 2. de Civ. Dei, et S. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis. Per dilatationem autem Japheti, amplitudo, multitudoque populorum, qui ex gentibus ad fidem convertendi essent, praedicebatur. „Cum enim dicit: *dilatet*, verba sunt S. „Chrysostomi hom. in Gen. 29. omnes gentes sub„indicavit: sed dicendo: *habitet in tabernaculis* „*Sem*, significat gentes frui coepisse iis, quae Ju„daeis parata, et adornata erant.“ Estque in dilatandi vocabulo paronomasia cum nomine Japheth: quod Hebraice itidem dilatationem significat.

Etiam in tota hac Noemi vineam plantantis, et ex vino inebriati actione typus resplenduit Christi. „Egressus ex arca Noe, ait S. Hieronymus l. con„tra Luciferianos, vineam plantavit, et bibens de „ea inebriatus est. Natus quoque in carne Christus „Ecclesiam plantavit, et passus est. Nudatum pa„trem irrisit maior filius, et minor texit: et Deum „Crucifixum irriserunt Judaei, et honoraverunt gen„tiles.“ Quod etsi superius demonstratum est Chamum non fuisse maiorem natu inter suos fratres, qui diserte filius Noe iunior adpellatur supra v. 24., tamen non eo minus typus iste vim habet. Neque

enim adcurata semper omnium partium in typo, et antitypo convenientia esse debet, et nihilo minus per Chamum etiamsi senior non fuit, actio Jndaeorum erga Christum depingi typice potuit, illeque illorum figuram gerere. 28. *Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis.* 29. *Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.*

CAPVT X.

Filiorum Noe generatio ulterior, et posteri describuntur, ex quibus propagatio gentium facta per orbem est post diluvium.

1. *HAE sunt generationes filiorum Noe Sem, Cham, et Japheth, natique sunt eis filii post diluvium.* 2. *Filii Japheth: Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, et Tubal, et Mosoch, et Tiras.* 3. *Porro filii Gomer: Ascenez, et Riphath, et Togorma.* 4. *Filii autem Javan: Elisa, et Tharsis, Cethim, et Dodanim.* 5. *Ab his divisae sunt insulae gentium in regionibus suis, unusquisque secundum lingvam suam, et familias suas in nationibus suis.* Sic nimirum postea post aedificatam turrim Babel secundum lingvas divisi sunt. Neque enim divisio ante illam facta est, qui, ut est subsequentis capitis v. 4. hac ipsa de causa moliti illam civitatem, atque turrim sunt; ut, antequam

ab invicem separarentur, illud monumentum posteris a se statuerent. Sed neque lingvarum etiam multiplicatio ante eamdem illam aedificationem accidit. 6. *Filii autem Cham: Chus, et Mesraim, et Pluth, et Chanaan.* 7. *Filii Chus: Saba, et Hevila, et Sabatha, et Regma, et Sabatacha. Filii Regma: Saba, et Dadan.* 8. *Porro Chus genuit Nemrod. Ipse coepit esse potens in terra.* 9. *Et erat robustus venator coram Domino.* Pro *robusto* isthic Septvaginta, et etiam Syrus *gigantis* vocabulum posuerunt. Hoc, quod de eodem Nemrod praecessit, ipsum primum omnium fuisse, qui potens coeperit esse in terra, et quod explicaturus sacer Scriptor illius potentiam statim, postquam hoc posuisset: fuisse illum venatorem, sic deinde prosecutus sit, texueritque orationem: *fuit autem principium regni eius Babylon*, in quo utique regno non feras, sed homines, subiectos sibi tenebat; intelligitur Nemrodum non ferarum, sed hominum venatorem, isthic esse dictum, qui primus omnium alios homines sibi subiugaret, in quos deinde imperium, atque potestatem exerceret. Quamobrem Syrus quoque pro venatore bellatorem in sua versione posuit. Eodemque hoc venatoris nomine etiam ab Jeremia 16. v. 16. et ab Ezechiele 32. v. 30. Judaeorum hostes, a quibus ferarum more essent capiendi, denominantur. Illud vero *coram Domino* significat ipsum fuisse venatorem longe maximum. Estque idiotismus lingvae Hebraeae tali modo relatione quadam erga Deum rem elevantis ad altis-

simum significationis gradum. Quomodo etiam Joannes Praecursor Christi Luc. 1. v. 15. magnus coram Domino, et Jonae 3. v. 3. Urbs Ninive civitas magna Deo (ut hoc alterum sic in Hebraeo est, nam Latinus Interpres vocabulum: *Deo* praetermisit,) vocatur: quo maxima utriusque magnitudo, et dignitas significatur. *Ob hoc exivit proverbium quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Nimirum quoties postea aliquis invalesceret viribus, atque opprimere institueret alios, haec inveteravit consvetudo loquendi, ut similis Nemrodo haberetur.

10. *Fuit autem principium regni eius Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne in terra Sennaar.* Erat Sennaar latissimus terrarum tractus, qui meridionalem Assyriae, et Mesopotamiae partem occupabat. 11. *De terra illa egressus est Assur, et aedificavit Niniven, et plateas civitatis, et Chale.* Nomine Assur, iuxta Hebraeum, adpellatur ipsa etiam regio Assyriae, et simul etiam nomen hoc est proprium unius ex filiis Sem, ut est huius capitis v. 22. a quo ipso procul dubio regio illa denominationem illam suam accepit. Hinc ambiguum isthic est: debeatne Nemrod intelligi egressus esse ex terra Sennaar in Assyriam, an vero Assur, Semi filius, inde esse profectus, quique postea Niniven aedificaverit, ceterasque, quae modo memoratae sunt, civitates. Septvaginta hoc altero modo rem intellexerunt. Est etiam de ratione lingvae Hebraeae, ut in nominibus locorum, quae

propria sunt urbium, vel regionum, addant ad eius finem literam *He* (ה), quod etiam eam ob caussam locale *He* solet denominari. Cumque istam literam sibi affixam isthic nomen Assur non habeat; intelligitur non esse nomen proprium loci, quasi quo Nemrod demigraverit; sed esse nomen proprium viri, qui ex terra Sennaar egressus civitates illas postea aedificaverit. Ac Assurem hunc non pertinere inter filios Chami, cuius nunc progenies describitur, illud indicio est, quod in tota hac ipsius stirpis descriptione nullius ex his, qui in genealogia hac, et posterorum illius serie ponuntur, filius esse dicatur. Neque igitur Assur iste ad Chami stirpem pertinet; sed ad Semi, cuius filius nomine Assur diserte infra v. 22. memoratur. Pro plateis civitatis est in Hebraeo: *Rechobothir*, quae vox, etsi etiam plateas civitatis significat; tamen videtur nomen esse isthic proprium alterius urbis, quae sic sit adpellata. Nam, quid opus fuisset Moysi memorare ab eo, qui urbem exstruxit, illius etiam plateas esse exstructas? An urbs aliqua est sine plateis? Profecto cum dixit Niniven ab eo esse aedificatam, nemini iam obscurum relinquebatur, quin illius etiam plateae ab eodem essent factae. 12. *Resen quoque inter Niniven, et Chale: haec est civitas magna.* Nempe dicitur has etiam urbes ab eodem Assur, de quo praecessit sermo, esse aedificatas. Et ex monumentis aliarum Historiarum, et ex eo, quod inter ceteras, quae modo memoratae sunt civitates, Ninive fuerit principe loco po-

sita; intelligitur illam fuisse ex his praecipuam et maximam. Quod ergo postea subiicitur: *haec est civitas magna* remotius ad ipsam hanc Niniven pertinet, et non ad Chale, quae proxime fuit nominata.

13. *At vero Mesraim genuit Ludim, et Ananim, et Laabim, et Nephtuim,* 14. *et Phetrusim, et Chaslium: de quibus egressi sunt Philisthiim, et Caphtorim.* 15. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethaeum,* 16. *et Jebusaeum, et Amorrhaeum, et Gergesaeum,* 17. *et Hevaeum, et Aracaeum, Sinaeum,* 18. *et Aradium, Samaraeum, et Amathaeum: et per hos disseminati sunt populi Chananaeorum.* 19. *Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, et Gomorrham, et Adamam, et Seboim usque Lesa.* Hoc: *donec ingrediaris* Hebraice est: ingrediendo vel veniendo te (בֹּאֲכָה) atque sic clarior sensus iste prodit: quod a Sodoma, Gomorrha, et Adama Chananaea tendatur usque Lesam, quae alias etiam Lais, vel Laisa adpellatur, fuitque in finibus Chananaeae Septemtrionem versus: e cuius opposita parte in meridie Sodoma, et aliae istae, quae modo dictae sunt, erant civitates. Gaza, et Gerara civitates erant, quae ad oram maris mediterranei spectabant, erantque postea in ditione Philisthaeorum: supra quas aliquanto altius maritima civitas etiam Sidon erat prorsus non longe ab Chananaea.

20. *Hi sunt filii Cham in cognationibus et lingvis, et generationibus, terrisque, et gentibus suis.*

21. *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber fratre Japheth maiore.* De Semo hoc sic positum est in Latino, quasi ille Japhetum aetate antecesserit, illoque fuisset aetate maior, cui nos superius ad capitis 5. v. 31. contrariam sententiam proposuimus, tanquam conformiorem Hebraeo, et versioni Septvaginta. Nam, cum in Hebraeo adiectivum: maior (הַגָּדוֹל) non ex terminatione adpareat, cum quo nomine substantivo suo concordet, utpote quod per omnes casus eamdem terminationem retineat; sit autem vicinius nomini Japheth, quam vocabulo: *frater*, quod antecessit ante nomen Japheth, convenientius accipitur ad vicinius nomen spectare, quam ad remotius. Quare hoc etiam sic acceperunt, et intellexerunt Septvaginta, et Symmachus: Sic enim habent: Ἰάφεθ τοῦ μείζονος: *Japheti maioris.*

22. *Filii Sem: Aelam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram.* 23. *Filii Aram: Us, et Hul, et Gether, et Mes.* 24. *At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber.* 25. *Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eo quod in diebus eius divisa sit terra, et nomen fratris eius Jectan.* 26. *Qui Jectan genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, Jare,* 27. *Et Aduram, et Uzal, et Decla,* 28. *et Ebal, et Abimael, Saba,* 29. *et Ophir, et Hevila, et Jobab. Omnes isti filii Jectan.* 30. *Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem Orientalem.* Messa, Masius deinde mons adpellatus est in Me-

sopotamia. Sephar autem mons, vel in Armenia fuit, unde Sarapani populi adpellati sunt, qui ibi habitabant ad Phasim fluvium, ut est apud Strabonem l. 10., vel vero fuit in Media, unde Saphyros optimos lapides provenire Plinius tradidit l. 37. c. 9. et ubi Sapirorum etiam aliquis populus sedem habuisse dicitur ab Herodoto, lib. 1. et 4.

31. *Isti sunt filii Sem secundum cognationes, et lingvas, et regiones in gentibus suis.* 32. *Hae familiae Noe iuxta populos, et nationes suas. Ab his divisae sunt gentes in terra post diluvium.* Calmet, pluresque alii studium posuerunt, ut docerent, a quo istorum, qui modo ex posteris filiorum Noe hic descripti sunt, quaeque gens originem duxerit, cuiusque gentis pater istorum quisque fuerit, ac licet aliquarum perspicua origo sit, ut Aegyptiorum esse a Mizraim ortos, quod Hebraei Aegyptios eodem nomine Mizraim in sua lingva consveverint adpellare; de plerisque tamen nihil, nisi mera coniectura est ex aliqua nominis levi convenientia, collationeque cum populorum nominibus ex veterum Scriptorum non satis certis, et fluctuantibus vestigiis. Nec Moysis scopus fuit aliarum omnium gentium Origines distincte isthic describere; sed Abrahami, atque solius Hebraici populi: quod inde proditurus erat Christus, quo ille, sicut tota Judaeorum lex eo tendebat, scribendo collineabat. Itaque de aliis, si quando aliquid meminit, strictim istud tantum, atque obiter facit. Quare nec ego in illis coniecturis immorari volui, quae

nihil

nihil ad rem faciunt. In versu 24. Interpretes Septvaginta inter Arphaxad et Sale ponunt insuper Cainanum, quam legendi diversitatem ad examen vocaturus sum capitis sequentis versu 12. ubi rursus haec eadem discrepantia lectionis repetitur.

CAPVT XI.

Turrim Babel aedificant: fit confusio lingvarum: texitur Genealogia Semi usque ad Abraham. Qui a patre Thare ex Ur Chaldaeorum, ubi habitaverat, in Haran perducitur.

1. *ERAT autem terra labii unius, et sermonum eorumdem.* 2. *Cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo.* Campus Sennaar ab Armenia, ubi arca post diluvium constiterat, quaeque regio incoli tunc primum ab hominibus coeperat; non spectabat ad Occidentem, verum ad Meridiem. Moyses ergo, dum Armeniam ad Orientem collocavit, rationem habuit loci, ubi hanc historiam scripsit. Factum autem hoc ab eo est in Arabiae deserto, postquam Israeliticum populum eduxit ex Aegypto, atque in Palaestinam ducebat. 3. *Dixitque alter ad proximum suum: venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro caemento.* 4. *Et dixerunt: venite, faciamus nobis civitatem, et turrim, cuius culmen*

pertingat ad caelum, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. Exstruere usque ad caelum est hyperbolica dictio. Nec enim tantum videntur potuisse desipere; ut usque ad caeli altitudinem struere aedificium sibi proponerent. Putarunt autem aliqui hanc illos insanam molem machinatos esse quasi perfugii causa, si aliquod rursus periculum diluvii accideret. At suspicio haec nullo nititur fundamento. Neque enim in illa tum recenti adhuc memoria, oblivio eos capere poterat Divinae promissionis de non futuro amplius tali diluvio, quale illud prius fuerat; neque ullatenus propterea, quod gravissimum incredulitatis vitium fuisset, reprehenduntur alicubi in Scriptura, et si propter diluvii metum opus illud adgressi fuissent, potius altissimos montes, quam planitiem, et loci humilitatem, in qua Babylon fuit, sibi ad hoc propositum suum delegissent. Nec valet, quod ad hanc opinionem fulciendam ex Hebraeo petitur: esse pro eo, quod nos Latine legimus: *antequam dividamur in universas terras*, Hebraice: *ne forte dispergamur.* (פֶּן־נָפוּץ) Hoc enim a Latino minime discrepat, sed congruit. Nam cum illorum iam numerus vehementer crevisset, videbant se diu iam simul esse non posse, esseque necessario aliis in alias mundi regiones longius discedendum. Quod ergo dicebant: *ne forte dispergamur*, non hoc propter aquas diluvii dicebant, vel metuebant; sed propter suam in diversas orbis partes ab invicem demigrationem. Sed vel ex ipsa hac narratione apparet,

cuius rei gratia consilium hoc ceperint, fecisseque hoc eos memoriae, et nominis, famaeque suae causa ad posteros. Nam *celebremus*, inquiebant, *nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.*

5. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem, et turrim, quam aedificabant filii Adam.* „Non loco movetur Deus, ait S. Augustinus lib. „de civ. Dei 16. c. 5. qui semper ubique est totus: „sed descendere dicitur, cum aliquid facit in ter„ra, quod, praeter usitatum naturae cursum mi„rabiliter factum, potentiam quodam modo eius „ostendat: nec videndo discit ad tempus, qui nun„quam potest aliquid ignorare; sed ad tempus vi„dere, et cognoscere dicitur, quod videri et co„gnosci facit.“ 6. *Et dixit: ecce unus est populus, et unum labium omnibus, coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* 7. *Venite, igitur, descendamus, et confundamus ibi lingvam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Hoc de Deo sic est dictum, ut cum prius quasi tantum adspiciendi, et explorandi causa descendisset; deinde re explorata, et cognito illorum consilio rursus descenderit, atque tunc lingvas confuderit. Nempe totum hoc de Deo dicitur translata ad illum ab homine agendi ratione, atque ut illi manus, pedes, facies, oculi, aures, humana membra per metaphoram tribuuntur; sic actiones ipsae quoque de Deo depinguntur, quasi, qui illas fecerat, homo fuisset; propter captum videlicet nostrum, qui aliter de

Deo nec loqui, nec loquentem intelligere possumus, quam per vocabula, et notiones ex consvetudine loquendi, cogitandique humana. Ex hac vero Dei in numero plurali loquendi ratione Patres iterum argumentum pro pluralitate Divinarum Personarum desumunt. „Dictum enim, ait S. Chry„sostomus hom. 30. in Gen. haud dubie est, ceu „ad honore pares. Nam, opusne habebat coope„ratione Dominus ad correctionem? an subsidio ad „illorum destructionem?"

S. Augustinus tamen l. 16. de civ. Dei c. 6. docet habitum hunc esse sermonem a Deo ad angelos, tanquam quorum ministerio usus sit ad faciendam illam confusionem. Etiam Origenes hom. 11. in librum Numerorum lingvarum diversitates ab angelis repetebat, ipsorumque hoc esse inventum docebat, qui, ut alii aliam sibi, suaeque tutelae a Deo haberent commissam provinciam; ita eorum quisque suam lingvam illius provinciae incolis tradiderit. Qui de Religione illuminatius volunt sentire, et submovere ubique prodigia, omniaque ad naturae decempedam redigere; volunt sua sponte ex hominum a se invicem separatione citra rei alicuius admirabilitatem hanc enatam esse diversitatem, atque plures lingvas tantum, quasi varias dialectos, esse inductas. At vero hominum ab se invicem divisio, atque per varias regiones disseminatio non nisi post factam lingvarum confusionem accidit, ut hoc diserte versu subsequenti dicitur. Erat profecto hoc Dei opus stupendum, ut obli-

teratis subito, atque momento prioris lingvae notionibus alias alii lingvas perfecte, atque integre loquerentur. Quot numero lingvae tunc sint enatae, non est certum. Duas, et septvaginta, vel septvaginta esse tum factas lingvas censuerunt aliqui inde, quod superiore capite totidem personae numerentur diversarum familiarum, atque nationum parentes, secundum quorum lingvas ibi dicitur posterorum Noe propagatio esse facta, et quod Deuteronomii 32. v. 8. sic pronuncietur: „Separavit Altissimus filios „Adam, constituit terminos populorum iuxta nu„merum filiorum Israel.“ Fuisse vero filios Israel, quando venerunt in Aegyptum numero septvaginta, ut est Gen. 46. v. 27. At, tametsi in tot partes hominum familae fuerant divisae; non tamen tot etiam simul exortas esse lingvas illud argumento est, quod in sola Chananaea, etsi una fuerit regio, plures consederint ex Chami stirpe familiae, ut Chananaeus, Amorrhaeus, Jebusaeus, Hethaeus veluti est superioris Capitis. v. 18. quos in tanta vicinitate, et domicilii consociatione, et in uno quasi contubernio diversa usos esse lingva, probabile non est. Statuunt ergo alii lingvas tum esse effectas quinque, vel septem, et ex quibus deinde plures etiam postea lingvae ex primarum vel corruptione, vel unius cum alia permixtione effectae sint.

Quaeri autem hic etiam solet, quae lingva omnium prima, et antequam multiplicatio earum illa facta esset, mundo coaeva, et num illa He-

braea fuerit. Hebraei quidem omnes pro sua Hebraea stant. Etiam Origenes hom. 11. in lib. Numer. S. Hieronymus in cap. 3. Sophoniae, S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 13. idem affirmant, et pro eadem sententia sunt. Negant autem Natalis Alexander Hist. Eccl. Vet. Test. Tom. 1. Diss. 5. et Huetius Evang. Demonstr. Prop. 4. cap. 13. Sed Abrahamum ex Mesopotamia atque Chaldaea, cum in Chananaeam esset profectus, ibi Chananaeorum lingvam didicisse atque Isaacum, et Jacobum, reliquosque illius posteros, ibi natos, in hac lingva educatos esse, quae deinde toti Israelitarum genti facta sit propria. Nam Chaldaicam lingvam, quam secum ex Chaldaea, quae patria ipsius fuerat, in Chananaeam attulerat, non esse eamdem cum ea, quae deinde Hebraeorum lingva fuit, quaeque esse eadem debuisset, si quae ante Abrahami fuit, omnium Hebraeorum lingva facta fuisset, inde adparere, quod cum Jeremias cap. 5. v. 15. vaticinium edidisset de adventu Chaldaeorum in Judaeam, et de futura per eos Judaeorum captivitate; istos gentem esse dixerit, cuius Judaei ignorent lingvam, et quod Daniel in Babyloniam abductus una cum sociis suis studio, et labore coactus sit discere lingvam Chaldaicam, ut est Danielis 1. v. 4. et quod ipse S. Hieronymus praefatione in Danielem fateatur se rursum debuisse fieri discipulum in percipienda Chaldaica lingva, cum Hebraicae iam peritus fuisset. Atque argumentum, quod ex Adam, Heva, Cain, Abel,

reliquisque omnibus fere nominibus propriis, quae in Scriptura sunt, quaeque etiam nunc in lingva Hebraea illam suam significationem, cuius gratia tunc adsumpta sunt, retinent, petitur, solvere conantur dicendo Moysem in scribendo non vetusta nomina retinuisse, verum illa in Hebraea, quae idem significarent, transformasse. Nec dicuntur ista prorsus sine pondere. Sed mihi tamen illud prius certius, probabiliusque habetur. Nam primo fas non videtur esse dubitare, quin Noe tantopere ab iustitia laudatus, quique post Babelicae civitatis, atque turris fabricam pluribus adhuc annis superstes erat; insons in illa machinatione fuerit, istiusque totius consilii, atque molitionis expers. Sicut igitur ante a diluvio in communi omnium strage ipse propter iustitiam fuerat servatus; ita censendum est, nec tunc in lingvarum confusione eamdem quam ceteri, debuisset poenam subire. Retinuit ergo ipse pristinam lingvam suam. Nec vero hoc ei prodesse potuisset; si nemo praeter illum, quicum eadem lingva sua loqui posset, remansisset. Fuerunt ergo plures, et hi maxime, qui cum sanctissimo sene propter morum similitudinem coniunctius vixerunt, qualisque fuit Sem, et alii, ii praesertim, ex quibus progenitoribus Abraham descendit. Quam lineam, et antediluviano tempore videmus, et postea pietate, et observantia prae reliquis floruisse. Neque ergo etiam ad hos confusionis illa poena pervenit. Postquam vero Abraham in Chananaeam venit; ipse primum, deinde Isaac, istorumque

nepotes perceperint omnino Chananaeam lingvam, sed tamen ita, ut etiam conservaverint suam. Nam Jacob in Mesopotamiam ad Labanum avunculum suum cum venisset, Gen. 29. v. 4. nullo negotio cum hoc, et cum incolis illius civitatis legitur sermocinatus esse. Atque patriarchae ita omnino arctiorem consvetudinem, coniunctionemque cum Chananaeis vitabant, ut nec uxores quidem sibi ex illis sumerent, sed has sibi ex Mesopotamia, cognationeque paterna peterent. Quod, si deinde inter lingvam, quam Abraham secum ex Chaldaea attulit, et inter eam, quae deinde Chaldaeorum lingva fuit, quaedam diversitas exstitit, potuit illa sane postea accidere: ut omnes fere lingvae mutationes tales, atque vicissitudines passae sunt. Nec inter Chaldaeam, et Hebraeam lingvam tanta est, teste ipso S. Hieronymo, distantia. Qui praefatione in Tobiam „Vicina est, inquit, Chaldaeorum lingva „sermoni Hebraeo.“ Quamobrem res inter Hebraeam, et Chaldaeam lingvam sic se habere videtur, uti nunc inter Latinam et Gallicam, vel Germanicam et Anglicam. Nam, tametsi hae: Gallica a Latina, Anglica a Germanica originem ducat; tamen qui Latine, et Germanice scit; non propterea etiam Gallicam intelligit, et Anglicam; nisi aliquas fortasse voces. Quod iam ad Hebraica antediluvianorum etiam temporum vocabula attinet, in his equidem nullum aliquod argumentum esset ponendum; quia quamvis illa ante in altera fuissent lingva, potuissent nihilominus a Moyse in Hebraeum

transformari: quemadmodum hoc ipsum Latinus etiam, atque Graeci faciunt nonnunquam Interpretes, uti cum ex Hebraeo *Isch*, et *Ischa* quod virum et uxorem significat, Latinus Interpres pro uxore posuit viraginem, ut quemadmodum in Hebraeo, sic ipse quoque derivationem a vocabulo: vir, in nomen, quo uxor significanda erat, observaret. Sed non hic totum situm est argumentum; atque in eo posita est illius vis, quod eadem illa Hebraica vocabula, quibus usus est Moyses in propriis personarum, atque locorum nominibus, non tantum usurpaverint alii etiam antiqui profani scriptores; verum etiam, quod sicut Moyses illa posuit; ita prorsus plurima illorum locis ipsis, et nationibus, quarum illa nomina in Hebraeo posita sunt, insederint. Qualia sunt: Sidon, Aram, Assur, Babel, Jordanes, Eden, Ninive, Euphrates, Ararat, Libanus, pluraque alia. Ergo illa tantum ad captum Hebraeorum Moyses Hebraice non reddidit. Nam, etiamsi in Bibliis hoc facere potuisset; non tamen easdem locorum, et fluviorum denominationes etiam apud omnes alias nationes immutavisset. Ergo etiam Hebraeorum lingva; qua Moyses in scribendo usus est, ab alia, quae fuit, quando nomina illa imposita sunt, et ab ea, quae a mundo condito ad Babelicam usque turrim viguit, diversa non fuit. Itaque etiam nunc nomina non tantum falsorum deorum, verum etiam antiqua montium, fluviorum, urbium, atque regionum nomina, quorum sonus Graecis, aliisque nationibus

barbarus semper habitus est, originem habere suam deprehenduntur in Hebraea lingva, quod Bochartus doctissime demonstravit in Geographico suo Lexico, quod *Phaleg, et Chanaan* inscripsit. Quid vero multa opus est disputatione, cum ipse Moyses nomina animalium illa eadem tum esse, quando scribebat, quae ipsis ab Adamo sunt imposita, luculenter dicat? „Omne, inquit, quod vocavit „Adam, animae viventis, ipsum est nomen eius. “ Gen. 2. v. 19. Ergo reliquit nomina, sicut ab Adamo imposita fuerunt. Quibus si alia ex Hebraea lingva substituisset, non haec illa vetera ab Adamo fuissent, nec proinde hoc de illis Moyses affirmare potuisset.

8. *Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessarunt aedificare civitatem.* 9. *Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae, et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* Ex eo, quod Deus illius civitatis, et turris molem, ne perfici posset, turbaverit, atque lingvarum confusione fabricatores illos puniverit, unde in genus humanum certe non leve incommodum dimanavit, non tantum ad acquirendas scientias, et ad agenda commercia; verum etiam, quod lingvarum disiunctio animos etiam saepe distrahat, aversosque efficiat; intelligitur illud opus Deo minime probatum fuisse, illosque peccavisse. S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 2. fastum, et superbiam illorum hominum in hoc repre-

hendit, et accusat. Videntur consimiliter deliquisse, atque David, quando gloriae, et ostentationis causa, ut numerum eius sciret, numerari iussit suum populum 2. Reg. 24. v. 2. Anno mundi circiter millesimo, et octingentesimo facta est illa aedificatio, lingvarumque confusio.

10. *Hae sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluvium.* Jam superiore capite Semi, una cum duorum suorum fratrum stirpe, facta est posterorum descriptio. Sed tunc coniunctim cum aliis etiam ab eo ramis: nunc vero per illum tantum ramum; ex quo processit ab eo Abraham. Suntque a Noe usque Abrahamum in genealogia iterum decem personae, totidem, quot etiam ab Adamo usque ad Noe fuerunt. 11. *Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, et genuit filios, et filias.* 12. *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale.* Existit hic illa, de qua ad finem superoris capitis iam mentionem feci, non exigua difficultas, an non hinc ex genealogia Moyses praetermiserit Cainan, quem Septvaginta habent positum inter Arphaxad, et Sale, sic ut Sale non filius Arphaxadi sit, sed tantum ex Cainano filio nepos. Et ne libere Septvaginta Interpretum hac in re repudiari possit auctoritas; gravissimum obiicit pondus Lucas, qui peraeque Cainanem in hac genealogia posuit, quam a Christo sursum adscendendo ad Adamum usque perduxit capite tertio sui Evangelii. Varias ineunt vias Inter-

pretes ad enodationem istius difficultatis. Sunt etiam, qui non dissimulent, sed confiteantur modum se nescire, quomodo solvi illa debeat. Maxima autem illorum pars huc confugit, ut dicant a Septvaginta primo, deinde vero istorum ductu a Luca id esse in hac genealogia suppletum, quod a Moyse erat praetermissum, atque Cainani personam esse ab illis explicite positam, quam Moyses tantum transilierit: atque istiusmodi praetermissionis personarum aliquarum in descriptione genealogiae esse etiam apud Matthaeum exemplum, qui etiam capitis 1. v. 8. tale compendium fecerit praetermissis inter Joram et Oziam tribus personis quae intercesserunt: Ochozia, Joa, et Amasia: uti hoc constat ex tertio libro Regum, et Libro secundo Paralipomenon. Res haec ita facile videretur explicari posse, nisi illud iterum incommodum occurreret, quod, cum Arphaxad trigesimo quinto aetatis anno dicatur genuisse Sale: si Sale tantum nepos illius fuit, Cainan vero filius; esset consequens, ut tam Arphaxad, quam Cainan admodum adhuc adolescentes, et iam decimo septimo aetatis suae anno debuissent matrimonio operam dare, idque contra morem illius temporis, uti hoc ex tota hac genealogia apparet. Ubi nemo non eorum, qui recensentur, trigesimum circiter aetatis annum habuit, cum dicitur filium generasse. Videtur igitur mihi haec alia, quam proponam, quae firmioribus rationibus subnixa, nec supra solam fundata est suspicionem, uti ista prior, de qua modo dixi, est;

ratio expediendi hanc difficultatem esse illi alteri anteponenda. Est autem talis, ut tam isto capite, quam superiore, ubi itidem inter Arphaxad, et Sale interpositus est Cainan, agnoscatur esse mendum, quod in Graecam Septvaginta versionem alicuius vitio irrepserit. Hoc autem inde intelligi potest, quod Patres primorum seculorum, ne ipsi quidem Cainanem in suis, licet Graecis Bibliis legerint. Inter quos primus est Theophilus Antiochenus libro tertio ad Autolycum. In quo cum de hac ipsa genealogia verba faceret, patriarchasque istos recenseret; tamen nullam Cainanis mentionem facit; sed disertis verbis ab Arphaxado pronunciat genitum esse Sale, quamvis dubio nullus locus sit, quin Septvaginta Interpretum usus sit versione, quorum computandi rationem in annis adcurate sequitur. Ad eumdem hunc modum rem hanc instituit, genealogiamque hanc recensuit Julius etiam Africanus apud Eusebium in Chronico. Etiam S. Epiphanius in libro de Ponderibus, et Mensuris, cum ab Adamo usque ad Jacob viginti duas numerasset personas, quae vero una plures essent, si Cainan etiam in hoc numero positus esset, non obscure de se prodidit sibi in hac recensione invisum, atque ignotum fuisse Cainanem; quamvis nec ipse alia, quam Graeca versione usus sit, utpote et Graecus et qui Graece scripserit. Atque Cainanem esse nominatim ab eo praetermissum inde etiam manifeste adparet, idemque hoc ipsum confirmat, quod ille illum non legerit, quod Haeresi 55. commemoratis rursus,

qui a quibus, qui in hac genealogia ponuntur, generati sint; Sale dicat genitum esse ab Arphaxad. Quid multa? S. Hieronymus, vir ille in Sacris Literis tam diligens, atque sagax, cum in suis Quaestionibus Hebraicis soleat semper adnotare, si quae interveniat inter Hebraeum et Graecum Scripturae textum legendi diversitas; hic nihil tamen adnotavit; sed potius etiam ipse ab Arphaxado esse progenitum Sale in iisdem suis Quaestionibus posuit. Sed et Eusebius cum annos patriarcharum, et eorum genealogiam triplici modo proposuisset, atque primo secundum Hebraeum textum, deinde iuxta Samaritanum Codicem, ac demum secundum Septvaginta Interpretum versionem supputavisset; Cainanis prorsus nuspiam meminit. Atque illud etiam declarat non Septvaginta ipsos fuisse, qui Cainanem huc posuerint, quod iidem in Paralipomenon libri 1. capite 1. ubi eadem genealogia describitur; ipsum praetermiserint. Quod si autem hic in Genesi ipsum posuissent, non hoc idem iidem diverse, et aliter hic, aliter ibi fecissent. Ipsum vero locum hunc, ut modo in Septvaginta Interpretum versione est, intueamur. Ex quo difficile non erit perspicere hoc de Cainane nonnisi alienae manus laciniam, et assumentum esse. Sic vero totus ille locus est Latine ad verbum redditus. *Vixit Arphaxad centum triginta quinque annis* nempe etiam hic, ut iam supra ad caput huius libri quintum demonstratum est, Septvaginta centum annos cuilibet personae addunt ad annum, qui

in textu Hebraeo est, quo generarunt filium, *et genuit Cainan, et vixit Arphaxad, postquam genuit Cainan quadringentis annis, et mortuus est. Et vixit Cainan centum triginta annis, et genuit Sale: et vixit Cainan, postquam genuit Sale, trecentis triginta annis, et mortuus est. Et vixit Sale centum triginta annis, et genuit Heber, et vixit Sale, postquam genuit Heber, trecentis triginta annis, et mortuus est.* Totidem annos ubique et Cainan, et Sale habet. Quis autem hic non perspiciat cum primum Librarius erravisset, atque bis Salem illiusque annos, quibus et ante filii generationem, et postea adhuc vixerat, posuisset; imprudentem aliquem supervenisse, qui hoc corrigere volens pro Sale in uno, eoque priore loco Cainanem, suo tantum arbitrio (videtur autem hoc nomen transsumpsisse ex Geneseos capite quinto, ubi Adami, atque Sethi stirpis propagatio ad Noe usque describitur) inscientissime substituerit. Qui deinde error non tantum in anterius etiam huius libri caput, verum etiam in Lucam transfluxit, quasi hic utrobique supplendi causa, quod putaretur esse omissum, aut excidisse. Illud quidem mirum, atque difficile videri potest, quomodo ex uno depravato exemplari in omnes editiones, et Manuscripta, quorum summus est consensus pro ista, quae sic dicitur depravata lectione, diffundere se et propagare error ille potuerit. Etsi vero hoc perspici non posset, quomodo factum sit, mirabileque haberetur; tamen ubi certum est primis seculis in Sept-

vaginta Interpretibus Cainanem non fuisse lectum, uti hoc iam demonstratum est; certisne documentis fidem denegabimus, ne factum esse credatur, etsi quomodo hoc factum sit, obscurum habeatur? Sed ne in Luca quidem antiquitus Cainanis nomen exstitisse S. Irenaeus l. 3. contra Haer. c. 33. documentum praebet. Nam is dicit Lucam in Christi genealogia septvaginta duas generationes posuisse usque ad Adam. Atqui una plures sunt, si etiam Cainan in illa collocetur. Ex quo infertur ab Irenaeo in Luca non fuisse lectum Cainanis nomen isthic inter Arphaxad et Sale. Ergo exstabat Lucae Evangelium absque isto olim nomine. Etiam Vetus Lucae Manuscriptum e Graecia olim allatum, quod ex Lugdunensi S. Irenaei coenobio, cum in manus Theodori Beza devenisset, ab eo postea Cantabrigiensi Academiae donatum est, caret isto Cainanis nomine. Equidem obmoveri solet, quo isti Manuscripto auctoritas detrahatur, habere illud multas lituras. Sed etiamsi multas lituras habeat: tantum in hoc loco, de quo controversia est, nulla litura sit, cur non valere debeat illius auctoritas, propter lituras, quae in aliis illius locis sunt, causa nulla est. Hoc autem, quod in ipso illo controverso loco litura sit, a nemine, quantum adhuc legi apud eos, qui adversus hoc disputant, adductum esse pro argumento reperi. Quod autem modo tantopere non tantum editiones, verum etiam Manuscripta alia omnia in Cainanis nomine, ad illum habendum, consentiant, quod Manuscripta

nuscripta concernit vetera, summa est illorum paucitas, et ipsum Vaticanum, et Alexandrinum, quae duo omnium antiquissima sunt, non esse superiora sexto vel quinto seculo, ex literarum, quibus scripta sunt formis, Criticorum iudicium est. Quod si autem depravatio illa huius loci prioribus iam seculis facta est, quam facile etiam ex uno propagari iste error potuit? et cur non ista ipsa pauca, quae adhuc supersunt, ex his, quae transscripta depravate sunt, esse possent? Nam in editionibus, quae literarum fusis formis factae sunt, cum de his tantum residuis ex antiquitate manuscriptis factae sint, idque seculo tantum decimo quinto, qui aliter fieri potuit, quam ut in hoc deinde naevo omnes editiones convenirent?

13. *Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, et genuit filios, et filias.* 14. *Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber.* 15. *Vixitque Sale, postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, et genuit filios, et filias.* 16. *Vixit autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg.* 17. *Et vixit Heber, postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, et genuit filios, et filias.* 18. *Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu.* 19. *Vixitque Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis novem annis, et genuit filios, et filias.* 20. *Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug.* 21. *Vixit quoque Reu, postquam genuit Sarug, ducentis septem annis, et genuit filios, et filias.* 22. *Vixit quoque Sarug triginta annis, et genuit Na-*

chor. 23. *Vixitque Sarug, postquam genuit Nachor, ducentis annis, et genuit filios, et filias.* 24. *Vixit autem Nachor viginti novem annis, et genuit Thare.* 25. *Vixitque Nachor, postquam genuit Thare, centum decem, et novem annis, et genuit filios, et filias.* 26. *Vixitque Thare septvaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran.* Non quasi omnes hos tres filios isto septvagesimo aetatis anno suscepisset: sed, quod isto primum anno liberos istos suos procreare coeperit. Abram autem, quamvis ordine primus inter illos sit positus; est tamen multo iunior, et anno tantum centesimo trigesimo Thare in lucem editus. Infra enim huius capitis versu ultimo Thare mortuus dicitur in Haran anno aetatis ducentesimo quinto. Post illius autem obitum sequentis capitis v. 4. Abram, quando ex Haran a Deo iussus fuit in Chananaeam ire, septvaginta quinque fuit annorum. Quare, si isti septvaginta quinque Abram anni subtrahantur ab annis, quibus vixit Thare; prodibit annus centesimus trigesimus Thare, quo is genuit Abramum. Natus igitur est Abraham, computatis annis patriarcharum, qui ab Adamo usque ad Abraham ordine per generationis lineam rectam descenderunt, et quando istorum quisque alterum, qui illi in hac linea succedebat, in lucem edidit, anno mundi 2008. Quare dignitatis tantum causa Abraham est fratribus suis antepositus, et tamquam, quae inter illos princeps persona sit, cuius gratia haec instituatur narratio.

27. *Hae sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, et Aran. Porro Aran genuit Lot.* 28. *Mortuusque est Aran ante Thare partem suum in terra nativitatis suae in Ur Chaldaeorum. Ur* nomen civitatis est, de qua adhuc inferius instituetur sermo. 29. *Duxerunt autem Abram, et Nachor uxores. Nomen uxoris Abram Sarai, et nomen uxoris Nachor Melcha filia Aran patris Melchae, et patris Jeschae.* Redundans est oratio. Nam, cum dictum esset Melcham filiam fuisse Aran, satis intelligebatur, hunc fuisse illius patrem. Jescham autem eamdem esse cum Sara uxore Abrahae censuit S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis, et S. Augustinus l. 22. c. Faustum c. 35. fuisseque binonymam. Cui illud videtur obstare, quod nuspiam alibi in Scriptura Sarae nomen hoc tribuatur; deinde, quod Abraham Abimelecho de Sara uxore sua sic responderit: „Alias autem, et vere soror mea est: filia patris mei, et non filia matris „meae.“ Si ergo filia patris fuit, non erat filia Aran, qui frater fuit Abrahae. Atque, sicut, cum illam negavit esse filiam matris suae, de ea quae proprie fuerit mater, vocabulum hoc matris usurpavit, ita consequens est, ut etiam patris vocabulum hic proprie sit sumptum de patre, qui ipse per se illum generaverit, propter sermonis antithesim, et contrapositionem: quae nulla esset, si non utrobique eodem modo vocabulum patris sumeretur. Quare Saidas Batricides patriarcha Alexandrinus, qui seculo circiter decimo vixit, in Annalibus,

quos Arabice scripsit, in quibusque memoriae prodidit Orientalium veteres traditiones; tradit Thareo primam uxorem fuisse Jonam, deinde hac mortua fuisse illi alteram nomine Thevitam: ex priore esse a Thare Abrahamum, et altera Saram susceptam.

30. *Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.* 31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Chanaan, veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi.* Etiam Nachorem alterum suum filium secum ex Ur Chaldaeorum abduxerat. Quod perspicitur ex eo, quod in Haran postea Laban habitaverit, qui nepos fuit Nachoris. Gen. 29. v. 4. Itaque cum universa domo sua Thare ex Ur se contulit in Haran. Ur autem est nomen proprium loci in Chaldaea, ut docent Josephus l. 1. Antiq. et Eusebius, et S. Hieronymus de Locis. Vi autem sua significat ignem. Quemadmodum etiam Latinus Interpres 2. Esd. 9. v. 7. istud ignem Chaldaeorum vertit. Ex hoc vero, quod illa vox ignem significet, videntur Judaei hanc fabulam suam composuisse: Abrahamum, cum ignem, quem Chaldaei Dei loco coluerunt, noluisset adorare, fuisse in eumdem illum ignem ab illis coniectum, quemque Deus in igne illaesum servaverit, et postea in terram Chanaan abire iusserit. Hanc Judaeorum narrationem etiam S. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis, et S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei c. 12. secutus fuit, istorumque auctori-

tate plures deinde alii Interpretes. Atque S. Hieronymum ea res, ut hanc narrationem sequeretur, induxit; quod cum observasset annorum rationem de Abraham non bene cohaerere, dicendo anno septvagesimo Thare patris esse illum natum; et tamen, cum pater anno aetatis suae ducentesimo quinto esset mortuus; egisse illum tum annum aetatis septvagesimum; sic enim ad obitum sui patris annum Abraham attigisset aetatis centesimum trigesimum quintum; huc confugit rem hanc inter se conciliandi gratia; ut aetatem illam septvaginta annorum diceret esse numerandam ab illo igne, ex quo prodigiose servatus, atque eductus fuit Abraham. Criticis autem non aliud, quam mera haec fabula habetur, ut in eiusmodi effingendis admodum feracia solent esse Judaeorum ingenia. Neque enim ullo aliquo Scripturae, sed ne alterius quidem alicuius Scriptoris documento probatur. Nec Moyses, qui actiones alias Abrahae, atque illius itinera, resque multo levioris momenti summa accuratione persequitur, atque exponit; hoc illius factum tam notalibe, tam insigne, tamque ad instruendum aptum, atque efficax, ne exemplo sui patriarchae Israelitae deficerent ad idololatriam, videtur praetermissurus fuisse. 32. *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.*

CAPUT XII.

Ex Haran iussu Dei Abraham demigrat in Chananaeam, ibique peregrinatur. Pergit deinde propter exortam famem in Aegyptum, ubi a Pharaone Sara uxor ei eripitur, quam tamen intactam rursus recipit.

1. *DIXIT autem Dominus ad Abram: egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi.* S. Stephanus Protomartyr, cum verba faceret in Judaeorum concilio ,, Deus gloriae, inquit, ,, apparuit patri nostro Abrahae, cum esset in Me- ,, sopotamia, priusquam moraretur in Charan, et ,, dixit ad illum: exi de terra tua, et de cognatio- ,, ne tua, et veni in terram, quam monstravero ,, tibi. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, et habi- ,, tavit in Charan." Act. 7. v. 2. Itaque hoc ad Abrahamum dicit esse dictum, antequam adhuc venisset in Haran; cum tamen Moyses doceat istud ei a Deo esse imperatum, cum iam fuisset in Haran. Quem nodum, ut dissolveret Melchior Canus, non dubitavit in libro de Locis Theologicis asserere Stephanum tunc in dicendo memoria esse lapsum, idque eum pronunciasse de Mesopotamia, quod actum esset cum Abrahamo in Haran; locumque alterum cum altero esse ab eo permutatum inadvertentia propter fervorem disputationis. Alii, quibus haec respondendi ratio minus arridet propterea,

quod tali modo erroris insimuletur Stephanus, qui tamen Spiritu S. plenus tum erat, quando disputabat, uti in illo Actorum loco est, varias alias rationes, inprimisque hanc ad dissolvendum hunc nodum iniverunt: Abrahamum non primum modo esse in Chananaeam profectum, sed statim tunc uno itinere, quando discessit ex Ur Chaldaeorum, Thare patre illius in Haran consistente, et ad quem, cum Abraham invisendi illum causa saepius venisset in Haran, demum nunc, cum ad illum morabundum venisset, eique mortuo iusta exequiarum persolvisset; sic ex Haran in Chananaeam abivisse, ut iam deinceps numquam eo redierit. Quae satis ad arbitrium excogitata, et consarcinata interpretatio est: quin pugnat ea etiam cum superioris capitis versu 31. Nam id, quod de Thare ibi est, venisse illum in Haran, ibique habitasse, idem etiam pronunciatur de Abrahamo, et nihil discernitur prorsus inter hunc, atque illum. Cumque etiam S. Stephano errorem, ac falsitatem in loquendo tribuere in ipsum Spiritum sanctum redundans sit, qui tum ex illo loquebatur, quandoquidem Christus Matth. 10. v. 20. promiserit armandos Spiritu S. ad respondendum eos, qui religionis causa in iudicium, et ad tribunalia ducerentur: „Non enim, „inquit, vos estis, qui loquimini, sed Spiritus „Patris vetsri, qui loquitur in vobis“ alia ineunda nobis via est, quo loco haec duo inter se concilientur. Ac S. Stephanum tantum abest, ut memoria defecerit; ut potius appareat, Haranem cogita-

te ipsum, atque circumspecte memorasse, qui illum locum tam manifeste a Mesopotamia, ubi prius Abraham fuerat, et unde in Haran venerat, distinxerit. „Cum esset, inquit, in Mesopotamia, „ priusquam moraretur in Haran.“ Sed animadvertendum est Abrahamum bis esse vocatum, et accepisse mandatum a Deo proficiscendi in Chananaeam. Primum, cum adhuc esset in Ur Chaldaeorum, quam S. Stephanus latiore nomine Mesopotamiam adpellavit, siquidem Chaldaea illius erat pars. Atque de hac prima vocatione mentionem instituit Stephanus. Inde autem accepto mandato, cum profectus esset Abraham, prosecutus illum etiam fuit Thare pater. „ Cum filius religiosus es- „ set, ait S. Chrysostomus hom. 31. in Gen. visus „ ei Deus, imperavit, ut inde migraret. Quod ut „ agnovit Thare pater eius, licet infidelis esset; at- „ tamen ob amorem in filium, socius illi peregri- „ nationis esse voluit. Et ut venit in Charran, ac „ illic habitavit aliquamdiu, vita hac excessit. Pa- „ triarcha autem tunc iubente Deo, in Chananaeam „ concessit.“ Cur autem in Haran substiterint, causa non exponitur. Sed verisimile est propter affectam iam valetudinem, et fractas vires Thare: qui deinde etiam brevi ibi obiit. Chronologi, et nominatim Lancelotius sex tantum mensium spatium censent fuisse, quo Abraham moratus est in Haran. Cum igitur Deus mandatum de profectione in Cananaeam ad Abrahamum rursus in Haran renovavisset; ille iter, quod iam ante coeperat, pro-

secutus est, et cum uxore, atque Lotho Arani fratris filio in Chananaeam pervenit. Nachor autem Abrahae frater in Harán permansit. Fortasse ipse noluerit sequi Abrahamum fratrem. Nam hoc uti *de terra, et cognatione sua, et de domo patris sui exiret*, eo tantum spectavisse; ut ex regione decederet, ubi cognationem, et domum paternam habebat, non ut cognati illum sequi etiam non possent; intelligitur ex facto Lothi, qui illum cum uxore et duabus filiabus est comitatus. Ex superioris autem capitis versu 31. intelligitur scivisse Abrahamum, in Chananaeam illi eundum esse. Et tamen adhuc Deus dicit se illi monstraturum terram, ad quam ire deberet. *Veni in terram*, inquit, *quam monstrabo tibi.* Etiam Paulus ad Hebraeos 11. v. 8. dicit nesciisse Abrahamum, quo iret. Quod ita componi, et conciliari inter se debet: scivisse nimirum Abrahamum, quod in Cananaeam mitteretur, habuisseque de nomine notam proinde hanc regionem; ignorasse autem illam, qualisnam, quoad indolem, haec esset regio, et commodioremne ibi habiturus esset habitationem, quamque Deus illi monstraturus fuerat; cum illam regionem nunquam antea vidisset, et in qua numquam antea fuisset. Quod ergo Paulus illum dicit nesciisse, hoc est, quod nondum fuerit expertus, peregrinaque, atque incognita haec ei fuerit regio.

2. *Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* 3. *Benedicam benedicentibus tibi,*

et maledicam maledicentibus tibi, atque in Te benedicentur universae cognationes terrae. Hoc: *in te* Genesis 22. v. 18. aliis verbis positum est luculentius: *In semine tuo.* De quo S. Paulus ad Gal. 3. v. 16. „ Abrahae, inquit, dictae sunt pro„ missiones, et semini eius. Non dicit seminibus, „ quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, „ qui est Christus.“ 4. *Egressus est itaque Abram, sicut praeceperat ei Dominus, et ivit cum eo Lot. Septvaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran.* 5. *Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, et animas, quas fecerant in Haran, et egressi sunt, ut irent in terram Chanaan.* Per Synecdochen anima, tanquam pars posita est pro toto homine. Erant vero hae animae in Haran procreatae ex Abrahami, atque Loti mancipiis. Etiam de pecudibus, quae ibi illis generatae sunt, potest hoc intelligi. Fortasse etiam Lot ibi unam susceperat filiam. Istud: *animas, quas fecerant in Haran* Septvaginta sic verterunt: πᾶσαν ψυχὴν ἣν ἐκτήσαντο ἐκ Χαῤῥὰν *omnem animam, quam possederunt ex Charran.* In Hebraeo autem litera *beth* (ב) praepositionis loco posita, etsi quidem vulgo valeat idem, quod Latina praepositio *in*; tamen sic etiam usurpatur, prout Septvaginta verterunt. Quod declarant exempla, quae sunt Levitici. 8. v. 32. Genesis 7. v. 21. Loco autem *fecerunt* iidem significantius: *possederunt* posuerunt. Nam animae, quae illis factae, atque productae

sunt; utique in illorum peculium, atque possessionem cesserunt.

Cumque venissent in eam, 6. *pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem. Chananaeus autem tunc erat in terra.* Sichem non obscurus erat postea locus in Judaea, qui etiam postea saepius nominatur. Quem eumdem Joannes in Evangelio cap. 4. v. 5. etiam Sichar adpellat. Infra capite 34. memoratur postea Sichem aliquis Hemor filius, qui Dinam Jacobi filiam vitiavit. A quo fortasse locus iste nomen accepit, quodque iam Moyses hic per prolepsim, et anticipationem usurpavit, aut fuerit etiam isto eodem nomine aliquis iam antea ex maioribus illius eiusdem Sichem, qui nomen suum illi loco indiderit. Pro Convalle illustri in Hebraeo est *Elon more* (אֵלוֹן מוֹרֶה) Elon autem in Hebraea lingva quercum significat. Quare Septvaginta etiam hic verterunt *quercum altam* τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν. Latinus autem Interpres situm magis loci illius expressit, quae reipsa vallis fuerit multis istius generis arboribus illustris, id est conspicua. Fortasse etiam ab ipso Abrahamo locus ille denominationem acceperit hanc. Qui, quod ibi Dei apparitionem habuerit, quercusque, aut quercetum in eodem loco fuerit, *quercum visionis* sic enim Hebraicum *Elon more* reddi etiam potest, eumdem illum locum adpellaverit. Chananaeus autem tunc erat in terra, in eadem videlicet regione illa, in qua tum peregrinabatur Abraham, et quam proxime, quan-

do Moyses hoc scripsit in suam ditionem acceptu-ri erant Israelitae. Quod Moyses iam praevie notavit, ut doceret, eumdem illum Chananaeorum populum, quem brevi debellaturi ipsi erant, iam tum etiam Abrahae aetate incoluisse eam, in quam tum iter habebant, regionem. Chananaei autem nomine comprehenduntur Hethaei, Jebusaei, Amorrhaei, pluresque populi; qui scilicet ab Chanaan, Chami filio, genus duxerunt, et per quos, ut Gen. 10. v. 18. est, disseminati sunt populi Chananaeorum.

7. *Apparuit autem Dominus Abram, et dixit ei:* in illo scilicet, de quo modo praecessit loco, et in convalle illa illustri: *Semini tuo dabo terram hanc. Qui aedificaverat ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* 8. *Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum ab Occidente habens Bethel, et ab Oriente Hai. Aedificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen eius.* Nomen Bethel nonnisi postea a Jacobo illi loco inditum est, quando in somno scalam ibi a terra usque ad caelum pertingentem vidit: antiquum autem illius nomen Luza fuit, ut est Gen. 28. v. 19. 9. *Perrexitque Abram vadens, et ultra progrediens ad meridiem.* 10. *Facta est autem fames in terra, descenditque Abram in Aegyptum, ut peregrinaretur ibi. Praevaluerat enim fames in terra.* 11. *Cumque prope esset, ut ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai uxori suae: novi, quod pulchra sis mulier,* 12. *et quod, cum viderint te Aegyptii,*

dicturi sunt: uxor illius est: et interficient me, et te reservabunt. 13. *Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui.* Faustus Manichaeus apud S. Augustinum l. 22. c. Faustum c. 33. atque etiam Origenes hom. 6. in Gen. Abrahamum hic accusant, quasi prodere, ac prostituere voluerit uxoris suae pudicitiam per simulationem, qua Saram suam tantum dici voluit sororem, occultavitque esse uxorem. At S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei c. 19. „Ubi uxorem suam dixit sororem, nihil, „inquit, est mentitus. Erat enim et hoc, quia pro„pinqua erat sangvine; sicut etiam Lot eadem pro„pinquitate, cum fratris eius esset filius, frater „eius est dictus. Itaque uxorem tacuit, non nega„vit, coniugis tuendam pudicitiam committens „Deo, et humanas insidias cavens, ut homo. Quo„niam, si periculum, quantum caveri poterat, non „caveret; magis tentaret Deum, quam speraret in „Deum.“ S. Chrysostomus autem hom. 32. in Genesim, illius etiam in hoc laudat prudentiam, quod cum duplici periculo premeretur et violandae uxoris, et vitae propriae amittendae unum saltem, si utrumque non posset, conaretur ex ambobus malum effugere. „Prudentiam, inquit, non mediocrem „ex eo licet cognoscere, quod in tantas redactus „angustias, et tanquam laqueis irretitus hanc viam „potuerit adinvenire, qua malum imminueretur.“ Sane Abraham, quando illud consilium iniit, de suo periculo erat tantum sollicitus; violationem au-

tem suae uxoris nec intendebat, nec in voluntate ullatenus habebat, quod tamen ad contrahendam hanc culpam necessarium fuisset. Unum igitur vere dixit, alterum vitandi periculi causa subticuit. Atque tantum abest, ut culpa aliqua fuerit in reticendo; ut potius vitiosum etiam saepe sit, totum quidquid scias, etiamsi illud verum sit, manifestare, et dicere.

14. *Cum itaque ingressus esset Abram Aegyptum, viderunt Aegyptii mulierem, quod esset pulchra nimis.* 15. *Et nunciaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum, et sublata est mulier in domum Pharaonis.* Hoc nomine omnes utebantur reges Aegypti usque dum Aegyptus in Chaldaeorum devenisset potestatem, quod contigit eodem fere tempore, quo Jerosolyma vastata fuit ab iisdem Chaldaeis sub rege eorum Nabuchodonosore. Regem vero vox haec: Pharao significat, ut docet Josephus Ant. l. 8. c. 2. Erat in more antiquitus, ut regiae uxores antequam ad regis cubile reciperentur, plurium mensium spatio praepararentur unguentis, variisque pigmentis, uti hoc legitur de Esthere, quando facta est coniux Asveri. Esth. 2. v. 12. Inde ergo, et ab hac consvetudine repetendum esse docet S. Hieronymus in Libro de Quaest. Hebraicis, quod Sara violata a rege statim non sit, sed antequam ab eo contingeretur, cum esset a Deo propterea plagis affectus, restituta marito sit. 16. *Abraham vero bene usi sunt propter illam, fueruntque ei oves, et boves, et asini, et servi, et famulae, et asinae, et cameli.* 17. *Fla-*

gellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, et domum eius propter Sarai uxorem Abram. „Et qua de causa, ait S. Chrysostomus hom. 32. „in Gen. cum rex peccet, omnes de domo eius „poenae sunt participes? Non absque ratione hoc „quoque fit; sed ut per hoc regis insania compescatur, graviori plaga indigebat; ita, ut ipse „facinore deterreretur. Et qui, aies, hoc iustum „sit, propter illum alios puniri? Non propter il„lum solum poenam sustinuerunt, sed verisimile „est eos cooperatos fuisse, ut postea committere„tur iniquitas. Audisti enim supra Scripturam di„centem: *ut viderunt eam principes Pharaonis, „laudaverunt, et introduxerunt eam in domum „eius.* Vidistis eos lenonum agere officium in re„gis gratiam auferendo iusti uxorem? Quapropter „non ipse solus, sed et omnes domestici eius poe„nae fuerunt participes." Nam, etsi non ut uxorem illam Abrahamo eripuerunt: erat tamen iniuriosum rapere etiam illi sororem contra utriusque voluntatem.

18. *Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei: quidnam est hoc, quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quod uxor tua esset?* 19. *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem?* „At unde didicisti, ait S. „Chrysostomus hom. 32. in Gen. uxorem esse Justi? „Ultor tantae iniquitatis, ille mihi indicavit." Et quomodo indicaverit, ibidem exposuerat sic aliquantulo superius: „Sensum ei, inquit, poena praestat,

„ quod sit uxor Justi." Nempe cum animadvertisset se propter illam plagis esse affectum; in cogitationem venit debere non liberam, sed copulatam matrimonio, quamque proinde nefas esset contingere. *Nunc igitur, ecce coniux tua, accipe eam, et vade.* 20. *Praecepitque Pharao super Abram viris, et deduxerunt eum, et uxorem illius, et omnia, quae habebat.* In Hebraeo est: *dimiserunt eum.* (יְשַׁלְּחוּ אֹתוֹ) Quod, quia tamen Pharao praeceperat viris, hominibus videlicet suis, quique deinde illum dimiserint cavendo, ne qua ei rursus iniuria ab aliquo accideret; res sensu non discrepat, atque Interpres Latinus, verbum, unde sensus tantum clarius perspiceretur, substituit. Cum Abrahamo autem Lotum quoque fuisse tum peregre in Aegypto; demonstrat Capitis sequentis initium.

CAPVT XIII.

Abraham ex Aegypto redit. Ab eo se separat Lot propter multitudinem gregum, et ob exortam inter suos, et Abrahae pastores contentionem, atque Sodomam habitandi causa se confert: Abraham vero in convalle Mambre locum domicilio sibi deligit.

1. *ASCENDIT ergo Abram de Aegypto ipse, et uxor eius, et omnia, quae habebat, et Lot cum eo ad Australem plagam.* 2. *Erat autem dives valde in possessione auri et argenti* Hebraice: *in possessione,*

sione, in argento, et in auro (בְּמִקְנֶה בַּכֶּסֶף וּבַזָּהָב) Vocabulum autem *Mikne*, quod in Hebraeo est, et cuius loco Latinus Interpres vocabulum: *possessio* posuit, cum generatim quamcunque possessionem significet; tum in specie adhibetur ab Hebraeis ad armentorum possessiones significandas, in quibus antiqui praecipuas suas divitias positas habebant. 3. *Reversusque est per iter, quo venerat a meridie in Bethel usque ad locum, ubi prius fixerat tabernaculum; inter Bethel et Hai,* 4. *in loco altaris, quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini.* 5. *Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula.* 6. *Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul. Erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter.* Id est simul, atque coniunctim. In Hehraeo et hic, et in anteriore parte huius versus, ubi Latinus Interpres posuit: *simul* est eadem Hebraica vox *jachdav* (יַחְדָּו) 7. *Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram, et Lot. Eo autem tempore Chananaeus, et Pherezaeus habitabant in terra illa.* Horum populorum mentionem hic fecit Moyses docendi causa, cur minus spatiose, quam pro numero pecorum necessarium erat, pascerentur Abrahae, atque Lothi pecora, quod Chananaei, atque Pherezaei occupata tenerent eadem pascua, et in quorum fundis ipsi tantum peregrini, ac hospites essent. „Causam docere voluit, ait S. Chrysostomus hom. „33. in Gen. Divina Scriptura, ideo eos capere

„ non potuisse, quoniam a gentibus illis praeoccu-„ pata erat."

8. *Dixit ergo Abram ad Lot: ne quaeso sit iurgium inter me, et te, et inter pastores meos, et pastores tuos, fratres enim sumus;* 9. *Ecce universa terra coram te est: recede a me obsecro. Si ad sinistram ieris; ego dextram tenebo; si tu dextram elegeris; ego ad sinistram pergam.* Nullum adhuc ipsi Abraham, atque Lotho intercesserat dissidium, sed tantum pastores illorum inter se contenderant. Itaque dissensionis tantum adhuc praecavendae causa hoc ab eo dictum est; aut certe, quod inter ipsorum pastores, iurgium fuit, id sic spectatur, quasi intercessisset inter ipsos etiam pastorum dominos, ut vulgo hoc domino tribuitur, quod per illius homines fit. Fratris autem denominatio, ut ex hoc loco perspicuum fit, non semper pro fratribus, qui proprie tales sint ex iisdem parentibus geniti, sed pro aliis etiam propinquis in Scriptura solet usurpari. 10. *Elevatis itaque Lot oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quae universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam, et Gomorrham, sicut paradisus Domini, et sicut Aegyptus venientibus in Segor.* Paradisus Domini Hebraice ad verbum est: *ut hortus Dei:* (כְּגַן־יְהוָה) quod idem est, atque hortus longe pulcherrimus, atque amoenissimus; Dei vocabulo adhibito per metaphoram ad elevandam significationem, quam fieri potest maxime: vel etiam instituitur comparatio cum illo horto, et paradiso,

in quo collocati erant primi homines. Soli autem illius ubertas repetitur ab aquis redundantibus Jordanis ad eum modum, quo Nilus quoque consvevit certis temporibus rigare Aegyptum diffundendo se per agros. Segor civitas in eadem planitie erat, cum Sodoma, et Gomorrha: Bala autem tum adhuc vocabatur, et cui nomen deinde Segor Hebraice *Izoar* (צֹעַר) quod parvum significat, a Lotho tantum est inditum, uti hoc ex subsequentis capitis v. 2. et capitis 19. v. 22. intelligitur. Nomen igitur hoc Segor Moyses posuit, quomodo tunc, cum scribebat, iam erat in usu, non quod iam tunc fuerit, quando hoc accidit, quod nunc narratur.

11. *Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, et recessit ab Oriente, divisique sunt alterutrum a fratre suo.* Hebraice: *et separati sunt vir desuper fratre suo* (וַיִּפָּרְדוּ אִישׁ מֵעַל אָחִיו) hoc est: separati sunt ab invicem, et unus ab altero. 12. *Abram habitavit in terra Chanaan; Lot vero moratus est in oppidis, quae erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis.* Quinque haec erant ista oppida: Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, et Segor. Unoque Graeco nomine Pentapolis dicta sunt, sitaque fuerunt in ora Chananaeae, quà Meridiem spectat. Quae postquam caelesti igne conflagravissent; lacus in eodem loco, et stagnum enatum est Asphaltidis Judaeae, quo Jordanes fluvius influit, ibique absorbetur. Est vero quaedam obscuritas Lothum moratum esse in reliquis oppidis circa Jordanem; habitavisse autem in Sodomis, eo-

que magis quod tam Hebraeus, quam Graecus commorationem illam vocabulo, quod habitationem significat, exprimat. (יָשַׁב κατῴκησε) Itaque hoc sic est intelligendum, Lothum in illa regione esse sensim progressum, dum denique domicilii sibi locum constitueret in Sodomorum civitate. Quem sensum Hebraeus manifestius exprimit. Nam loco: *et habitavit in Sodomis*, habet: *et tetendit tabernaculum usque Sodomam*. (וַיֶּאֱהַל עַד־סְדֹם) Etiam illud prius de gregibus ipsius, et armentis, quae non in solo agro Sodomae, sed reliquorum etiam oppidorum, ipse vero quoad se domicilii locum in ipsa Sodomorum civitate habuerit, potest intelligi.

13. *Homines autem Sodomitae pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis*; Hebraice *peccatores Deo nimis* (חַטָּאִים לַיהוָה מְאֹד) Ad eumdem vero sensum hoc redit: esse peccatorem Deo, vel coram Deo, uti hanc alteram phrasim, atque modum loquendi iam supra ad capitis 10. v. 9. explicavimus. Praeter genus flagitii, quod infra capite 19. manifestius exponitur, et quod S. Petrus epist. 2. cap. 2. v. 7. luxuriosam conversationem adpellat, cui dediti erant; de iisdem Sodomitis, atque eorum moribus sic etiam Ezechielis 16. v. 49. pronunciatur: „Ecce haec fuit, inquit, iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium - - - et manum egeno, et pauperi non porrigebant - - - et fecerunt abominationes coram me.“ Nempe, quae isthic priore loco memorantur instar fomitis erant, unde nefanda ipsorum libido ignem conce-

perat. 14. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot: leva oculos tuos in directum, et vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, et Meridiem, ad Orientem, et Occidentem.* 15. *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum.* Si ad carnales Abrahae filios promissio haec referatur; perspicuum ex ipso eventu est, possessionem promissae Chanaaniticae regionis Judaeis non fuisse perpetuam: nec proinde vocabulum: sempiternum in ista consideratione aliter sumi potest, quam pro longa aliqua duratione, atque toto illo temporis spatio, quo foedus vetus cum Judaeis duraturum erat, uti de notione istius vocabuli, et quod aeternum, sempiternum non semper in Scriptura significet fine carentem durationem, iam ad capitis 9. v. 17. demonstratum est. Sunt vero iuxta S. Paulum ad Galatas 3. v. 7. ii, qui ex fide sunt, filii Abrahae. Quare, quemadmodum carnales Judaei typum gerebant istorum Abrahae filiorum ex fide, ex quibus modo componitur Ecclesia, atque ipsa etiam Chananaea regio Abrahae stirpi promissa secundum eumdem Paulum ad Hebraeos cap. 3. et 4. alterius vitae regionem, aeternaeque felicitatis requiem figurabat; ita quoque aeternitas imperfecte tamen, et tantum adhuc quasi per umbram spectabat quidem ad terram Chanaan; perfecto autem, atque absoluto modo ad promissam fidelibus alterius vitae regionem caelestem. „Ideo ex fide, ait „S. Paulus ad Rom. 4. v. 16. ut secundum gratiam

„firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex „lege est solum, sed et ei, qui ex fide est Abra„hae, qui pater est omnium nostrum.“ Firma igitur erat Dei promissio tam erga eos, qui ex semine Abrahae erant, atque ex lege, legemque profitentes illius posteri; quam erga illos, qui Abrahae filii sunt ex fide, et qui credendo, atque per fidem vestigia sectantur Abrahae patris omnium credentium. Ac quoad illos quidem, qui ex lege erant, firma erat Dei promissio, quod quamdiu lex illa duravit, ipsique legis observantes erant; Chananaeae possessio adempta illis non sit; quoad alteros autem, secundum Spiritum fidei illius filios etiam obtinet promissio, quia regnum caelorum possessuri sunt in aeternum. 16. *Faciamque semen tuum sicut pulverem terrae. Si quis potest hominum numerare pulverem terrae, semen quoque tuum numerare poterit.* „Vere supra naturam humanam, „ait S. Chrysostomus hom. 34. in Gen. erat haec „promissio. Non solum enim promisit se facturum „eum patrem inter tot impedimenta, sed in tan„tum multiplicaturum filios, ut arenae terrae com„parari possent. Innumeram porro multitudinem fo„re tam hyperbolica similitudine declarare voluit.“

17. *Surge ergo, et perambula terram in longitudine, et in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.* 18. *Movens igitur tabernaculum suum Abram venit, et habitavit iuxta convallem Mambre, quae est in Hebron, aedificavitque altare Domino.* Nempe ad convallem Mambre venit, ibi-

que stationem ad habitandum sibi defixit, postquam peragravisset, perlustrassetque totam regionem. Procul enim dubio id, quod sibi imperatum habuit a Deo, exsecutus est. Convallis vero haec est adpellata, licet in Hebraeo idem rursus vocabulum *Elon* sit, de quo iam supra capitis 12. v. 6, dictum est, quercumque etiam significet, ut ad capitis 12. v. 6. demonstratum est, vel ut aliis placet, planitiem etiam, vel nemorosum locum: quae tamen inter se non repugnant: cum idem ille locus omnia illa complecti potuerit, et in eadem valle, si latior fuit, et planities, et nemus simul esse potuerit. Nec vero quisquam S. Hieronymo, qui Latinam hanc versionem fecit, et qui de industria Palaestinam totam peragravit, quo expeditior in intelligenda Scriptura esset; magis notam regionem habuit ex his, qui de loco illo disputant. Itaque etsi Elon ille locus Hebraice nominetur propter istius generis arbores, quae ibi essent; cum tamen convallem Hieronymus vertit; ad naturam, situmque loci, qui declivis, interque duas valles esset, respexit. Mambre autem cognomentum illius convallis est nomen proprium viri cuiusdam Amorrhaei, qui in illa valle habitaverat, eamque possederat, et cum quo foedus Abraham iniverat, ut est subsequentis capitis versu 13. In Hebron vero haec vallis erat, hoc est adiacebat proxime monti, super quem civitas erat Hebron aedificata. Erat autem huius civitatis antiquum nomen Cariatharbe, et Hebron nominari coepit tantum tunc, quando

ab Hebrone Calebi filio possideri coepit, ut est Josue 14. v. 14. quod cum tantum factum sit post obitum Moysis; ab aliquo, probabilissimeque ab Esdra, quando post reditum ex captivitate Babylonica novis etiam literarum characteribus Libros Scripturae Sacrae descripsit, in ordinemque, et canonem redegit, hoc Hebronis nomen tanquam notius illi alteri, quod iam exsoleverat, substitutum est.

CAPVT XIV.

In bello contra regem Sodomorum, confoederatosque cum eo reges capitur etiam Lot, et abducitur. Abraham hostes persecutus eripit praedam omnem hostibus: cui e praelio redeunti Melchisedech obviam prodit, atque panem et vinum ei offert.

1. *FACTVM est autem in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, et Arioch rex Ponti, et Chodorlahomor rex Elamitarum, et Thadal rex gentium*
2. *inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, et contra Bersa regem Gomorrhae, et contra Sennab regem Adamae, et contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balae: ipsa est Segor.* Cum Sennaar fuerit regio, in qua Babylon est aedificata, ut est supra capitis 11. v. 2. intelligitur inde regulum istum fuisse Amraphel. Nec desunt, qui ipsum Nemrodum istum putent fuisse. Sed non est verisimile. Cur enim Moyses alio

ipsum nomine compellasset, et cur, si duo nomina habuisset, atque ex illis alterum modo posuisset, non de hoc admonitionem fecit, ut hoc in Balae nomine fecit, quam e vestigio docet eamdem esse, quae fuit Segor? Pontus, cuius Arioch, qui hic memoratur, fuit rex, est nota provincia Asiae. Sed nomen istud S. Hieronymus in versione sua ex Symmachi Graeca versione mutuatus est. In Hebraeo enim est *Ellasar* (אֶלָּסָר) itemque in Graeca Septvaginta versione. Sed quoniam haec vox similitudinem habet et convenientiam aliquam cum Graeca voce θάλασσα, quae mare significat; Symmachus Pontum vertit, eumque Hieronymus quoque secutus est. Videtur vero Ellasar eadem esse cum Thalassar; quae Isaiae 37. v. 12. memoratur civitas ex ditione regis Assyriae. Elamitae dicti sic ab Elam filio Sem (Gen. 10. v. 22.) iidem sunt, qui Persae, ut hoc iterum perspicitur, ex Isaiae 21. v. 2. ubi ab Elam, et a Medis Babylon dicitur vastanda, quod factum est per Persas, et Medos. Rex Gentium etiam Josue 12. v. 23. memoratur, fuitque unus ex illis, quos Josue devicit, quando Palaestinam sub Israelitarum potestatem redegit. Quinque illi reges, et civitates, contra quas quatuor isti bellum susceperunt, sunt quinque Pentapoleos civitates, ut hoc iam ad superioris capitis v. 12. demonstratum est.

3. *Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quae nunc est Mare Salis.* Vallis haec sita fuit inter civitates Pentapoleos. Quibus postea igne cae-

lesti consumptis, cum iam ante fontes, scaturiginesque bituminis eo in loco frequentes fuissent, ut est infra v. 10. ex iis enatum est stagnum, quod deinde mare bituminosum, salsum, mortuum, et Asphaltis (Graecum hoc est nomen, bitumenque significat) ab eo bituminis genere, cuius ingentem copiam continet, adpellatum est. 4. *Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, et tertio decimo recesserunt ab eo.* 5. *Igitur quarto decimo anno venit Chodorlahomor, et reges, qui erant cum eo, percusseruntque Raphaim in Astaroth, et Carnaim, et Zuzim cum eis, et Emim in Save Cariathaim,* 6. *et Chorraeos in montibus Seir usque ad campestria Pharan, quae est in solitudine.* Raphaim S. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis gigantes esse docuit, qui in Arabia habitaverint. Etiam Septvaginta Interpretes pro iisdem Raphaim gigantes verterunt. In Hebraeo inter voces Astaroth et Carnaim non est vocula copulans interposita. Ex quo intelligitur unius eiusdemque loci et civitatis esse nomen. Erat Astaroth locus in regione Galaad trans Jordanem, uti hoc intelligitur ex Josue 9. v. 10. Idemque fuit postea idoli etiam nomen, quod in Phoenicia praesertim colebatur, cuius Judicum 2. v. 13. et saepius deinceps mentio in Scriptura fit. Cognomen Carnaim in lingva Hebraea significat bicornutum. Ac civitati illi indi quidem potuit vel a forma duorum cornuum, vel a viribus quibus polleret; vel quod ipsum idolum Astaroth ibi haberetur, quod cornutum erat,

cuiusque simulacro Lunam repraesentabant, eique tanquam reginae caeli divinos honores tribuebant. Zuzim, et Emim sunt etiam duorum populorum nomina. Zuzim videntur iidem fuisse cum Zomzomin, de quibus Deuteronomii 2. v. 20. mentio fit, et qui in Ammonitica regione habitarunt. Vocabulum Save Hebraice vallem significat. Quare Save Cariathaim, eadem est, quae Vallis Cariathaim. Haec vero civitas erat trans Jordanem, et in Israelitarum venit ditionem. Josue 13. v. 19. Horraeus Hebraice significat montanum, et in monte habitantem. Itaque iidem isti antiqui incolae erant montis Seir, qui deinde devenit in ditionem posterorum Esau et Idumaeorum, et ab Judaea, quam contingit, inter Orientem, Meridiemque est. Pharan est desertum in Arabia Petraea ab eadem Judaea Meridiem versus situm. Ubi Israelitarum, quando post exitum ex Aegypto peregrinabantur, una etiam statio fuit. Num. 13. v. 1.

7. *Reversique sunt, et venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades, et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Amorrhaeorum, qui habitabant in Asasonthamar.* Nominibus his utitur Moyses, quae serius nata fuerunt. Nam fons ille Misphat, hoc est: iudicii adpellatus est, quando Deus adversus Moysem, et Aaronem iudicium exercuit, sententiamque tulit, quod ingressuri Palaestinam non sint. Num. 20. v. 12. Etiam Amalecitarum nomen recentius fuit ab Amalech nepote Esau desumptum, Gen. 36. v. 12. a quo isti popu-

li originem duxerunt. Illam igitur regionem, ubi Amalecitae postea habitarunt, totam iidem quatuor reges vastaverunt. Sic vero regionem illam Moyses designavit, per quam reges illi victricia arma circumtulerunt, quod cum Israelitis Amalecitarum nomen esset notum, in regionis quoque, quando illorum regum iter descripsit, notionem facilius devenirent. Reversi vero dicuntur, nimirum ex solitudine Pharan, quae ulterius Meridiem versus erat ab Judaea; cum Amalecitarum regio vicinior, et ad montem Seir esset. Asasonthamar eadem est, quae Engaddi. 2. Paral. 20. v. 2. Quae civitas deinde fuit in possessione tribus Judae: Josue 15. v. 62. prope, ubi Jordanes fluvius in mare influit Mortuum sive Asphaltidis.

8. *Et egressi sunt rex Sodomorum, et rex Gomorrhae, rexque Adamae, et rex Seboim, nec non et rex Balae, quae est Segor, et direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri:* 9. *scilicet adversus Chodorlahomor regem Elamitarum et Thadal regem gentium, et Amraphel regem Sennaar, et Arioch regem Ponti: quatuor reges adversus quinque.* 10. *Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, et rex Gomorrhae terga verterunt, cecideruntque ibi, et qui remanserant, fugerunt ad montem.* Non ipsi reges ceciderunt, et occubuerunt, sed illorum milites. Nam infra v. 17. rex Sodomorum prodivit obviam Abrahamo post devictos eosdem illos reges. 11. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, et Gomorrhaeo-*

rum, et universa, quae ad cibum pertinent, et abierunt: 12. *nec non et Lot, et substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.* 13. *Et ecce unus, qui evaserat, nunciavit Abram Hebraeo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhaei fratris Escol, et fratris Aner. Hi enim pepigerant foedus cum Abram.* Hic primum nomen: Hebraeus, quod deinde toti Judaeorum genti commune fuit, occurrit. Quidam hoc gentile Judaeorum nomen, et quod modo omnium primo Abrahae tributum est, ab Hebero Semi pronepote deducunt. Sed nulla aliqua satis probabilis ratio est, cur ex omnibus aliis, qui ab Hebero genus duxerunt, atque ex illius posteris unus tantum Abraham nomen illud gesserit. Si enim ideo Hebraeus cognominatus est, quod ab Hebero descenderit; consequeretur, ut omnes, qui ex eadem Heberi stirpe fuerunt, similiter Hebraei cognominari debuissent. Nullum autem vestigium uspiam existit, alios, etiam si ab Hebero originem duxissent, esse hoc quoque Hebraeorum nomine adpellatos: quin ne Nachori quidem fratri Abrahae, qui in Haran remansit, ibique familiam suam propagaverat, istud nomen tributum fuit. Quare melius id nomen a peregrino ipsius adventu in terram Chanaan repetitur, quo nomine illum Chananaei adpellare coeperint, quod ex regione trans Euphraten peregre ad eos venisset. „Nam, quia trans Euphraten, ait S. Chry-„sostomus hom. 35. in Gen. domicilium habuerat, „dictus est transfluvialis, vel transitor." Sic vo-

cabulum hoc posuit Chrysostomus ex Versione Septvaginta, qui vocem: *Hebraeus* περάτης verterunt, quae transitorem significat. Nam Hebraicum *Heber* transire significat.

14. *Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem, et octo, et persecutus est usque Dan.* Vernaculus significat servum domi natum, et educatum ex parente videlicet etiam servo. Dan erat Judaeae civitas extrema versus Septemtrionem. Sed hoc nomen tantum postea accepit a quadam ex tribu Dan eo deducta colonia, ut est Judicum 18. v. 29. antiquitus autem Lais adpellabatur. Idem ergo hic oportuit accidere, quod ad superioris capitis v. 18. demonstratum est de Hebrone, ut quemadmodum illic istud Hebronis, ita hic quoque nomen novum urbis Dan postea tantum ab Esdra, vel ab aliquo alio facilioris intelligentiae causa substitutum sit. 15. *Et divisis sociis irruit super eos nocte, percussitque eos, et persecutus est eos usque Hoba, et Phoenicem, quae est ad laevam Damasci.* Damascus erat nobilis urbs in Syria, non admodum longe ab Judaea Septemtrionem versus. Pro Hoba Septvaginta verterunt *Chobal*, quae postea paululum mutato nomine Abyla fuit dicta, urbs in Coelesyria, quae una cum Phoenicia ad Laevam omnino est Damasci. Prius dicitur Abraham persecutus esse hostes usque Dan, nunc autem usque Hobam. Nimirum in Dan hostes cum praeda revertentes est consecutus, cum-

que clade ibi illos affecisset, illique ex praelio fugissent, persecutus est eos usque Hobam.

16. *Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque, et populum.* 17. *Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius, postquam reversus est a caede Chodorlahomor, er regum, qui cum eo erant in valle Save, quae est vallis regis.* Vallis Save eadem est, quae Vallis Silvestris: supra v. 8. ibi enim commissum fuit praelium, quod regi Sodomorum intercessit cum rege Chodorlahomor. Eadem vero Vallis regis fuit denominata, quae scilicet in ditione fuerit regis Sodomorum, deinde etiam Vallis Save. Vox autem Save iam per se vallem significat, sed non nimis profundam. Vel igitur hoc vocabulum alias appellativum vallis pro nomine etiam proprio hic usurpatum est; vel duplicatio vocis, quae utraque vallem significat, facta est ad exprimendam vallis istius praestantiam.

18. *At vero Melchisedech rex Salem proferens panem, et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,* 19. *benedixit ei.* Ne exsoletas iam, ex primis Ecclesiae seculis quorumdam opiniones proferam, ut Melchisedechianorum, qui ut docet S. Epiphanius Haer. 55. illum pro ipso naturali Dei Filio habuerunt, aut etiam Christo maiorem Dei virtutem illum fuisse putaverunt, deinde Hieracis Aegyptii, qui fuisse illum Spiritum Sanctum docuit; Origenis, qui, ut est in epistola S. Hiero-

nymi ad Evagrium, angelum fuisse scripsit in Homilia sua prima in Genesim; Samaritani, Judaeorumque doctores opinati sunt fuisse Semum Noemi filium. Quae sententia Christiano ferenda non est. Est enim contraria Paulo scribenti in epistola ad Hebraeos cap. 7. v. 3. Melchisedechum esse sine patre, sine matre, sine genealogia, qui nec initium dierum, neque finem vitae habeat. Nam de Semo ista omnia in Scriptura exponuntur, atque ipsius, et pater, et vitae initium, et finis, totumque quo vixit, aetatis spatium memorantur Genesis capitis 5. v. 31. et capitis 11. v. 11. Quae vero de Melchisedecho Divino consilio praetermissa sunt, non quasi reipsa sine patre et matre, atque genealogia fuisset, aut initium et finem vitae non habuisset; sed tantum non memoratur quidquam istorum de eo ad figurandum per eum Christi sempiternum sacerdotium. Nam cum ille, ut Paulus citato loco dicit: maneat sacerdos in aeternum; nihil vero in rebus creatis sit, quo Divinitatis hoc ipsius attributum, atque aeternitas adumbrari, figurarique posset; propositus ad eam rem figurandam fuit Melchisedech homo quidem etiam ipse, atque mortalis; sed earum rerum omnium reticentia, quae ad generationem illius, et mortalitatem pertinent. Ex ipso etiam Melchisedechi nomine Paulus in eadem ad Hebraeos epistola, et in eodem citato loco typum educit, et adumbrationem: primo quidem quod nomen Melchisedech iam per se significet *regem iustitiae*; deinde, quod

cum

cum insuper rex fuerit Salem, hoc vero: rex Salem in lingva Hebraea significet *regem pacis*; isto utroque pax, et iustitia, quae in Christo copulata fuerunt, quique et iustus, et pacificus rex simul fuit; typice per Melchisedechum delineata fuerint. „Justitiae enim, ait S. Cyrillus Alexand. Glaphy„rorum in Gen. Lib. 2. ac pacis auctor, atque „largitor effectus est mortalibus.“ Salem S. Augustinus Praefatione in Psal. 33. censuit eamdem fuisse cum Jerosolyma. At vero S. Hieronymus epistola 126. ad Evagrium rectius docet fuisse hanc Salem urbem Sichimorum, de qua Genesis 33. v. 18. fit mentio, quaeque Joannis 3. v. 23. Salim nominatur, ubi erat Joannes baptizans. Iste igitur Melchisedech Abrahamo benedixit proferens panem, et vinum. Ista vero prolatio panis, et vini qualisnam fuerit, quandoquidem dicitur ideo hoc ille fecisse, quia sacerdos fuit Dei altissimi, tametsi obscurum esse non possit non profanam fuisse, sed talem, quae sita fuerit in sacerdotalis muneris exercitio, atque actione; tamen Calvinus hoc negat, et dicit merae civilitatis tantum causa esse a Melchisedecho prolatum panem, et vinum ad reficiendos tantum lassos ex praelio Abrahae milites, quin hoc vel sacrificium aliquod fuerit, aut aliqua in eo resplenduerit sacerdotalis actio. Atque hoc sic illum oportuit facere, et confugere ad hanc interpretationem: ne ipsum postea Eucharisticum Sacrificium cogeretur admittere, si illius iam antea typum hic praecessisse recognosceret.

Sunt vero rationes ipsius hae, quas opponit: primo, quod in Hebraeo illa causalis non sit: *erat enim sacerdos*, sed sit particula vocis copulativa: *et* ad hunc videlicet modum: *et erat sacerdos Deo altissimo*: (וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן) deinde id, quod Latine versum est: *sacerdos*, Hebraice autem est *Cohen*, non significare sacerdotem, sed tantum principem; Idque inde confirmat, quod cum de filiis David 2. Reg. 8. v. 18. sit: „Filii autem Da„vid sacerdotes erant" iisque hoc *Cohen* nomen tribuatur; istud deinde idem 1. Paral. 18. v. 17. sic positum sit aequivalentibus verbis: „Filii David „primi ad manum regis." Et certum est, quod *Cohen*, atque nomen sacerdotis non semper usurpetur in Scriptura pro eo, qui vere, et proprie sacerdos sit, atque sacrificandi munere fungatur erga Deum, hocque Calvino a nobis ultro conceditur: sed tamen hinc consequens non est, quod si aliquando in illo alio sensu pro eo, qui profanum solum ministerium gerit, ponatur, ita semper poni ubique, et esse positum etiam hic. Itaque hoc Calvino demonstrandum fuisset in hoc ipso loco non vere et proprie adhibitum esse Sacerdotis nomen. Res mira! Ex collatione, et parallelismo Scripturae, ut dicunt, argumentari voluit: cur ergo ad Pauli epistolam ad Hebraeos se non contulit, ubi is dedita opera tractat de Melchisedechi sacerdotio? Age, instituamus ergo Scripturae parallelismum. „Christus, inquit Paulus ad Hebraeos 5. v. 5. non „seipsum clarificavit, ut Pontifex fieret (quod

„ Graece est ἀρχιερεὺς atque summum sacerdotem „ citra omnem dubitationem significat) sed qui „ locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego ho- „ die genui te, quemadmodum et in alio loco di- „ cit: (in Psalmo scilicet 109. cum illud prius „ testimonium citasset ex Psalmo secundo) Tu es „ sacerdos in aeternum secundum ordinem Mel- „ chisedech.“ Certe quidem in isto loco ab eo citati Psalmi sacerdos verum significat sacerdotem. Nam alias hoc Psalmi testimonium, quo usus est ad probandum Christi sacerdotium, male usurpasset, totaque probatio nulla fuisset. Nam quomodo Christus inde, quod ad illum Pater dixerit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, probaretur esse sacerdos, si ille, secundum cuius ordinem dictus est esse sacerdos, sacerdos non fuisset? Atqui Paulus non tantum ex hoc Psalmi testimonio Christum ostendit esse sacerdotem; verum etiam ex hac Melchisedechi erga Abrahamum actione, quod ei benedixerit, deinde quod ab eo decimas acceperit; intulit Christi sacerdotium quod secundum ordinem Melchisedech esset, esse nobilius etiam atque excellentius Aaronis, et Levitici generis sacerdotio, siquidem et ipse Melchisedech dignior Abrahamo fuerit: nam „ Sine ulla „ contradictione, inquit, quod minus est a melio- „ re benedicitur“ Hebr. 7. v. 7. et Abrahamo dante decimas Melchisedecho ipse etiam Levi, quoniam in lumbis adhuc tum fuerit sui patris, decimatus sit. Quae rursus argumentatio Pauli, atque

illatio ex hac re per Melchisedechum, atque Abrahamum gesta nullius momenti fuisset; si haec a Melchisedecho data Abrahamo benedictio, ab Abrahamo autem Melchisedecho decimarum datio, illa quidem Melchisedechi, sacerdotis actio; haec vero Abrahami, officii erga sacerdotem exhibitio non fuisset. Neque enim ex eo, quod non pertinebat ad sacerdotium, deduci aliquid de sacerdotio potuisset. Si autem dat Calvinus, ut certe dare debebit Paulum non male, sed apte, atque legitime ratiocinatum esse, dum ex hac re gesta, quae in isto Geneseos loco narratur, intulit Christi sacerdotium esse dignitate supra Leviticum sacerdotium; quoniam Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech sit, qui dignior Abrahamo, atque Levi ostendatur esse; det ergo etiam necesse est, atque recognoscat, hic in ista sua actione Melchisedechum sacerdotem fuisse, munusque sacerdotis gessisse, atque adeo hanc panis atque vini prolationem ad sacrificii actionem pertinuisse, perperamque facere, dum hoc illius elogium, fuisse Dei sacerdotem, in alium aliquem de profano ministerio sensum detorquet.

Quare ergo Davidis filiis hoc nomen sacerdotis tribuitur? Quia Hebraeum *Cohen* generatim ministrum significat. Si ergo sacrum ministerium erga Deum exerceat, cuius ministerii praecipua actio est sacrificatio; iste talis *Cohen*, et minister Dei est sacerdos: sin autem profanum tantum ministerium fuerit, itidem profanus tantum iste talis erit *Cohen*, et minister. Dicuntur igitur filii Da-

vid sacerdotes quidem, sed non Dei sacerdotes. At vero Melchisedech sacerdos Deo Altissimo. Illa vero argumentatio Calvini ex Hebraismo inscitiam prodit in ipso Hebraeae lingvae, nisi magis hoc repetendum sit ex destinato illius proposito oppugnandi Catholicum dogma de Eucharistico Sacrificio. Quid enim tam positum est in consvetudine lingvae Hebraeae, quam notam istam Hebraicam: ו quae quidem ad sermonem copulandum vulgo adhibetur, pro causali etiam atque pro tali sermonis particula adhiberi, qua convenientia rei unius cum altera, atque unde unum ex altero secutum sit, exprimitur? Quale exemplum est Genesis 22. v. 12. „Nunc cognovi, inquit ibi angelus „ad Abrahamum, quod timeas Deum, *et* non pe„percisti unigenito filio tuo propter me" iterumque Isaiae 64. v. 5. „Ecce tu iratus es, *et* pecca„vimus:" ubi utrobique etiam a Versore Latino iuxta Hebraeum copulativa vox: *et* est posita, quae tamen causam denotat. Nam et angelus, cur cognoverit, quod Ahraham timeat Deum, illud fuit, quod ille non pepercerit filio suo paratus illum sacrificare, cum hoc ei mandatum fuisset a Deo; et ideo Deus iratus est, quia peccavimus. Quamobrem ipsi etiam Interpretes Septvaginta hunc Geneseos locum de Melchisedecho ad hunc modum Graece verterunt: ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου. *Erat autem Sacerdos Dei altissimi.* Hoc enim sic positum est, ut doceatur, unde, et cur illud a Melchisedecho factum sit, quod panem, atque vinum protulerit.

Ex hoc vero, quod Christus sacerdos sit secundum ordinem Melchisedech, illud consequens est, sacrificium etiam illius, quod obtulit, similitudinem debere habere cum eo, quod sacrificium Melchisedech obtulit; nam secus non secundum illius ordinem, et similitudinem esset sacerdos. Cum ergo Melchisedech panem, et vinum obtulerit; consequitur Christum quoque in pane, et vino debuisse sacrificare, atque adeo, quem panem, et quod vinum in ultima sua caena consecravit, corpusque illud suum, atque sangvinem esse pronunciavit; hoc istius sacerdotii secundum ordinem Melchisedech fuisse a Christo peractum sacrificium. Cumque hoc idem, quod ipse tum in illa caena fecit, consecrando panem atque vinum; faciendum suis tradiderit discipulis; „Hoc enim facite, dicebat il-„lis, in meam commemorationem;“ 1. Cor 11. v. 24. sequitur illam quoque, quae modo a sacerdotibus, et ab Apostolorum, discipulorumque Christi successoribus peragitur panis atque vini in Ecclesia oblatio, verum esse sacrificium. „Qui ordo „utique hic est, ait S. Cyprianus l. 2. ep. 3. de „sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod „Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod „panem, et vinum obtulit, quod Abraham bene-„dixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, „quam Dominus noster Jesus Christus? Qui sacri-„ficium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem, „quod Melchisedech obtulerat, id est: panem et „vinum, suum scilicet corpus, et sangvinem.“ Et

S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 22. postquam factum hoc Melchisedechi erga Abrahamum exposuisset „Ibi, inquit, primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longe post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui adhuc fuerat venturus in carne: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech." Atque in hoc situm est, quod Christus sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech sit, quod in pane, atque vino secundum ordinem Melchisedechianum sacrificium pro Nova lege sanxerit: Quod sacrificium est aeternum, ipseque sacerdos Christus, qui illud per suos ministros peragit, in aeternum est, sicut Lex nova aeterna est, quae scilicet, sicut illa vetus, abroganda numquam sit, et cui nulla alia nova successura ultra sit. Quamvis ergo illud etiam in Cruce Christi fuerit sacrificium, et Christus, qui se Patri immolavit, idem fuerit sacerdos, et hostia; tamen, quia hoc cruentum sacrificium oblatum est semel; „Hoc enim fecit semel seipsum offerendo" *Hebr. 7. v. 27.* sancitum vero a Christo sit incruentum in pane et vino, quoque cruentum illud ipsius in Cruce repraesentetur pro Nova Lege Sacrificium; ideo Novae Legis illud est sacrificium, Christusque, qui illud ministerio suorum ministrorum peragit, sacerdos secundum ordinem Mechisedech in Nova Lege in aeternum est.

Nec tamen iterum illud hinc sequitur, quod, quoniam in Melchisedechi sacrificio nihil nisi panis, et vinum fuit, nihil etiam esse amplius in pane et vino, quem panem et vinum Christus in ultima caena obtulit, et ut offerretur, Ecclesiae per Apostolos tradidit, quod illud sacrificium secundum ordinem Melchisedech fuerit. Inter typum enim, et id, quod per typum repraesentatum est, talis tantum convenientia est, qualis inter umbram, et veritatem; quomodo de typis Veteris legis, relate ad Evangelium, Paulus loquitur: „Umbram „enim, inquit, habens lex (est) futurorum bono„rum, non ipsam imaginem rerum" Hebr. 10. v. 1. Si autem perfecta convenientia esset, sequeretur tantum in sangvine illo agni paschalis fuisse, quo Israelitae in Aegypto ne percuterentur ab angelo, liniverunt postes suarum domorum Exod. 12. v. 7. quantum fuit in sangvine Christi, eamdemque salutis vim habuisse, itemque serpentem aeneum, quem Moyses erexit, atque ipsum e cruce pendentem Christum, cuius serpens ille typus fuit, Joan. 3. v. 14. Sed illa potius consequentia legitima est; ut quoniam Melchisedechianum sacrificium typus tantum Christi sacrificii fuerit, illudque non nisi figuraverit corpus, et sangvinem Christi; in antitypo autem illud vere esse debeat, quod adumbratum per typum fuit; vere esse, et secundum substantiam, non per solam umbratilem aliquam imaginem corpus et sangvinem Christi in eo, quod Christus instituit in pane et vino, sacrificio. Nam

si hic etiam tantum figura, et sola umbra corporis Christi esset; non illi umbrae successisset veritas, et haec non minus, atque illa mera umbra, non veritas fuisset. Bene vero etiam, atque omnino apte Moyses usus est verbo: *proferens*, quo actus ille sacrificii declaratur; quando victima cum illis a sacerdote communicatur, illisque etiam ad edendum datur, in quorum gratiam immolata est. Quales etiam in Lege, quae postea per Moysem fuit lata; omnes erant gratiarum actoriae, quaeque dictae sunt pacificae victimae. Ex quibus cum certa pars cremata fuisset in altari Deo, certaque ex eā obtigisset sacerdoti; reliquum omne redibat ad eos, pro quibus illa oblata erat victima. Levit. 7. v. 29. cap. 22. v. 30. 1. Reg. 1. v. 4.

Et ait: benedictus Abram Deo excelso, qui creavit caelum, et terram, 20. *et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Benedictus Deo idem est, atque si dictum fuisset: valde benedictus iuxta illam indolem Hebraicae lingvae, qua addito Dei nomine res, quae sic pronunciatur, elevatur ad altissimum significationis gradum. Id quod iam etiam ad capitis 10. v. 9. supra demonstratum est. *Et dedit ei decimas ex omnibus.* Ex eo, quod S. Paulus ad Hebraeos 7. v. 9. isthic inferat Melchisedechianum sacerdotium praestantius fuisse Levitico, quod praestante Abrahamo decimas Melchisedecho, Levi quoque, qui tum in lumbis Abrahae adhuc fuerat, atque adeo in Abrahamo patre suo simul idem hoc

decimarum obsequium erga Melchisedechum praestiterit, et ex quo Levi Aaron, sacerdotesque omnes Veteris foederis genus ducere debuerunt, perspicuum est ab Abrahamo Melchisedecho decimas esse persolutas, tanquam sacerdoti. Nam secus illatio haec ad sacerdotium, quodnam altero nobilius sit, nulla esse posset, nisi Abraham illas decimas Melchisedecho praestitisset tanquam sacerdoti. Quare egregie hoc iterum illud confirmat. Melchisedechum vere fuisse, verumque fuisse dictum sacerdotem. Nam, cur illi Abraham decimas persolvisset, nisi hac una de causa, ut cum Melchisedech pro illo sacrificium obtulisset, ob partam de hostibus victoriam, benedictionemque ei impertivisset; ille vicissim gratum se exhiberet erga Deum, atque decimarum oblatione honorare voluerit, et remunerari illius sacerdotem? Neque enim militum aliquam manum, atque ullum auxilium a Melchisedecho acceperat adversus hostes, quamobrem deinde aliquo erga eum obstrictus fuisset beneficio, quodque debuisset exsolvere. Dedit autem illi decimas ex omnibus videlicet spoliis, quae hostibus eripuerat, quaeque illorum propria fuerunt, non quae Sodomitis erepta recuperaverat. Nam ista Abraham a se intacta Sodomorum regi restituit, ut subsequetur. 21. *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: da mihi animas: cetera tolle tibi.* 22. *Qui respondit ei: levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem caeli, et terrae,* 23. *quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligae,*

Hebraice: *a filo usque ad corrigiam calceamenti* (מִחוּט וְעַד שְׂרוֹךְ־נַעַל) *non accipiam ex omnibus, quae tua sunt; ne dicas: ego ditavi Abram,* 24. *exceptis his, quae comederunt iuvenes, et partibus virorum, qui venerunt mecum Aner, Escol, et Mambre. Isti accipient partes suas.*

CAPVT XV.

Haeredem filium Deus Abrahamo promittit, et quod posteros illius sic multiplicaturus sit, ut, sicut stellae in caelo, sic numerari prae multitudine non possint. Jubet deinde Abrahamum offerre sacrificium, quo oblato Deus foedus facit cum Abrahamo de danda illi in possessionem terra Chanaan.

1. *His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: noli timere Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Quod Lotho evenerat, ut in hostium veniret potestatem; hoc idem Abrahamus poterat metuere, ne quis alicunde adversariorum in eum fieret impetus, praesertim inter alienigenas cum habitaret. Adversus igitur talem metum animat illum Deus. Et sicut supra capitis 13. v. 14. cum Lotho optionem dedisset eligendi regionem sibi ad habitandum, Deus e vestigio, quasi modestiam illius remuneraturus omnem terram, quacunque circumferret oculos, illi se promisit daturum; ita nunc, cum praedam in bello a se captam, et a re-

ge Sodomorum mercedis nomine sibi oblatam despexisset; Deus illi mercedem spondet, seque illi pro mercede futurum dicit.

2. *Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis; et filius procuratoris domus meae iste Damascus Eliezer.* 3. *Addiditque Abram: mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus haeres meus erit.* Est ibi ellipsis: *iste Damascus Eliezer*, verborum, quae ex sequenti versiculo: *haeres meus erit*, illic quoque intelligi debent. Secundum Latinum res sic apparet, quasi iste Damascus Eliezer filius fuisset procuratoris domus Abrahae. Est vero in Hebraeo sic: *Uben meschek bethi.* (וּבֶן־מֶשֶׁק בֵּיתִי) Significat vero Hebraicum *Meschek* discursare et *ben meschek* filium discursationis, hoc est hebraica phrasi illum, qui discursare multum debet, intelligiturque idem esse, qui oeconomus. Quasi ergo sic esset positum: Ego vadam absque liberis, et oeconomus domus meae iste Damascus Eliezer. Ab hoc Damasco Eliezere S. Hieronymus in Hebraicis Quaestionibus censuit aedificatam esse urbem Syriae Damascum. Cum Deus Abrahamo dixisset: Ego sum merces tua magna nimis, non satis ille videtur mentem erexisse ad magnitudinem istius praemii; sed tantum temporale istud praemium cogitaverit esse, quod positum esset in his facultatibus, quas iam a Deo acceperat, qui sic responderit: *quid dabis mihi? ego vadam absque liberis*; quasi quarum facultatum, et divitiarum fructum percepturus non

sit, qui alieno illas relinquere cogatur, nec eas possit transmittere ad haeredem filium. Itaque Deus etiam hoc illi, et adhuc ampliora in hoc ipso genere promittit; et qui de uno tantum haerede sollicitus erat, ut eum haberet; huic posterorum multitudinem, stellarum instar, quarum numerus iniri non possit, pollicetur.

4. *Statimque sermo Domini factus est ad eum dicens: non erit hic haeres tuus. Sed, qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis haeredem.* 5. *Eduxitque eum foras, et ait illi: suspice caelum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum.* 6. *Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.* Quod ergo Abraham Deo istud promittenti crediderit, reputatum est illi ad iustitiam. Id quod Syrus sic expressit: *annumeratum est ei ad iustitiam*, et Abrabs: *Scripsit id illi in opus bonum.* Neque enim Abraham modo primum iustificatus est, sed cum iam iustus esset, hoc quoque, quod Deo crediderit, relatum est ad censum eius, quam iam habebat, iustitiae. Hinc vero Augustani, et Helvetae Confessores inferunt iustitiam, qua quis apud Deum iustificatur, non esse homini propriam ita, ut qui iustificatur, fiat vere ex iniquo iustus, sed iustitiam tantummodo imputari, atque propter alienam Christi iustitiam, quae homini iustificato imputetur, fieri hominem iustum, non autem reapse secundum se; in quo pristina iniustitia remaneat, sed quae tantum propter iustitiae imputationem a Deo non curetur,

et aestimetur. Ego vero ex illis quaero, cum homo secundum Deum, ut S. Paulus ad Ephesios 4. v. 24. inquit, creatus sit in iustitia et sanctitate veritatis, quomodo per Adamum, in quo omnes peccaverunt, Rom. 5. v. 12. iniusti, et peccatores constituti simus? Adamine transgressio, et iniustitia nobis imputata est solum; vel ablata etiam prior, quam in creatione accepimus, nobis iustitia est? Si, quando in Adamo peccavimus; illius tantum nobis iniustitia imputata est, iustitia autem, quam ante habuimus, remansit; consequens est nos, etiam cum peccavimus in Adamo, mansisse tamen iustos. Ergo, quando in iustificatione in locum imputatae iniustitiae imputatio iustitiae succedit; et secundum imputationem, et secundum intrinsecum statum vere is, atque integre, qui sic iustificatur, fit iustus. Si autem, quando peccavimus in Adamo, non solum imputatione illius iniustitiae, verum etiam ablatione nostrae, quam ex creatione habuimus, iustitiae peccatores, atque iniusti constituti sumus, et si quando per Christum iustificamur, Christi tantum iustitia nobis imputatur, non autem illa, quam per peccatum perdidimus, iustitia nobis restituitur, Christus redimendo nos non tantum nobis praestitit, quantum Adam per suum peccatum nobis nocuit, et obfuit, neque per Christum vere renovati, et reparati sumus: quandoquidem ad illum iustitiae statum, in quo ante peccatum fuimus, et unde per peccatum excidimus, per illum non reponimur. Ita sub specie, quasi totum Christo de-

ferrent, dum in hominis per Christum iustificatione, nullam hominis iustificati, sed totam Christi iustificantis iustitiam volunt esse, quod propterea faciunt, ne ad iustificationem collaborare suis etiam actionibus aliquid debeant, atque per solam fidem sine necessitate aliquorum operum ex parte sua faciliorem, molilioremque religionem habeant, contumelia ipsum Christum afficiunt, dum sic illum negant vere fuisse Redemptorem. Sicut Adam iustitiam, ita Christus sustulit iniustitiam. „Ecce „Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi" Joan. 1. v. 29. Sed ne Abraham quidem per solam fidem iustificatus est. Jacobum audiamus hac de re loquentem. „Abraham pater noster, inquit ille, „nonne ex operibus iustificatus est offerens filium „suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides con„summata est, et suppleta est Scriptura dicens: „credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad „iustitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis, „quoniam ex operibus iustificatur homo, et non „ex fide tantum. Jac. 2. v. 21." Non ergo, quod Abraham iustificatus sit, totum hoc illius fidei imputandum est, verum etiam operibus. Deinde advertendum est, quomodo hic iidem Protestantes, et Helvetae Scripturam callide ad suum sensum torqueant. Non enim hoc sic positum est, quod Abrahamo ideo, quod crediderit, imputata sit iustitia; sed quod fides haec, qua credidit, sit illi imputata ad iustitiam. Aliud autem est alicui impu-

tare iustitiam, et aliud imputare aliquid ad iustitiam. Nam istud alterum significat accessionem iustitiae: quam proinde iam aliquis etiam habere potest; illud vero: imputare iustitiam, est habere aliquem pro iusto; sed cui ut talis habeatur, aliena solum suffragetur iustitia, et qui iustus ipse non sit. Haereant proinde in verbis Scripturae, sic namque, ut Abrahamo iustitiae cumulus creverit; ista nunc illius fides imputata est ei ad iustitiam: non autem tantum modo iustus factus est per meram imputationem alienae iustitiae.

7. *Dixitque ad eum: ego Dominus,* tanquam in cuius potestate sint omnia, et qui illud, quod Abrahamo nunc promisit, possit praestare, *qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam.* 8. *At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam?* „Tametsi Scriptura, ait S. Chrysostomus „hom. 37. in Gen. prius testata fuerit eum credi„disse dictis Dei, et ideo reputatum esse ei in „iustitiam; verumtamen quia audivit: propter hoc „te eduxi de terra Chaldaeae, ut darem tibi ter„ram hanc, ut in haereditatem possideres eam, di„cit: his quidem, quae a te dicuntur, impossi„bile est, ut fidem non habeam; attamen vellem „et modum discere, quo eam in haereditatem sum „possessurus. Video enim me nunc propemodum „ad extremam senectutem pervenisse, et usque „in hunc diem obambulare quasi erronem, et non „possum humana ratione deprehendere, quomodo „hoc

„hoc sit futurum; licet prius crediderim dictis „tuis, tanquam videlicet a te prolatis, qui potes „id, quod non est, ut sit, efficere, et omnia „facere, et transformare? Non igitur, ut incredulus „hoc interrogo, sed quia iterum mihi haereditatem „nominas, volebam et crassius, atque clarius si„gnum accipere, quod possit infirmas meas cogi„tationes solidare. Quid igitur bonus Dominus? „Morem gerens famulo suo, et volens eius corro„borare animam, quoniam vidit confitentem suam „imbecillitatem, et credentem quidem promissio„ni, cupientem autem certiora quaedam argumenta „accipere, dicit ei:" 9. *Et respondens Dominus: sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque, et columbam.* 10. *Qui tollens universa haec divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit* hoc est: quamlibet dimidiam e regione alterius dimidiae relicto aliquo inter eas spatio: *aves autem non divisit.* 11. *Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram.* 12. *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus, et tenebrosus invasit eum,* 13. *dictumque est ad eum: scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subiicient eos servituti, et affligent quadringentis annis.*

De illa servitute hoc praedictum est, quam experti Israelitae in Aegypto, et ex qua liberati deinde per Moysem sunt. Non fuerunt autem tam-

diu in Aegypto. Itaque isti quadringenti non anni praecise isti sunt, quibus Israelitae fuerunt in Aegypto; sed numerantur ab Isaaci nativitate, tunc enim Abraham coepit habere semen, ut Scripturae verbo utar, et posteritatem, et pertingunt ad exitum usque Israelitarum ex Aegypto duce Moyse. Sunt autem eousque adcurate anni quadringenti, et quinque. Quare quadringentorum annorum numerus, tantum velut rotundus et integer est adhibitus. Quod alibi quoque in Scriptura contingit, etsi aliquid parum sit supra, vel infra: quodque, tanquam si nihil esset, praetermittitur. Ad quem modum etiam de toto illo annorum quadringentorum spatio dicitur, quod affligendi, et premendi servitute sint; tametsi servitutis spatium tamdiu non duraverit; denominationemque tantum totum illud spatium accipit ab re, quae intra illud spatium accidit, etiamsi non toto illo spatio res illa duraverit. Sed neque hoc de quadringentis annis pertinet praecise ad hoc subsequens: *subiicient eos servituti et affligent*, sed ad antecedens quoque *peregrinum erit semen tuum in terra non sua.* „Referendi sunt, ait S. „Augustinus Quaest. 47. in Exod. quadringenti an„ni ad id, quod dictum est: Peregrinum erit se„men tuum in terra non propria: quia sive in ter„ra Chanaan, sive in Aegypto; peregrinum erat „illud semen, antequam haereditatem sumerent „terram ex promissione Dei.“

Hi vero iidem anni, quibus Israelitae habitaverunt in Aegypto, Exodi 12. v. 40. et ad Gal. 3.

v. 17. dicuntur fuisse quadringenti triginta. Sed isthic initium huius computationis altius petitur, et ducitur ab anno Abrahae aetatis septvagesimo quinto, quando venit in terram Chanaan. Gen. 12. v. 4. Post annos autem viginti quinque centesimo aetatis suae anno suscepit filium Isaac. Gen. 21. v. 5. Viginti quinque igitur annorum differentia est inter hunc, et illum numerum: quadringentos quinque; qui intercesserunt a nativitate Isaac ad exitum Israelitarum ex Aegypto. Qui iidem anni dicuntur etiam esse quadringenti, sed ut iam demonstratum est praetermissione quinque annorum, qui quadringentesimum excedunt rotundum numerum.

14. *Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego iudicabo, et posthaec egredientur cum magna substantia.* 15. *Tu autem ibis ad patres tuos, in pace sepultus, in senectute bona.* 16. *Generatione autem quarta revertentur huc.* Cum superius anni quadringenti positi sint ad id tempus, quo Israelitae ex Aegypto iter instituerunt in Chananaeam; intelligitur generationem esse hic positam pro spatio centum annorum; quod tanto fere spatio, aut certe raro ultra, iam tum hominum duraverit vita. Quare Abraham quoque in ista aetate appellatus fuit iam senex, et provectae aetatis: infra capitis 18. v. 11. *Necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus.* „Quasi quis dicat, ait S. Chrysostomus hom. 37. in Gen. „nondum in tanto peccata numero admiserunt, ut „talem ferant poenam. Deus enim benignus cum

„ sit, non solum non inducit poenas peccatis gra-
„ viores, sed et valde minores." 17. *Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Inter divisiones scilicet mactatarum, et e regione sibi positarum victimarum.

Quae res isto capite narratur, ad duas noctes, et interpositam illis noctibus diem unam pertinet. Nam, quod iussus est numerare stellas, hoc nocte accidit. Die deinde, quae illam noctem secuta est, sacrificia ista obtulit. Sub solis autem occasum sopor in ipsum, et horror irruerat; atque postea demum vidit clibanum fumantem, et lampadem hanc transeuntem inter victimas. Ignem hunc non eo pertinuisse, ut victimas illas absumeret, quomodo hoc saepius Divinitus esse factum iam supra ad capitis 4. v. 4. demonstratum est; declarat hoc, quod dicatur lampas illa, ignis, et clibanus fumans per medium victimarum transivisse. Erat in foederibus sanciendis antiquitus iste mos; ut ii, qui foedus inter se faciebant, postquam victimas occidissent, inter medias deinde victimas transirent. Atque apud Romanos etiam viguisse istum morem, reperitur apud Livium l. 1. c. 4. et apud Svetonium in Claudio cap. 4. pluresque alios auctores. Hunc eumdemque morem usitatum fuisse etiam Hebraeis ex Jeremiae 34. v. 18. deducitur. Ubi secundum istum morem feriendi foedera sic ea, quae ibi est, Dei ad Israelitas adcommodata est oratio: „ Qui, inquit, praevaricantur foedus meum, et

„ non observaverunt verba foederis, quibus assen-
„ si sunt in conspectu meo, vitulum, quem conci-
„ derunt in duas partes, et transierunt inter divi-
„ siones eius." In clibani igitur fumantis, et lampadis accensae specie, in qua etiam Deus in monte Sinai, quando decalogum, et decem verba foederis dedit, Israelitis apparuit Exod. 19. v. 18. Deus se Abrahamo exhibuit, ad similitudinemque paciscentium inter victimas transivit, quando istud cum eo foedus fecit.

18. *In illo die pepigit Dominus foedus cum Abram dicens: semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphraten:* 19. *Cinaeos, et Cenecaeos, Cedmonaeos,* 20. *et Hethaeos, et Pherezaeos, Raphaim quoque,* 21. *et Amorrhaeos, et Chananaeos, et Gergesaeos, et Jebusaeos.* Fluvius Aegypti, vel antonomastice est Nilus, quomodo etiam Calmet illum hic censet esse intelligendum; vel vero est ritus ille Aegypti, quem S. Hieronymus de locis Hebraicis sic describit: „ Est rivus Nili, inquit, de eremo ve-
„ niens, atque inter Rhinocoluram (civitatis hoc
„ nomen est) et Aegyptum in mare ingreditur Me-
„ diterraneum." Atque iste rivus, qui aliter in Scriptura torrens deserti solet nominari. Sed nulla ipsius derivatio apparet esse ex Nilo, sed tantum venit a deserto Arabiae, fluitque in mare Mediterraneum. Ad torrentem autem illum deserti cum fere se extendissent Palaestinae fines, in sua ditione Israelitae habuerunt; numquam tamen se sive

ad Nilum usque, sive ad Euphratem eorum termini protenderunt. Nam etiam florentissimo statu suarum rerum sub Salomone non ultra Emath, et Dan tendebatur ipsorum regio. De cuius terminis sic est 3. Reg. 4. v. 25. „Habitabatque Juda, et Israel „absque timore ullo unusquisque sub vite sua, et „sub ficu sua a Dan usque Bersabee cunctis diebus „Salomonis" et capitis 8. v. 65. cum Salomon dedicavisset templum „Fecit, inquit, festivitatem „celebrem, et omnis Israel cum eo multitudo magna „ab introitu Emath usque ad rivum Aegypti." Introitus autem Emath cum civitate Dan; et Bersabea civitas cum rivo Aegypti, quoad definiendos terminos propter horum inter se vicinitatem conveniunt, si nimirum rivus is Aegypti intelligatur, qui est ad Rhinocoluram. At vero ad Nilum usque principem Aegypti fluvium nunquam possederunt regionem Israelitae, sicut ad Septemtrionem quoque ab Emath, et a Dan, qui ibi extremi termini erant eorum regionis, ingens adhuc spatium, pluresque regiones interiectae erant usque ad Euphraten.

Quaestio igitur hic existit, quomodo haec Divina promissio impleta sit. Etiam Numerorum 34. v. 8. cum iam proximum esset, ut Israelitae in Palaestinam, terram sibi promissam ingrederentur, limitesque illis a Moyse definirentur, Emath ipsis pro termino ad Septemtrionem constituta est. Hoc ergo S. Augustinus Quaest. 21. in Josue sic explicat, et conciliat: angustiores illos terminos, in quibus reipsa postea Israelitae habitarunt, fuisse as-

signatos pro propria ipsorum habitatione; at vero latiores illos usque ad Euphratem ita esse promissos, ut non ipsi ibi habitarent, sed tantum populos illarum regionum tributarios sibi facerent, idque confirmat documento Deuteronomii 20. v. 15. ubi haec talis agendi ratio erga civitates remotiores, et quas pro sua habitatione non deberent occupare, praescribitur. Davidemque, et Salomonem regiones circa Euphratem habuisse tali modo sibi subiectas, et tributarias; intelligitur ex 2. Reg. 8. v. 3. et ex 2. Paral. 9. v. 26. At vero S. Hieronymus epist. 129. ad Dardanum istud sic explicat, videturque illius explicatio, esse rectior, atque adcuratior: promissos videlicet Abrahae et illius posteris fines illos usque ad Euphratem. Quos, etsi non statim occuparent primo suo in Palaestinam adventu; postea tamen processu temporis numero suorum aucto illud etiam totum spatium pro se ad habitandum accepturi essent. Sed hoc alterum esse illis tantum promissum sub ea conditione, si in observantia erga Deum manerent, atque hanc conditionem esse a Moyse Deuteronomii 19. v. 8. perspicue expositam. Ubi sic ab eo dictum est: „Cum „autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos „tuos, sicut iuravit patribus tuis, et dederit tibi „cunctam terram, quam eis pollicitus est, si tamen „custodieris mandata eius, et feceris, quae hodie „praecipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum „etc.“ Erant ergo latiores illi termini Israelitis promissi non statim, sed dato illis primum sufficiente

ad habitandum spatio, reliquum fuerat etiam iis promissum, sed tantum sub conditione. Qua non observata, non tantum id, quod promissum illis erat, non obtinuerunt; verum etiam in ipsa sua terra, quam iam ad incolendum acceperunt, vastationem, et servitutem ab hostibus saepe pati debuerunt.

CAPVT XVI.

Sara uxor Abrahae ob suam sterilitatem tradit ancillam Agarem marito prolis suscipiendi causa. Quae cum concepto foetu dominam despexisset, haecque vicissim illam afflixisset, atque propterea fugam inivisset, monitu angeli rursus redit, ac deinde parit Ismaelem.

1. *IGITVR Sarai uxor Abram non genuerat liberos.* Sic res haec nectitur, quasi cur Sara liberos non gigneret, ex re, quae modo praecessit, penderet. In Hebraeo autem est litera *vav* (ו) quae iam orationem copulat, iam alia sermonis officia habet, et nonnumquam transitioni inservit ex re, quae narratur, una in aliam. Quomodo hic in praesentia adhibetur. *Sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar,* 2. *dixit marito suo: ecce conclusit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam; si forte saltem ex illa suscipiam filios.* Pro Latino: *forte* Hebraica vox est: *ulai* (אוּלַי) et spem magis in se comprehendit, et rei alicuius eventum, quam dubitationem. Septvaginta per vocem

ἱερὰ *ut* illud reddiderunt. *Cumque ille acquiesceret deprecanti, 3. tulit Agar Aegyptiam ancillam suam post annos decem, quam habitare coeperant in terra Chanaan, et dedit eam viro suo uxorem.* Cum Agar Abrahae uxor adpelletur; intelligitur fuisse illud inter eos verum matrimonium. Quemadmodum deinde etiam Jacob, David, aliique plures, licet sanctissimi viri plures habuerunt uxores. Quod si tum illicitum fuisset, non isti habentes plures uxores in Dei favore, atque amicitia perstitissent. Quae tamen uxores praeter unam primariam concubinarum etiam nomine in Scriptura compellantur Genesis 35. v. 22. 2. Reg. 15. v. 16. sed improprie.

4. *Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns despexit dominam suam. 5. Dixitque Sarai ad Abram: inique agis contra me, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quae videns, quod conceperit, despectui me habet. Judicet Dominus inter me, et te.* Expostulat de facta sibi iniuria, et ad Dei iudicium provocat. Ipsa vero illam tradidit in sinum illius. „Si igitur, verba sunt S. Chry-„sostomi hom. 38. in Gen. fateris te dedisse, nec „ipse eam sua sponte accepit, quare iniustitiam „improperas? Etiam, inquit. Nam quamvis ego „dederim, sed videns eius temeritatem, debebas „cohibere mentem tam petulantem.“ 6. *Cui respondens Abram, ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea, ut libet. Affligente igitur eam Sarai fugam iniit. 7. Cumque invenisset eam angelus Domini iuxta fontem aquae in solitudine, quae*

est in via Sur in deserto. Arabiae Petreae hoc est desertum ab Chananaea Aegyptum versus, *dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis, et quo vadis? Quae respondit: a facie Sarai dominae meae ego fugio.* 9. *Dixitque ei angelus Domini: revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius.* 10. *Et rursum, multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur prae multitudine.* 11. *Ac deinceps: ecce, ait, concepisti, et paries filium, vocabisque nomen eius Ismael eo, quod audierit Dominus afflictionem tuam.* Nam Ismael Dei exauditionem Hebraice significat. Iste vero, etsi diserte nominetur fuisse angelus; tamen cum ea potestate loquitur, atque ea promittit, quae praestare solius erat Dei: *multiplicans*, inquit, *multiplicabo semen tuum.* Nam angeli, qui adparebant, saepe gerebant ipsam personam Dei. Quomodo hoc de angelo, qui praecedebat castra Israel manifeste dictum est fuisse in illo personam, et auctoritatem Dei. „Ecce ego, dicebat Deus ad „Israeliticum populum, mittam angelum meum, „qui praecedat te, et custodiat in via, et intro- „ducat in locum, quem paravi. Observa eum, et „audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia „non dimittet, cum peccaveris, et est Nomen meum „in illo." Exod. 23. v. 21. Quod idem de hoc angelo, qui cum Agare loquebatur, id quod subsequetur in hac eadem adparitione, ac postea plura istius generis exempla, quae se deinceps offerent, confirmabunt.

12. *Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum, et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.* Ismael postea habitavit in deserto Pharan, Gen. 21. v. 21. et ab eo descenderunt Arabes, qui incolebant omnem late viciniam ad Palaestinam, Moabitidem, et Ammoniticam regionem. Quae etiam duae gentes, ut infra dicetur, ex Lotho, qui nepos erat Abrahae ex fratre, atque ideo cognatione etiam fuerat iunctus Ismaeli, et fratres patrueles erant, ortum duxerunt. Notissimae vero sunt in Historiis Arabum bellicae expeditiones, ab iisque descendunt moderni etiam Saraceni, atque Turcae: ut adeo haec de Ismaele ad istos ipsos Christiani nominis adversarios, et hostes valere possit praedictio. Qui adversus fratres suos, et Christianos, Qui enim ex fide sunt, filii sunt Abrahae, Gal. 3. v. 7. vim omnem, et conatum adhibuerunt.

13. *Vocavit autem Agar nomen Domini, qui loquebatur ad eam: tu Deus, qui vidisti me. Dixit enim: profecto hic vidi posteriora videntis me.* Non solum Agar hunc, qui cum ea loquebatur, Deum adpellat, quamvis fuerit angelus, verum etiam Moyses hoc nomen Dei illi tribuit. Nam ubi nos Latine legimus: *vocavit autem Agar nomen Domini*, quaeque Moysis ipsius, non Agaris sunt verba, qui certe eum, qui non erat Deus, si etiam hoc in Agarem cadere potuisset; praepostere non adpellavit Deum, ibi, inquam, pro voce: *Dominus*, est *Jehova*, quod praecipuum, et characteristicum

est apud Habraeos nomen Dei. Ex quo, ut superius iam a me notatum est, confirmatur illud angelos aliquando, qui adparuerunt, personam gessisse Dei: quibusque ob eam rem tributum etiam fuit nomen Dei. Illa vero Agaris ad angelum verba: *Tu Deus, qui vidisti me. Dixit enim: profecto hic vidi posteriora videntis me*, habent nonnullam obscuritatem. Quod quidam sic explicant; angelum hunc fuisse Agari locutum aversa facie, vel hoc sic ab ea esse dictum, quod illius abeuntis dorsum oculis fuerit prosecuta. Aliquibus etiam placet hoc sic esse dictum, quo natura angelorum, quae oculis corporeis cerni non potest, indicetur, atque aliis pluribus modis plures se torquent, ne adhaesisse penitus, et nihil attulisse ad explicandum viderentur. Non difficulter vero hoc ex Hebraeo expeditur. Agar nimirum, quod a Deo in afflictione respecta esset, angelum, qui in Dei persona ei adparuerat, isto nomine compellavit: *Deus videns me:* uti hoc adcurate est secundum Hebraeum אֵל רֳאִי *El roi*, atque huius deinde compellationis causam subdidit: *profecto hic vidi posteriora videntis me* Hebraice: רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי *Vidi post videntem me.* Hoc est, vidi eum, qui post me vidit, meque respexit, in mea scilicet angustia. Consentitque huic interpretationi etiam Septvaginta Versio, qui hoc sic transtulerunt: *καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον ὀφέντα μου. Etenim coram vidi visum mihi;* cuius scilicet erga se experta sit providentiam. 14. *Propterea adpellavit puteum illum puteum viventis, et videntis*

me. Ipse est inter Cades, et Barad. Cades eadem est, quae etiam Cadesbarne adpellatur, cuiusque mentio iam etiam facta est supra capitis 14. v. 7. estque locus in Arabia Petraea, ab Chananaea vergens ad Meridiem. Alterius vero loci Barad, qui hic memoratur, situs nequit adcurate definiri, propterea; quod nusquam alibi in Scriptura memoretur. Calmet eamdem esse censet cum civitate Arat, quae non longe a Cades abfuit, vergebatque versus Occidentem, estque quaedam inter ea nominum affinitas. 15. *Peperitque Agar Abrae filium, qui vocavit nomen eius Ismael.* 16. *Octoginta, et sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem.*

CAPVT XVII.

Abrahae, et Sarae, cum antea ille Abram, haec Sarai fuisset vocata; mutat Deus nomina, promittitque se facturum cum eo foedus, cuius signum illi tradit legem de circumcisione: etiam Isaacum ex Sara filium ei promittit. Exsequitur Abraham eadem die legem circumcisionis, atque se, suosque omnes circumcidit.

1. *Postqvam vero nonaginta, et novem annorum esse coeperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: ego Deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus,* 2. *ponamque foedus meum inter me, et te, et multiplicabo te vehe-*

menter nimis. 3. *Cecidit Abram pronus in faciem.* 4. *Dixitque ei Deus: ego sum, et ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium.* Illud: *Ego sum* habet hanc emphasim, qua se Deum declarat, cuius est Esse. Quomodo etiam cum Moysem instruxisset, quomodo dicere, et nominare deberet eum, a quo erat missus, sic ei praecepit: „Sic dices filiis Israel: qui Est, misit me ad vos.“ Exod. 3. v. 14. Solus enim Deus vi essentiae suae habet, ut sit; cum alia omnia nonnisi precariam, atque ex Dei munere habeant existentiam, et quae aliquando non fuerint, esseque numquam potuissent. 5. *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Nam Abraham in lingva Hebraica patrem multitudinis significat. Abram vero, prius illius nomen, patrem excelsum significat.

6. *Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus* Hebraice: *in gentes* (לְגוֹיִם) hoc est: ut ex te sint gentes, *regesque ex te egredientur.* 7. *Et statuam pactum meum inter me, et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te;* 8. *daboque tibi, et semini tuo terram peregrinationis tuae, et omnem terram Chanaan in possessionem aeternam, eroque Deus eorum.* 9. *Dixit iterum Deus ad Abraham: et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis.* 10. *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, et vos, et*

semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum, 11. et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me, et vos. Quod superiore versu pactum fuit adpellatum; hoc nunc explicatius signum tantum eiusdem pacti, et foederis dicitur esse. In quonam autem pactum hoc reipsa consisteret, ex versu superiore septimo intelligitur. Ubi sic est: *Statuam pactum meum inter te, et me, et inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno; ut sim Deus tuus, et seminis tui post te.* Ex hoc igitur foedere Abraham, illiusque posteri obligabantur ad Dei cultum, et Religionem, estque hoc pactum sempiternum, quia etiamsi lex vetus cessaverit; tamen in eius locum successit Evangelium, et in carnalium Abrahae filiorum locum successerunt spirituales filii, qui sectantur vestigia fidei Abrahae. Rom. 4. v. 12. Apud quos cultus Dei perstabit in aeternum, sicut etiam Ecclesia Christi aeterna est. Ex parte autem Dei, qui tanquam pars altera in hoc contractu debet spectari, promittebatur, atque se Deus obligaverat ad dandam Abrahae, eiusque posteris carnalibus terram Chanaan; sed quae tantum typum iterum gesserat illius regionis, quam possessuri sunt spirituales filii Abrahae, quodque ipsum regnum caelorum est. Quocirca S. Paulus ad Hebraeos 4. v. 8. negat Israelitis, etiam cum Chananaeam in possessionem accepissent; promissionem esse impletam de eadem terra, quae ipsis a Deo promissa erat. Probatque ex eo, quod, quam-

vis collocati in illa regione essent, atque illam possiderent; tamen adhuc David in Psalmo nonagesimo quarto de requie loquatur. „Nam si eis „Jesus (Josue) inquit, requiem praestitisset, num„quam de alia loqueretur posthac die.“ Quidquid igitur a Deo gestum est erga Israeliticum populum, qui filii secundum carnem erant Abrahae, in veteri Testamento; hoc omne tantum adumbrabat illa bona, quae daturus erat Abrahae filiis spiritualibus. „Umbram enim habuit lex futurorum bonorum, „non ipsam imaginem rerum“ ut docet Paulus ad Hebraeos 10. v. 1.

Erat igitur circumcisio praescripta Abrahae, atque Israelitis tantum, ut quaedam tessera, externumque signum istius foederis; vi cuius obligarentur ad religiose colendum Deum, et ut S. Epiphanius inquit Haeresi 30. „Ne eius posteri infideli„bus, idolorumque cultoribus Aegyptiis in servi„tutem dati, ad eosdem, quos et illius maiores „venerati fuerant, deos se se transferrent; tam „Abrahamo ipsi, quam eius stirpi circumcisionem „illam carnis inussit, ut eius adspectu commonitos „reverentia quaedam Numinis subiret, quo minus „eiurare illud auderent.“ Circumcisionem S. Paulus signaculum iustitiae adpellat. „Signum, inquit, „accepit, (Abraham) circumcisionis, signaculum „iustitiae fidei.“ Rom. 4. v. 11. Ex quo illud quoque intelligitur, in circumcisione non fuisse sitam ipsam iustitiam, sed huius illam fuisse tantum quoddam signum. „Signum enim, ut S. Ambrosius inquit,

„ quit, l. 1. de Abraham, non ipsa res est, sed „ alterius rei: hoc est non ipsa veritas, sed indi- „ cium veritatis.“ Cum vero Paulus dicat non eum, „ qui in manifesto est, Judaeum esse, neque, quae „ in manifesto in carne, esse circumcisionem, sed, „ qui in abscondito, Judaeum esse, et circumcisio- „ nem cordis in spiritu, non litera;“ Rom. 2. v. 28. intelligitur illud, quid circumcisio illa externa significaverit, et cur signum istud foederis recte in illo membro corporis constitutum sit, in quo concupiscentia, quae ex peccato primi hominis manavit, se maxime iactat, et exerit: quod, qui iustus, atque verus filius Abrahae esse vult; comprimere in se concupiscentiam debeat. Cuius compressionis, quae intus in animo fieri debet; exterior in carne circumcisio signum fuerat, atque in cuius externi signi foederis inter Deum, et Abraham, illiusque posteros locum erga spirituales Abrahae filios Spiritus Sanctus est, quo credentes signantur, ut est apud Paulum in epistola ad Ephesios capitis 1. v. 13. atque quo Spiritu illi facta carnis mortificant, Rom. 8. v. 13. hocque exsequuntur per Dei gratiam, quod carnis circumcisio faciendum esse admonebat.

12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quas emptitius cirsumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra:* 13. *eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum.* 14. *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non*

fuerit; delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Deleri de populo accipitur vulgari Scripturae phrasi pro mortis supplicio. Quod perspicitur ex Exodi 31. v. 14. ubi sic est: „Custodite Sabbatum meum, sanctum est enim „vobis. Qui polluerit illud, morte morietur; qui „fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio „populi sui.“ Nam, quod prius dictum erat: *morte morietur*, hoc deinde tanquam synonyma phrasi aliter positum est: *peribit anima illius de medio populi sui.* An autem inter Judaeos is, qui circumcisionem negligeret; supplicio plecteretur, infans praesertim, qui ob illius negligentiam culpari minime posset, certum nequidem quoad adultos est, quod nullum in Scriptura exstet istius rei aliquod exemplum. Equidem Exodi 4. v. 24. ipse Deus paratus erat interficere propter circumcisionis neglectum, at non incircumcisum infantem, verum patrem illius Moysem, ut hoc ibi demonstrabitur, nisi Sephora mater infantem filium celeriter circumcidisset. S. Augustinus violationem istius pacti per infantem l. 16. de Civ. Dei cap. 27. et passim in suis disceptationibus contra Pelagianos docet factam esse originali peccato, et propter quod delendus esset de populo Dei is, etiam infans, qui circumcisionem, quod signum regenerationis erat, non habuisset. „Quia, inquit, circumcisio signum rege„nerationis fuit, et non immerito parvulum propter „originale peccatum, quo primum Dei dissipatum „est testamentum, generatio disperdet, nisi rege-

„neratio liberet; sic intelligenda sunt haec Divina „verba, tanquam dictum sit: qui non fuerit rege- „neratus, interibit anima illa de populo eius, quia „testamentum Dei dissipavit, quando in Adam cum „omnibus etiam ipse peccavit." Et in libro 2. quem de Nuptiis, et Concupiscentia adversus Julianum scripsit' „Dicat nunc iste, inquit, si potest, quo- „modo puer ille testamentum Dei dissipavit, octo „dierum, quantum ad ipsum proprie attinet, inno- „cens infans: et tamen nullo modo Deus, vel san- „cta Scriptura id mendaciter diceret. Tunc ergo „dissipavit testamentum Dei, non hoc de imperata „circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, „quando per unum hominem peccatum intravit in „mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes „homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt." Quandoquidem ergo infans secundum carnem natus ex Abrahamo, deberet iure istius nativitatis perti- nere ad populum, quem Deus ex Abrahami stirpe sibi peculiariter pro suo populo elegit; tamen inde ex illo populo pronunciat Deus illum esse delen- dum; si circumcisus non esset. In quo non ideo plectitur, quod circumcisione caruerit; sed quia supplicii reus propter Dei pactum cum Adamo violatum, et originale peccatum etiam ipse fuit; non minus, atque etiam modo infantes a vita aeter- na excluduntur, qui baptizati non sunt, etsi quod baptizati non sint, nulla ipsorum culpa sit.

15. *Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Sa-

rai significat: *dominam meam*, Sara autem *dominam.* Hoc latius patet, illud autem prius est restrictum, quasi ad unum aliquem, cuius illa domina sit. Quare generalius etiam illi nomen imponitur, quoniam sicut Abraham pater, sic ipsa mater erat futura plurimorum, et innumerabilium populorum. 16. *Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo.* 17. *Cecidit Abraham in faciem suam, et risit dicens in corde suo: putasne centenario nascetur filius? et Sara nonagenaria pariet?* 18. *Dixitque ad Deum: utinam Ismael vivat coram te!* Risus iste Abrahami, ait S. Augustinus l. 16. de civ. Dei „exultatio gra„tulantis, non irrisio diffidentis fuit.“ Atque talem hunc risum fuisse, ad quem minime sit motus Abraham, quasi Divina ei promissio ridicula, fidemque superans habita esset, docet etiam Paulus ad Romanos 4. v. 19. „Et non est infirmatus, inquit, „fide, nec consideravit corpus suum emortuum, „cum iam fere centum esset annorum, et emor„tuam vulvam Sarae. In repromissione etiam Dei „non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide „dans gloriam Deo.“

19. *Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, et semini eius post eum.* 20. *Super Ismael quoque exaudivi te: ecce benedicam ei, et augebo, et multiplicabo eum valde: duodecim duces ge-*

nerabit, et faciam illum crescere in gentem magnam. 21. *Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.* 22. *Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, adscendit Deus ab Abraham.* 23. *Tulit autem Abraham Ismael filium suum, et omnes vernaculos domus suae, universosque, quos emerat, et cunctos mares ex omnibus viris domus suae, et circumcidit carnem praeputii eorum statim in ipsa die, sicut praeceperat ei Deus.* 24. *Abraham nonaginta, et novem erat annorum, quando circumcidit carnem praeputii sui.* Superius versu 17. Centenarium se Abraham adpellavit. Nimirum, quod iam antea etiam adnotatum a me est, tenet iste modus loquendi etiam in Scriptura, ut numerus nonnumquam perfectus et integer ponatur, etiamsi adcurate talis non sit, et vel supra, vel infra illum parum aliquid sit. 25. *Et Ismael filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suae.* 26. *Eadem die circumcisus est Abraham, et Ismael filius eius.* 27. *Et omnes viri domus illius tam vernaculi, quam emptitii, et alienigenae pariter circumcisi sunt.*

CAPUT XVIII.

Tres angelos hospitio excipit Abraham, qui eum rursum confirmant de filio, quem ex Sara suscepturus erat; ridensque ob eam rem Sara reprehenditur. Ostendit angelus Abrahamo Sodomam se habere iter, ut hanc, finitimasque civitates igne deleat. Interponit suas preces Abraham, et veniam illis impetravisset, si vel decem inter eos fuissent reperti iusti.

1. *APPARUIT autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei.* Hoc est, quod tempus diei erat fervidissimum, in meridie videlicet. In convalle Mambre domicilium sibi Abrahamum fixisse ex capitis 13. versu 18. intelligitur. 2. *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram.* Antecedente versu dicitur is, qui Abrahae modo adparuit, fuisse Dominus, Hebraice Jehova, ex quo deducitur hanc in forma, et sub specie, trium virorum Dei apparitionem fuisse. Quare etiam de hac adoratione, quam modo fecit Abraham S. Augustinus l. 3. contra Maximinum cap. 26. „Tres, „inquit, vidit, et unum adoravit.“ Quae eadem verba etiam Ecclesia usurpat in Officio, et precibus Sacerdotum Canonicis die Dominica Quinqua-

gesimae. Et Abraham hos tres, quos angelos fuisse, et ex primo versiculo subsequentis capitis, et ex epistolae ad Hebraeos capitis 13. versu 2. perspicuum est, iam affatur tanquam unum, iam tanquam plures. Qua de re sic disserit S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 29. „Abraham, inquit, in „tribus, et Lot in duobus viris Dominum agnosce- „bant, cui per singularem numerum loquebantur, „etiam cum eos homines esse arbitrarentur. Neque „enim aliam ob causam sic eos susceperunt; ut „tanquam mortalibus, et humana refectione indigen- „tibus ministrarent; sed erat profecto aliquid, quo „ita excellebant, licet tanquam homines, ut in eis „esse Dominum, sicut esse assolet in Prophetis, „hi, qui hospitalitatem illis exhibebant, dubitare „non possent, atque ideo et ipsos aliquando plu- „raliter, et in eis Dominum aliquando singulariter „adpellabant.“ Etiam S. Ambrosius l. 1. de Abraham cap. 5. mysterium Sanctissimae Trinitatis in his tribus angelis, qui Abrahamo adparuerunt, resplenduisse docet. S. Justinus autem in Dialogo cum Tryphone, S. Irenaeus l. 3. c. 6. Tertullianus in libro contra Marcionem senserunt Christum fuisse unum ex his tribus angelis, quem proinde unum Abraham Dominum compellaverit. Quam opinionem refellit S. Augustinus illo libro, et loco, quem superius citavi, quod duobus angelis discedentibus Sodomam ad Lotum, remanente autem illo, quem singulariter Dominum adpellaverat Abraham, tamen etiam illos duos Lot eodem nomine Domini com-

pellaverit, ac propterea docet multo credibilius esse et in illis tribus, et in duobus angelis Dominum fuisse, cuius scilicet personam gesserint. Senserunt illi in omnibus adparitionibus Dei, ante adventum Christi, quae in conspicua aliqua forma factae sunt, semper fuisse Filii Dei Personam, fuisseque eam ante indumentum etiam carnis, ut verbis utar S. Augustini, iam visibilem: quasi nimirum iam tunc Incarnationi suae praelusisset.

3. *Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum,* 4. *sed afferam pauxillum aquae, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore,* 5. *ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis, idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: fac, ut locutus es.* Aquam ad lavandos pedes offert pro consvetudine illarum regionum, ubi sandaliorum usus etiam modo est. Cumque in iis superior pars pedis maneat propter calorem aperta, pedesque ob eam causam pulveribus inficiantur; eos crebro lavant, atque hospitibus huius lotionis causa aquam praebent. 6. *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria sata similae commisce, et fac subcinericios panes.* 7. *Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum, et optimum, deditque puero, qui festinavit, et coxit illum.* 8. *Tulit quoque butyrum, et lac, et vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis. Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore.* Satum est genus mensurae ad

metienda frumenta, et res aridas, Hebraice *Seah.* (סְאָה) Juxta D. Le Pelletier, qui summo studio, et adcuratione rationes mensurarum, et ponderum Hebraicorum investigavit, satum unum efficiebat decem pintas Gallicas, una autem pinta Gallica continet cubicos pollices quadraginta octo. Erat vetustis illis temporibus consvetudo, ut lauta convivia non ferculorum numero, et multitudine, sed eorum quantitate instruerentur; ita ut etiam inter ipsos convivas ei, quem magis colere vellent, ampliores dapes apponerent: Benjamino germano, et uterino suo Joseph quinque partibus maiorem portionem, quam reliquis suis fratribus dedit Geneseos 43. v. 34. Et Samuel Sauli honoris causa integrum vituli armum distincte ab reliquis convivis apposuit 1. Reg. 9. v. 24. Pinsendi autem panem videtur illa prima ratio sub cineribus fuisse. Arabes, Persae, et Turcae utuntur etiam nunc subcinericiis tantum panibus, habentque ad hunc usum fornaces testaceas. Infra quas ignem struunt, placentas autem supra fornacem collocant, atque sic sibi panes summa celeritate parant. Pueri vocabulum non semper ad aetatem refertur; sed Latinis classicis etiam Scriptoribus saepe servum significat.

9. *Cumque comedissent*, nempe sic etiam isti comederunt, quomodo Tobiae 12. v. 19. legitur Raphael angelus comedisse, qui de se sic pronunciavit: „Videbar quidem vobiscum manducare, „et bibere, dicebat, sed ego cibo invisibili, et „potu, qui ab hominibus videri non potest, utor,“

dixerunt ad eum: ubi est Sara uxor tua? Ille respondit: ecce in tabernaculo est. 10. *Cui dixit: revertens veniam ad te tempore isto vita comite, et habebit filium Sara uxor tua.* Jam etiam superioris capitis v. 21. Deus Abrahamo filium ex Sara promisit; „Quem, inquit, pariet tibi Sara tempore isto in anno altero." Cumque utrobique promissum illi sit, quod tempore isto, anni videlicet alterius, habiturus esset filium, intelligitur, inter hanc, quae modo Abrahamo facta est, per tres angelos apparitionem, et eam, quae superiore capite narratur, parum admodum temporis intercessisse. Deinde cum tam hoc, quam superiore capite, in isto tempore promissus sit iste filius, secunda vero haec apparitio non adcurate eodem tempore, quo prior facta sit, consequens est, ut vel istud tempus non sit praecise de una aliqua die intelligendum sed latius sumendum; vel isthic in altero loco sic habiturum filium intelligendum sit; ut non haec prima dies fuerit, qua habere illum coeperit, illeque in lucem editus sit, sed tempus iam post illius nativitatem aliquod ulterius. Nam et cum habere coepisset, et iam aliquamdiu habuerat filium, semper verum erat praedicere de utroque illo tempore, quod tunc habiturus esset filium.

Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi. 11. *Erant autem ambo senes, provectaeque aetatis, et desierant Sarae fieri muliebria.* Id est, quod de more mulierum est, intelligiturque fluxus illarum menstruus, sine quo negant concipi prolem.

12. *Quae risit occulte dicens: postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* 13. *Dixit autem Dominus ad Abraham: quare risit Sara dicens: num vere paritura sum anus?* 14. *Numquid Deo quidquam est difficile? Juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore vita comite*, hoc est: te superstite, ad Abrahamum loquebatur, *et habebit Sara filium.* 15. *Negavit Sara dicens: non risi, timore perterrita. Dominus autem, non est, inquit, ita, sed risisti.* Etiam Abraham superioris capitis v. 17. cum hoc idem ei promitteretur, riserat, illiusque hunc risum nullam meruisse reprehensionem, ibi demonstratum est. Sara vero nunc propter hunc suum risum obiurgata est, quamobrem etiam deinde illum mendacio conata est tegere. Quid igitur? Nempe, ut eadem licet res a diversa animi ratione procedit; ita bona, vel mala; et laudanda vel vituperanda est. Neque enim Sara, nisi aliquam dubitationem, et diffidentiam habuisset de hoc, quod erat ei de filio dictum, culpata fuisset.

16. *Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam, et Abraham simul gradiebatur deducens eos.* 17. *Dixitque Dominus: num celare potero Abraham, quae gesturus sum?* Ad aliquam tantum distantiam iverat Abraham cum tribus angelis. Duo deinde angeli discesserunt, iveruntque Sodomam, ut hoc declarat initium capitis subsequentis, tertius vero cum Abraham aliquamdiu adhuc restitit, huncque, qui modo propo-

nitur, sermonem habuit: 18. *cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae?* In illo, hoc est in illius semine, qui est Christus, Gal. 3. v. 16. 19. *Scio enim, quod praecepturus sit filiis suis, et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium, et iustitiam, ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quae locutus est ad eum.* Istud: *propter Abraham* in Hebraeo est *super Abraham* (עַל־אַבְרָהָם) Quare etiam Septvaginta hoc verterunt: ἐπὶ Ἀβϱαάμ *in Abrahamum.* Neque enim Abraham, ut meritoria causa potest haberi illarum promissionum omnium, quas accepit a Deo. Mererine potuit ille, ut Deus Filium suum daret? Sed tamen, cum Deus pure ex sua bonitata, atque misericordia subvenire decrevisset generi humano, Filiumque suum ad illud redimendum mittere; cur Deus Abrahamum potissimum elegerit, ex cuius stirpe Christus nasceretur; erat etiam Abrahae ipsius quoddam meritum, ad quem infra capitis 22. v. 16. sic est a Deo dictum, quando, ut morem gereret Deo, paratus erat immolare Isaac suum filium. „Per memetipsum iu„ravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et „non pepercisti filio tuo unigenito propter me; „benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sic„ut stellas caeli, et velut arenam, quae est in „littore maris; possidebit semen tuum portas ini„micorum suorum, et benedicentur in semine tuo „omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae."

Dicitur autem Abraham praecepturus esse suis posteris, ut viam Domini et Dei mandata custodiant; unde deinde super ipsum Abrahamum veniant, illaeque promissiones expleantur, quae illi a Deo factae sunt. Nam, nisi etiam illi, qui ex illius stirpe erant secundum videlicet carnem, Dei mandata observarent, atque iustitiae studerent; bonorum illorum, quae Abrahae promissa sunt, atque illius benedictionis per illius semen, quod erat Christus, minime futuri erant participes; quod ipsum etiam postea eventus demonstravit. Nam maxima illorum pars reprobata est. Ut igitur Abrahamum Deus multitudine illa posterorum locupletaret, qui fruerentur bonis illis a Deo promissis secundum divitias fidei; illis ipsis, qui haberi vellent in numero illius filiorum, studendum erat iustitiae, superque Abraham hoc dicitur Deus adducturus, quatenus per Abrahamum intelliguntur, atque cum eo comprehenduntur illius simul etiam posteri.

20. *Dixit itaque Dominus: clamor Sodomorum, et Gomorrhaeorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis.* Quasi quaedam voces tribuuntur malefactis, et flagitiis, quibus Deus, cui repugnat omne iniquum, provocetur ad vindictam. 21. *Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Est sermo iste ad humanam agendi, sciendique per investigationem compositus rationem, et metaphorice ab homine translatus ad Deum, qui absconditorum est cognitor,

et novit omnia, antequam fiant Dan. 13. v. 42. Huic similis locus iam etiam fuit supra capitis 11. v. 5. ubi Deus dicitur descendisse ad videndam turrim Babel. 22. *Converteruntque se inde, et abierunt Sodomam*: duo videlicet angeli ex his tribus, quos modo abeuntes prosecutus erat Abraham, et ex quibus tertius adhuc diutius substitit cum Abrahamo. *Abraham vero adhuc stabat coram Domino.* 23. *Et adpropinquans ait: numquid perdes iustum cum impio?* 24. *Si fuerint quinquaginta iusti in civitate, peribunt simul? Et non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?* 25. *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Temporalibus malis premuntur non minus iusti et boni, quam iniusti, et mali, quin saepe etiam magis. Sed quod istis supplicium, hoc illis campus est exercendae virtutis. De qualibus S. Paulus in epistola ad Hebraeos 11. v. 37. „Lapidati, inquit, sunt, secti sunt, tentati sunt, „in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in me-„lotis (Graeca haec est vox, et pellem ovillam si„gnificat) in pellibus caprinis, egentes, angustiati, „afflicti; quibus dignus non erat mundus.“ Quatenus igitur Deus non poenae, et supplicii nomine iustos affligit, nisi fortasse etiam istis aliquid expiandum temporali poena superesset; Abraham interpellavit Deum: *numquid perdes iustum cum impio? absit, ut hoc facias, et occidas iustum cum*

impio, atque ex hac consideratione, ne quod paratus erat Deus supplicium irrogare iniustis Sodomitis, attingeret etiam iustos; occasionem sumpsit intercedendi, Deumque placandi etiam his, qui iniusti, et poena digni erant.

26. *Dixitque Dominus ad eum: si invenero Sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.* 27. *Respondensque Abraham ait: quia semel coepi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, hoc est: quamvis sim pulvis, et cinis. 28. *Quod si minus quinquaginta iustis quinque fuerint, delebis propter quadraginta quinque universam urbem?* In Hebraeo est, delebis *propter quinque* universam urbem: ad eumdem modum hoc idem est etiam in Versione Septvaginta, et in quibusdam Latinis etiam exemplaribus. Sed res sensu non discrepat. Nam in illo: *delebis propter quinque*, illud subintelligitur, si videlicet, istis quinque pauciores quam quinquaginta reperirentur iusti. Quod Latinus Interpres clarius expressit. *Et ait: non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.* 29. *Rursusque locutus est ad eum, sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: non percutiam propter quadraginta.* 30. *Ne quaeso, inquit, indigneris Domine, si loquar: quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit: non faciam, si invenero ibi triginta.* 31. *Quia semel, ait, coepi, loquar ad Dominum meum: quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait: non interficiam propter vi-*

ginti. 32. *Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel. Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: non delebo propter decem.* 33. *Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham, et ille reversus est in locum suum.*

CAPVT XIX.

Duos angelos Lot Sodomae hospitio excipit: quibus vim libidinose afferre parant Sodomitae, quos iidem angeli coecitate plectunt. Educunt postera die Lothum una cum uxore, et duabus filiabus. Lothi uxor, quod contra angelorum mandatum respexerit, in salis statuam conversa est. Igne caelesti conflagrant Sodoma, et tres aliae civitates. Lot cum filiabus primum in Segor civitatulam, deinde in montem perfugii causa se recipit: ubi filiae illum inebriarunt, et cum illo concubuerunt.

1. *VENERVNTQVE duo angeli Sodomam vespere sedente Lot in foribus civitatis.* Hebraeorum doctores sedisse prae foribus civitatis Lotum autumant, quod magistratum ibi gesserit. Nam antiquitus in portis urbium consveverant iudicia exerceri, populique publici conventus institui. Cuius rei exempla infra capitis 23. v. 10. Ruth 4. v. 1. et in pluribus aliis Scripturae locis se offerunt. Attamen Lotum privatum ibi fuisse id declarat, quod infra versu 9. Sodomitae sic ad eum locuti sint: *Ingressus*

sus es, ut advena, numquid, ut iudices? Quod ergo prae foribus sederit, hoc fecit hospites, et peregrinos excipiendi, deducendique eos ad suam domum causa. *Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram.* Iam ad superioris capitis versum 2. ex S. Augustino demonstratum est tam ab Abrahamo ibi, quam isthic a Loto in angelis sub forma, et habitu humano ipsum Deum esse agnitum. Ut ergo tribus angelis Abraham, sic Lot istis duobus, quod adorationem impenderit, mirum non est. Potest autem adoratio etiam impendi aliis, sed non tanquam Deo, citra idololatriae aliquam culpam, quomodo Abraham infra capitis 23. v. 12. etiam adoravit filios Heth, et Jacob fratrem suum Esau (capitis 33. v. 3.) atque Josephum sui fratres. (cap. 43. v. 26.) Est enim externa quaedam actio honorandi, atque submittendi se coram alio, quae nunc genuum flexione, vel etiam totius corporis prostratione fit. Quamobrem adorare Graecis προσκυνεῖν dicitur, quod procumbere significat. Certe autem nobilius membrum est caput, quam pedes, et reliquae partes corporis. Inclinamus autem caput passim aliis hominibus, quos reveremur, et salutamus. Si ergo in inclinatione capitis idololatria non est, nec igitur est in flexione pedum, et genuum, nisi hoc procedat ex intentione exhibendi cultum cuipiam; quasi Deo. Qua mente qualiscunque demum actio praestita alicui, praeterquam soli Deo, erit semper idololatrica. Quare etiam manum aliquo extendere, hanc-

que adducere ad os, atque osculari, quomodo quidam Baalem adorabant 3. Reg. 19. v. 18. et solem atque lunam Jobi 31. v. 27. erit idololatria. Atque hic adorandi modus erat omnino gentilibus, et ipsis Romanis usitatus, apud quos ipsum etiam adorationis vocabulum inde manavit, quod inter precandum manu genua idolorum consveverint contingere, eamque deinde osculari.

2. *Et dixit: obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi: lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: minime, sed in platea manebimus.* 3. *Compulit illos oppido*, id est: valde, *ut diverterent ad eum, ingressisque domum illius fecit convivium, et coxit azyma, et comederunt.* Azymus Graeca vox est, et significat panem fermenti expertem. 4. *Prius autem, quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum illius a puero usque ad senem: omnis populus simul.* Omnis populus dicitur convenisse adversus Loti domum, vel quod mares omnis aetatis a pueris usque ad senes concursum istum fecerint; vel vero est hic iste modus loquendi, de quo etiam S. Hieronymus epist. 146. ad Damasum sic scripsit: „Secundum eum canonem, inquit, quem saepe exposuimus Scripturarum, omnia non ad totum referenda sunt, sed ad „partem maximam.“ 5. *Vocaveruntque Lot, et dixerunt ei: ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte?* Vesperi, ut est versu 1. angeli venerunt Sodomam: Nocte igitur idem est, quod sub exor-

tum, et adventum noctis. *Educ illos huc, ut cognoscamus eos.* Modeste exprimitur foedissima actio, et vis, quam hospitum pudori libidinose adferre voluerunt. 6. *Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium ait:* 7. *Nolite quaeso, fratres mei, nolite malum hoc facere.* 8. *Habeo duas filias, quae necdum cognoverunt virum. Educam eas ad vos, et abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei*, id est: tecti mei. Lothi hoc factum S. Chrysostomus hom. 43. in Gen. laudat, sed tantum ex illa parte, qua hospitalitatem adeo coluerit; ut hospitum, et peregrinorum a contumelia conservationem etiam filiarum pudori antetulerit. Arguit vero illud, et reprehendit S. Augustinus in libro contra Mendacium. Et certe non modo hospitum ab iniuria defensio, sed nec ulla alia iusta causa esse potest offerendi filias ad stuprum. Nec enim licitum illud unquam fieri potest, quod natura sua est malum. Et licet hoc in comparatione alterius levius malum fuerit, siquidem libido maris cum femina minus contra naturam est, quam cum mare, et persona sui sexus; tamen eiusmodi commutatio locum non habet, quando defendendo aliquem ab iniuria id ago, ut iniuriose laedatur alter. Nec est necessarium, in eo se torquere, ut sanctissimorum licet hominum omnes actiones semper purgentur ab omni noxa. Sic enim nec David, nec Petrus, nec plures peccavissent, quos offendisse, et graviter offendisse extra dubium

est. De Lotho tamen sic videtur esse tenendum, quod tametsi factum hoc illius minime sit probandum; tamen quo minus se hoc agendo graviore aliqua culpa obstrinxerit, intervenisse mentis inconsiderantiam, et voluntatem non tantum non peccandi, sed etiam a peccato alios vel abstrahendi, vel illud saltem extenuandi et imminuendi, si impedire penitus non posset. A sola autem voluntate, si perversa sit, malitia actionum omnis repetitur. „Iustum Lot, ait S. Petrus epistolae 2. capitis 2. v. 7. oppressum a nefandorum iniuria, ac luxuriosa conversatione (Deus) eripuit." Atqui si tum a iustitia descivisset, non iam iustus, sed iniustus fuisset, quando deinde per eosdem angelos ex illo, quod impendebat, urbi exitio ereptus est.

9. *At illi dixerunt: recede illuc. Et rursus: ingressus es, inquiunt, ut advena, numquid ut iudices? Te ergo ipsum magis, quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissime, iamque prope erat, ut effringerent fores.* 10. *Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium,* 11. *et eos, qui foris erant, percusserunt coecitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.* S. Augustinus l. 22. de Civ. Dei cap. 19. dicit hanc non in oculis illorum fuisse factam coecitatem, et impotentiam videndi, sed tantum offusam fuisse oculis illorum caliginem, ne videre possent. „Quia si „coecitas fuisset, inquit, qua fit, ut nihil possit „videri, non ostium, quo ingrederentur, sed du-

„ cem itineris, a quo inde abducerentur, inquire-„ rent." Atque hanc explicationem confirmat illud, quod Sapientiae 19. v. 16. Aegyptiorum illae spississimae tenebrae, in quibus haerebant, quin se loco movere auderent, per triduum Exod. 10. v. 22. isti Sodomitarum coecitati similes fuisse dicantur. „ Percussi sunt, inquit, coecitate, sicut illi in foribus Justi, cum subitaneis cooperti tenebris unusquisque transitum ostii sui quaerebat." Quae vero Aegyptiorum coecitas non a defectu oculorum, sed a luminis absentia effecta est.

12. *Dixerunt autem ad Lot: habes hic quempiam tuorum, generum, aut filios; aut filias? Omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac.* 13. *Delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perdamus illos.* 14. *Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, et dixit: surgite, et egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.* 15. *Cumque esset mane, cogebant eum angeli dicentes: surge, tolle uxorem tuam, et duas filias, quas habes, ne et tu pariter pereas in scelere civitatis.* 16. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, et manum uxoris, ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi.* 17. *Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem, ibique locuti sunt ad eum dicentes: salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte sal-*

vum te fac, ne et tu simul pereas. 18. *Dixitque Lot ad eos: quaeso, Domine mi,* 19. *quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam: nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar.* 20. *Est civitas haec iuxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. Numquid non modica est, et vivet anima mea?* 21. *Dixitque ad eum: ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.* 22. *Festina, et salvare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor.* Bala ante adpellabatur, ut est supra capitis 14. v. 2. Hebraice autem ipsam Lot *Tzoar* (צוֹעַר) adpellavit, quod parvum significat. Ex quo vero Hebraeo vocabulo Septvaginta Interpretes Graece nomen proprium Segor fecerunt, et quod ab his etiam ab Interprete Latino transsumptum est.

23. *Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor.* 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur, et ignem a Domino de caelo.* S. Ignatius in epist. ad Antiochenos, S. Irenaeus l. 3. c. 16. S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, S. Hilarius l. 5. de Trinitate, S. Hieronymus in Cap. 2. Zach. pluresque alii Patres distinctionem isthic Personarum Divinarum recognoscunt Patris et Filii. De quo etiam Sirmiense II. Concilium sic pronunciavit, et canonem po-

suit: „Si quis illud, quod scriptum est: *Pluit Do-*
„*minus a Domino* non de Patre, et Filio perce-
„perit, sed et ipsum a semetipso pluere dixerit,
„anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domi-
„no Patre.“ Hebraeorum quidem doctores hoc co-
nantur eludere dicendo esse hanc lingvae Hebraicae
indolem, ut pronominis loco ipsum nomen ponant,
et repetant. Quod etsi concedatur accidere nonnum-
quam, út pronominis loco figura quadam sermonis
nomen ipsum in oratione repetatur: non tamen est
consequens; ut hoc tantum per figuram orationis
semper fiat, atque sic etiam hic sit. Id quod modo
declarabitur. Libeat enim animadvertere sic modo
paullo ante angelum fuisse Loto locutum: *Ecce
etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subver-
tam urbem, pro qua locutus es.* Et rursus: *Festi-
na, et salvare ibi, quia non potero facere quid-
quam, donec ingrediaris illuc.* Ergo idem angelus
fuit, qui et potestatem sibi habuit commissam per-
dendi illas civitates, et eximendi etiam ab exitio
illam, pro qua Lot rogabat, urbem; et cum se
idem angelus dicat non posse facere quidquam ad-
versus illas exitio destinatas urbes, et quod conti-
nere se debeat ab inferenda illis plaga, donec Lot
se reciperet eo velut ad tutum locum; sequitur an-
gelum eumdem fuisse, qui ignem de caelo dedu-
xerit super illas urbes, et qui quoniam Dei perso-
nam gesserit, Domini etiam nomine adpelletur. Et
quia nihilominus idem angelus personam Dei ge-
rens, ac proinde Dominus a Domino dicitur ignem,

et sulphur pluisse; sequitur hunc angelum, qui ignem pluit, aliam Domini personam gessisse, quam illa Domini persona fuerit, a qua ignem pluit. Nam, si hoc non ita fuisset; minus apte fuisset dictum: *Pluit Dominus a Domino*, sed potius, ut recte instituatur oratio, dicendum fuisset: pluit Dominus a se, aut ne hoc quidem: a se, adhibendum fuisset. Quare recte illi, quos superius laudavi Patres, Divinarum Personarum hinc distinctionem deduxerunt, et quia illius Personae est accipere ab altera, quae ab illa procedit; Filius autem a Patre procedat; illud quoque secundum eosdem Patres consequens est Dominum qui pluit, siquidem ille hoc acceperit, et hoc fecerit a Domino, a quo pluit, esse Filium, illum autem, a quo pluit, esse Patrem. Et licet etiam Spiritus Sanctus procedat non tantum a Patre, verum etiam a Filio, non ille tamen intelligendus est pluisse, quod Spiritui Sancto tribuantur opera Divinae bonitatis, cum res haec ad poenam, atque ad iudicium spectaverit, Dei autem Filius sicut futurus erat humani generis Redemptor, ita simul ei etiam potestas data fuit iudicii. „Neque enim Pater iudicat quemquam, ait ipse Christus Joannis 5. v. 22. sed omne iudicium dedit „Filio."

25. *Et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terrae virentia.* Quatuor fuisse civitates, quae tum illo igne deflagrarunt, et praeter Sodomam, et Gomorrham fuisse etiam in hoc numero

Adamam, et Seboim, diserte est Deuteronomii 29. v. 23. — 26. *Respiciensque uxor eius post se, versa est in statuam salis.* Liber Sapientiae cap. 10. v. 7. Lothi uxorem de incredulitate etiam accusat, propter quam supplicio illo affecta sit. „Quibus, inquit, in testimonium nequitiae (de impiis „autem loquitur) fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, „et incredibilis animae (Graece: ἀπιστούσης ψυχῆς „incredulae animae) memoria stans figmentum sa„lis.“ Itaque intelligitur illa respexisse ideo, quod non crediderit, nec sibi persvaserit vere id esse futurum, quod de Sodomae urbis excidio dici audivit ab angelo; atque huius incredulitatis poenas dedit.

27. *Abraham autem consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino,* 28. *intuitus est Sodomam, et Gomorrham, et universam terram regionis illius, viditque adscendentem favillam de terra quasi fornacis fumum.* 29. *Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahae liberavit Lot de subversione urbium, in quibus habitaverat.* 30. *Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, duae quoque filiae eius cum eo, timuerat enim manere in Segor, et mansit in spelunca ipse, et duae filiae eius cum eo.* 31. *Dixitque maior ad minorem: pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem universae terrae.* 32. *Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.*

33. *Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa, et ingressa est maior, dormivitque cum patre. At ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.* 34. *Altera quoque die dixit maior ad minorem: ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, et dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro.* 35. *Dederunt etiam et illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia dormivit cum eo, et ne tunc quidem sensit, quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.* 36. *Conceperunt ergo duae filiae Lot de patre suo.* 37. *Peperitque maior filium, et vocavit nomen eius Moab: Ipse est pater Moabitarum usque in praesentem diem.* Moab Latine significat: *Ex patre.* 38. *Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen eius Ammon, id est filius populi mei. Ipse est pater Ammonitarum usque hodie.*

Gravius merentur accusari Loti filiae, quam pater. Poterant enim scire non omne genus hominum esse deletum cum Sodomitis, quae audiverant etiam Segori civitati ad Loti preces veniam esse concessam ab angelo, et nulla prorsus talis ratio poterat esse, quae adversus tam apertum flagitium posset valere. Neque Loti ebrietas secunda praesertim vacat difficultate purgandi ipsam ab omni noxa. Sed si cogitetur vir ille fuisse iustus; non est dubitandum, quin etiam tunc citra voluntatem suam in ebrietatem sit prolapsus. Sanctus Chrysostomus hom. 44. in Genes. dicit: „Non tam ex intempe-

„rantia illi accidisse ebrietatem, quam ex tristitia.“ Is etiam a filiarum illius condemnatione abstinendum esse pronunciat, quoniam nec Scriptura illas accuset. S. Augustinus l. 22. contra Faustum cap. 42. etc. proponit typum in ea re fuisse, quod sicut Loti filiae prostituerunt pudorem sui patris; sic Judaei legem sibi a Deo datam vilipenderint, abusique illa sint. Cum vero quidam filiarum Lot istum cum patre suo incestum inde conarentur defendere, quod in eo typus futurae rei aliquis fuerit, negat Augustinus istam consequentiam. „Illud factum, „inquit, cum narratur in Sacra Scriptura, prophe„tia est; cum vero in illorum vita, qui hoc com„miserunt, consideratur, flagitium est.“

CAPVT XX.

Dum Abraham in Geraris peregrinatur, ab Abimelecho illius civitatis rege rursus ei eripitur uxor. Cui cum Deus in somno apparuisset, mortemque comminatus fuisset; is Saram Abrahamo restituit additis insuper muneribus. Et quod feminarum etiam omnium in illius domo uteri ob eam rem erant constricti, ne parere possent, precibus Abrahae facultas quoque pariendi reddita illis est.

1. PROFECTVS *inde Abraham* ex Convalle Mambre, ubi modo ante habitabat, et quo in loco tres etiam angelos, de quibus superiore capite narratum est, hospitio exceperat, *in terram Australem ha-*

bitavit inter Cades, et Sur, et peregrinatus est in Geraris. Sur, et Cades loca erant in Arabia a Palaestina Aegyptum versus. Ibi igitur Gerara quoque erat civitas. De qua infra cap. 26. iterum instituitur mentio. 2. *Dixitque de Sara uxore sua: soror mea est. Misit igitur Abimelech rex Gerarae, et tulit eam.* 3. *Venit autem Deus ad Abimelech per somnum nocte, et ait illi: en morieris propter mulierem, quam tulisti. Habet enim virum.* 4. *Abimelech vero non tetigerat eam, et ait: Domine num gentem ignorantem, et iustam interficies?* Non soli Abimelecho Deum mortem esse comminatum, sed toti illius domui, atque regno, etsi isthic non est expositum, tamen ex versu 7. intelligitur: *si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu, et omnia, quae tua sunt.* Huc igitur pertinet quod ne a Deo puniretur, et interficeretur, Abimelech non de solo, sed de tota sua gente respondeat. 5. *Nonne ipse dixit mihi: soror mea est; et ipsa ait: frater meus est? In simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc.* 6. *Dixitque ad eum Deus: et ego scio, quod simplici corde feceris, et ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi, ut tangeres eam.* 7. *Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est, et orabit pro te, et vives. Si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu, et omnia, quae tua sunt.* Hebraicum *Nabi* (נָבִיא) omnino prophetam significat, cuius munus proprium est futuras res ex Dei revelatione sibi facta praedicere. Cum

vero prophetis magna soleat esse familiaritas cum Deo, cuius adparitionibus, et alloquio saepe perfruuntur; illorum preces maiorem etiam vim habent apud Deum propter illius erga eos peculiarem favorem. Quare autem veniam Abimelecho exorare debuit Abraham, si illud ipsius factum fuit innoxium? Nam simplici corde hoc illum fecisse agnovit ipse Deus. Erat sane in eo proposito, quod Abimelech habuit matrimonii ineundi cum Sara, quam crederet non habere maritum, nulla culpa. Fuit tamen peccatum in eo, quod illam invitam sustulerit. Neque enim de illa credi potest, sponte illam ad Abimelechum, ut uxor illius fieret, ivisse. Erat igitur sublata aliqua vi.

8. *Statimque de nocte consurgens Abimelech vocavit omnes servos suos, et locutus est universa verba haec in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde.* 9. *Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, et dixit ei: quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me, et super regnum meum peccatum grande? Quae non debuisti facere, fecisti nobis.* 10. *Rursumque expostulans ait: quid vidisti, ut hoc faceres?* 11. *Respondit Abraham: cogitavi mecum dicens: forsitan non est timor Dei in loco isto, et interficient me propter uxorem meam.* 12. *Alias autem, et vere soror mea est filia patris mei, et non filia matris meae, et duxi eam in uxorem.* Hanc quaestionem, quomodo Sara fuerit soror Abrahae, iam supra ad capitis 11. v. 29. attigimus. S. Hierony-

mus adversus Helvidium, S. Augustinus tam in libro contra Mendacium, quam contra Faustum 22. c. 35. dicunt sic Saram fuisse Abrahae sororem, quatenus filia erat Arani fratris Abrahae, quae aliter Jescha sit adpellata, quae proinde latiore significatione soror tantum illius fuerit, stricte vero, et proprie ex fratre neptis. At vero Abraham pronunciavit illam vere esse suam sororem, istudque magis explicaturus affirmavit filiam esse sui patris, et non filiam matris. In quo sicut proprie matris vocabulum adhibuit, sic, ut stet antithesis, patris quoque nomen debet sumi ab eo positum. Quod si non ex eodem parente dicere voluisset Saram esse sororem suam, poterat hoc sane Abraham facilius expedire filiam esse fratris sui dicendo, quaeque tali modo illius sit soror. Quare planius illud videtur fuisse illam omnio Abrahae sororem prognatam quidem ex eodem patre, sed non uterinam propter diversam matrem. Quare etiam S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis, cum hoc iterum prius sic exposuisset fuisse illam Arani fratris filiam, subiecit deinde „Sed quia, inquit, in Hebraeo ha-„bet: *Vere soror mea est filia patris mei, et non* „*filia matris meae*, et magis sonat, quod soror „Abrahae fuerit, in excusationem eius dicimus „necdum illo tempore tales nuptias lege prohibi-„tas.“ Id quod Calmet ex ea, quae huius rei consvetudo viguerat apud Aegyptios, Phaenices, Persas, pluresque alias nationes probat, et confirmat.

13. *Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: hanc misericordiam facies mecum: in omni loco, ad quem ingrediemur, dices, quod frater tuus sim.* 14. *Tulit igitur Abimelech oves, et boves, et servos, et ancillas, et dedit Abraham, reddiditque illi Saram uxorem suam, et ait:* 15. *terra coram vobis est, ubicunque tibi placuerit, habita.* 16. *Sarae autem dixit: ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, et quocunque perrexeris, mementoque te deprehensam.* Argentei nomine conveniunt Interpretes intelligi genus monetae, quem Hebraei siclum (שֶׁקֶל *Schekel*) adpellarunt, quod sicut nos per florenos, ita illi per siclos computus vulgo inire consveverint. Significat vero vox illa Sicli Hebraea proprie pondus; quia antiquitus non numerabantur, sed tantum ponderabantur pecuniae. Secundum Pelletierum Rothomagensem siclus appendit mediam unciam. Qui proinde si argenteus fuit, aequivalebat in pondere duabus tertiis partibus nostri floreni Rhenensis, sive quadraginta cruciferis. Ex quo mille argenteorum secundum nos valor, et quantitas facile deprehendi potest. In velamen autem oculorum hos Abimelech Sarae dedit, ut se scilicet tam apud suos domesticos, quam extraneos, gereret ut coniugatam cum velamine in capite, et ne sine velo innuptarum instar foras unquam prodiret. Memento, inquiebat te esse deprehensam; quod quae se gessisset, tanquam esset innupta; reperta sit simu-

late hoc facere, habereque virum. Quare pro: *esse deprehensam* Septvaginta verterunt: *omnia veraciter loquere* (πάντα ἀλήθευσον) 17. *Orante autem Abraham sanavit Deus Abimelech, et uxorem, anicillasque eius, et pepererunt.* 18. *Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahae.*

CAPVT XXI.

Sara concipit, et in lucem edit Isaac filium. Propter infestum cum eo lusum, postquam adolescere coepisset Abraham postulante Sara dimittit e domo Ismaelem una cum matre Agare. Qui postea in deserto Pharan habitavit. Abimelech et Abraham foedus ineunt, illudque iuramento inter se sanciunt.

1. V*ISITAVIT autem Dominus Saram, sicut promiserat, et implevit, quae locutus est.* Visitari in Scriptura a Deo iam bonum, iam malum significat: prout scilicet ad aliquem Deus quasi venit, ut vel beneficium quodpiam ei tribuat, vel ut poenas ab eo repetat. Hic priore modo accipitur. 2. *Concepitque, et peperit filium in senectute sua, tempore, quo praedixerat ei Deus.* 3. *Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac.* 4. *Et circumcidit eum octavo die, sicut praeceperat ei Deus,* 5. *Cum centum esset annorum.* *Hac quippe aetate patris natus est Isaac.*

6. *Dixitque*

6. *Dixitque Sara: risum fecit mihi Deus, et quicunque audierit, corridebit mihi.* 7. *Rursumque ait: quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* 8. *Crevit igitur puer, et ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis eius.* 9. *Cumque vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham:* 10. *eiice ancillam hanc, et filium eius. Non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac.* S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis docet hoc de lusu Ismaelis cum Isaaco dupliciter ab Hebraeis esse expositum „Sive quod, inquit, idola ludo fe„cerit iuxta illud, quod alibi scriptum est: *Sedit „populus comedere, et bibere, et surrexerunt lu„dere*; (Exod 32. 6.) sive quod adversum Isaac, „quasi maioris aetatis ioco sibi, et ludo primogeni„ta vendicaret. Quod quidem Sara audiens non tu„lit, et hoc ex ipsius adprobatur sermone dicen„tis: *Eiice ancillam hanc cum filio suo. Non enim „haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac.*" S. Paulus autem eadem hac de re ad Galatas 4. v. 29. verba faciens, et de illis duobus Isaaco, et Ismaele loquens „Quomodo tunc, inquit, is, qui se„cundum carnem natus erat, persequebatur eum, „qui secundum spiritum" non obscure ostendit „periculosiorem aliquem istum fuisse lusum non mere iocosum, unde Isaaco suo filio Sara ab Ismaele metueret. Quare et ex eo, quod Sara postulans expulsionem Ismaelis ex domo pro causa adduxe-

rit filium ancillae non futurum haeredem cum suo filio Isaac; et quod illum lusum, propter quem Sara expelli ex domo voluerit Ismaelem, ne haeres esset, Apostolus persecutionis nomine adpellet; deducitur lusum istum talem fuisse, quo Ismael Isaaco insultaverit, se futurum haeredem, sibique prae illo deberi haereditatem tanquam videlicet natu maiori, et nisi vellet cedere, minas etiam intentaverit.

11. *Dure accepit hoc Abraham pro filio suo.* 12. *Cui dixit Deus: non videatur asperum super puero, et super ancilla tua. Omnia, quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Hoc est, Isaacum esse hunc filium, ex quo Abrahamo procederet illa posteritas, in qua promissiones illae, quae ad ipsum factae sunt, complendae essent. Hunc vero locum Paulus usurpat ad Romanos 9. v. 7. ut doceat eos, qui secundum spiritum eumdem fidei cum patre Abraham filii illius sunt, veros esse et illos Abrahae filios, erga quos promissiones eae pertinent, quae ad Abrahamum factae a Deo sunt. „Neque qui „semen sunt Abrahae, inquit, omnes filii, sed „in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non filii „carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissio„nis, aestimantur in semine.“ Ismael nimirum typum gessit Synagogae, quae constabat tota ex filiis Abrahae secundum carnem; Isaac vero figuraverat Ecclesiam, in qua Abrahae filii ex fide sunt. Sicut idem Paulus ad Galatas de eodem Ismaele

et Isaaco, „Haec enim, inquit, sunt duo testamen-
„ta: unum quidem in monte Sina, in servitutem ge-
„nerans, quae est Agar - - - illa autem, quae sursum
„est Jerusalem, libera est, quae est mater nostra. - -
„Nos autem fratres secundum Isaac promissionis
„filii sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum
„carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui se-
„cundum spiritum, ita et nunc. Sed quid dicit Scri-
„ptura? Eiice ancillam, et filium eius. Non enim
„haeres erit filius ancillae cum filio liberae. Ita-
„que fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae:
„qua libertate Christus nos liberavit." Gal. 4. v. 24. Dicitur autem Isaac filius promissionis, non quod non etiam secundum carnem ex Abraham natus sit, sed quod Ismael pure secundum carnem, Isaac autem etsi ex carne sit natus, sed tamen quod praeter naturae ordinem ex sene patre, et *ex* matre, cuius vulva iam erat emortua, vi solius Divinae promissionis non naturalibus parentum viribus procreatus sit. Ad quem eumdem modum, qui ex fide Abrahae filii sunt, non illos ipse naturaliter produxit, sed Deus per gratiam suam illos elegit, et se illi daturum, ut filii illius sint, qui per fidem illius tanquam patris vestigia sequantur, promisit. Quemadmodum autem tunc Ismael Isaacum erat persecutus; ita dicit Paulus nunc fieri, de suo nimirum tempore loquitur, ut Synagoga persequatur Ecclesiam, sed ne nunc quidem bene affecti sunt nobis Judaei, secundum carnem Abrahae filii, et fratres nostri; tantum quod vires ad nocendum non habeant.

13. *Sed et filium ancillae faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* 14. *Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem, et utrem aquae imposuit scapulae eius, tradiditque puerum, et dimisit eam. Quae cum abiiset, errabat in solitudine Bersabee.* Puteum iuramenti vox haec significat, estque nomen illi loco tantum postea inditum ab Abrahamo, ut adhuc huius capitis v. 31. sequetur, estque in finibus Judaeae Meridiem versus. 15. *Cumque consumpta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborem, quae ibi erat.* 16. *Et abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: non videbo morientem puerum, et sedens contra levavit vocem suam, et flevit.* 17. *Exaudivit autem Deus vocem pueri, vocavitque angelus Dei Agar de caelo dicens: quid agis Agar? noli timere. Exaudivit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est.* 18. *Surge, tolle puerum, et tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* 19. *Aperuitque oculos eius Deus, quae videns puteum aquae abiit, et implevit utrem, deditque puero bibere.* 20. *Et fuit cum eo; qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est iuvenis sagittarius.* 21. *Habitavitque in deserto Pharan:* in Arabia Petraea est hoc desertum a Bersabea, de qua paullo ante dictum est magis vergens ad Meridiem: *et accepit illi mater sua uxorem de terra Aegypti.*

22. *Eodem tempore dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus te-*

eum est in universis, quae agis. 23. *Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meae, sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, et terrae, in qua versatus es advena.* 24. *Dixitque Abraham ego iurabo.* 25. *Et increpavit Abimelech propter puteum aquae, quem vi abstulerant servi eius.* 26. *Responditque Abimelech: nescivi, quis fecerit hanc rem. Sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi praeter hodie.* 27. *Tulit itaque Abraham oves, et boves, et dedit Abimelech, percusseruntque ambo foedus.* 28. *Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.* 29. *Cui dixit Abimelech: quid sibi volunt septem agnae istae, quas stare fecisti seorsum?* 30. *At ille: septem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.* 31. *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque iuravit.* 32. *Et inierunt foedus pro puteo iuramenti.* 33. *Surrexit autem Abimelech, et Phicol princeps exercitus eius, reversique sunt in terram Palaestinorum.* *Hebraice Pelistim* (פְּלִשְׁתִּים) alias vulgo Philisthaei vertuntur a Latino Interprete in Scriptura, eratque Philisthaeorum regio in latere maris Mediterranei, spectabatque ab Judaea ad Occidentem. Huc igitur tanquam in regionem, ubi domicilium habebat, rediit Abimelech ex illa, quae pariter illius aliqua ditio fuit, et ubi, ad puteum Bersabee, habitandi stationem sibi Abraham modo defixerat. *Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et in-*

vocavit ibi nomen Domini Dei aeterni. Hoc est: Deum ibi coluit Religionis officiis, quomodo de Enos dictum est supra capitis. 4. v. 26. „Iste coe„pit invocare nomen Domini.“ 34. *Et fuit colonus terrae Palaestinorum diebus multis.* Terrae videlicet, quae ad Philisthaeorum ditionem spectaret; sed tamen, ut iam dictum est, quae non esset propria illorum regio.

CAPVT XXII.

Abrahamo mandat Deus, ut Isaac filium suum immolet: sed ictum iam paratum cum retrahere iussus fuisset, confirmantur illi promissiones, quas accepit a Deo.

1. *QVAE postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: adsum.* Deus tentavit Abrahamum, hoc est probavit, ut videlicet experimento constaret, et proderetur aliis ad exemplum illius in obediendo summa promptitudo. „Tenta„tur Abraham, ait S. Augustinus l. 16. de Civ. „Dei cap. 32. de immolando dilectissimo filio ipso „Isaac, ut pia eius obedientia probaretur seculis „in notitiam proferenda, non Deo. Neque enim „omnis est culpanda tentatio, quia et gratulanda „est, qua fit probatio.“ Est nimirum aliud etiam genus tentationis, sed alienissimum a Deo, quo quis alium conatur ad peccatum inducere. De quo

S. Jacobus 1. v. 13. „Deus, inquit, intentator „malorum est, ipse vero neminem tentat: unus-„quisque vero tentatur a concupiscentia sua.“ 2. *Ait illi: tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium.* Hebraice: *ad terram Moria* (הַמֹּרִיָּה) quae Hebraea vox visionem Dei significat. Sic Abraham deinde infra versu 14. adpellavit illum locum, et montem, ubi hoc sacrificium futurum erat. Moyses autem usus est prolepsi, et anticipatione usurpando iam nomen, quod habebat quidem ille locus, cum istud scribebat, sed accepit tantum post id, quod modo narratur: *atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.*

3. *Igitur Abraham de nocte consurgens stravit asinum suum ducens secum duos iuvenes, et Isaac filium suum.* De nocte surgere, vel mane se ad opus aliquod accingere est idiotismus lingvae Hebraeae, significatque admaturationem negotii. Ad quem modum ipse etiam Deus Jeremiae 25. v. 3. et saepe alibi de nocte surrexisse dicitur, quando per suos prophetas ad resipiscentiam adhortatus erat Judaeos. *Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem praeceperat ei Deus.* 4. *Die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul.* Superius erat, Deum monstraturum esse ipsi locum: quem cum eminus nunc agnoverit; intelligitur vel admonitione aliqua interiore Di-

vina vel alio aliquo modo Abraham locum illum agnovisse, quo sacrificandi causa eundum illi erat. 5. *Dixitque ad pueros suos: exspectate hic cum asino: ego, et puer illucusque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* 6. *Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem, et gladium. Cumque duo pergerent simul,* 7. *dixit Isaac patri suo: pater mi. At ille respondit: quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, et ligna, ubi est victima holocausti?* 8. *Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimam holocausti fili mi. Pergebant ergo pariter,* 9. *et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo aedificavit altare, et desuper ligna composuit. Cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum,* 10. *extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum.* „Utrum magis admirer, ait S. Chrysostomus hom. 47. in „Gen. et obstupescam, fortemne spiritum patriarchae, an pueri obedientiam? Neque reluctatus „est, neque factum aegre tulit, sed cessit, et obtemperavit iis, quae à patre facta sunt, et sicut „agnus cum silentio super altare accubuit exspectans patris dexteram.“

Fuit Isaac typus Christi immolati in Cruce. „Propterea et Isaac, ait S. Augustinus l. 16. de „Civ. Dei cap. 32. sicut Dominus Crucem suam, „ita sibi ligna ad victimae locum, quibus fuerat „imponendus, ipse portavit. Postremo, quia Isaac

„occidi non oportebat, posteaquam est pater feri-
„re prohibitus, quis erat ille aries, quo immola-
„to impletum est significativo sangvine sacrifi-
„cium? Nempe quando eum vidit Abraham, cor-
„nibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figura-
„batur, nisi Jesus, antequam immolaretur spinis
„Judaicis coronatus?" 11. *Et ecce angelus Domini de caelo clamavit dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: adsum.* 12. *Dixitque ei: non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. Nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.*
„Quid igitur? verba sunt S. Chrysostomi hom.
„47. in Gen. Ignorabatne ante hoc iusti virtutem,
„et nunc cognovit omnium Dominus? Non hoc,
„inquit, significat, quod nunc ipse cognoverit.
„Sed quid dicere vult? Nunc igitur omnibus de-
„clarasti, quomodo sincero timore Deum colas.
„Nam ego noveram famulum meum: quae autem
„nunc a te facta sunt, doctrinae materia sunt tam
„praesentibus, quam futuris. Notum enim fecisti
„nunc omnibus te timere Deum, et curare, ut
„mandata eius opere impleas."

13. *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres haerentem cornibus: quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Quomodo igitur Isaac typus fuit immolati Christi, si non ipse, sed in eius locum occisus fuit aries? Isaac, et aries coniunctim pertinent ad integritatem istius typi. In Isaaco voluntaria Chri-

sti oblatio delineabatur, per arietem immolatum cruenta Christi mors repraesentabatur: atque, ut Isaac Christum redivivum ex morte exhiberet ipso manente vivo assumptus est aries, cuius immolatio Christum mortuum figuraret. Abraham Isaac filium unigenitum suum (ex Sara videlicet erat unigenitus, nam ex ancilla procreatum filium habebat etiam Ismaelem) sacrificabat, quia etiam „Deus „sic dilexit mundum, ut Filium suum unigeni„tum daret, et proprio Filio suo non pepercit, „sed pro nobis omnibus tradidit illum." Ioan. 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. Quomodo autem Abraham, cum illud oraculum Dei haberet: *In Isaac vocabitur tibi semen;* superioris capitis versu 12. tamen tam indubitanter morem isti gesserit praecepto Dei, quod tam aperte erat contrarium illi, quod ei prius Deus promiserat de Isaac; in Epistola ad Hebraeos 11. v. 17. docet Paulus „Fide, inquit, obtulit „Abraham Isaac, cum tentaretur --- arbitrans quia „et a mortuis suscitare potens est Deus."

14. *Appellavitque nomen loci illius: Dominus videt. Unde usque hodie dicitur: in monte Dominus videbit.* „Sicut dictum est, ait S. Augustinus „l. 16. de Civ. Dei cap. 32. nunc scivi, pro eo, „quod est: nunc sciri feci: ita hic Dominus vidit, „pro eo, quod est, Dominus apparuit: hoc est „videri se fecit." Sic vero Abraham locum illum denominavit, quod Dei omnia intuentis singularem erga se providentiam ibi expertus sit, quique in illo ipso articulo temporis praesto ei fuerit, quo

si abfuisset, Isaac immunis ab ictu non mansisset. „Pro eo autem, verba S. Hieronymi in Quaestio- „nibus Hebraicis, quod hic habet: *videt*, in He- „braeo scriptum est: *videbitur*. Hoc autem apud „Hebraeos exivit in proverbium, ut si quando in „angustia constituti sunt, et Domini optant auxi- „lio sublevari, dicant: *in monte Dominus vide-* „*bitur*, hoc est sicut Abrahae misertus est; mise- „rebitur et nostri. Unde et in signum dati arie- „tis solent etiam nunc cornu clangere.“ De eodem hoc monte, qui postea Hebraeis Moria fuit dictus, idem S. Hieronymus in eodem, modo citato suo libro sic habet: „Aiunt ergo, inquit, Hebraei hunc „montem esse, in quo postea templum conditum „est in area Ornae Jebusaei, sicut et in Paralipo- „menis (2. Par. 3. v. 1.) scriptum est: et coe- „perunt aedificare templum in mense secundo, in „secunda die mensis, in monte Moria.“

15. *Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de caelo dicens:* 16. *per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me,* 17. *benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et velut arenam, quae est in litore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Portae, tanquam pars, positae sunt pro ipsis hostium munimentis, et significatur hostium vis, atque robur, quibus Abrahae posteri superiores futuri sunt. Quale etiam illud apud Matthaeum est c. 16. v. 18. „Et portae inferi non praeva-

„lebunt adversus eam.“ 18. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* S. Paulus ad Galatas 3. v. 16. fecit hanc animadversionem ad hunc locum, cuius iam superius etiam memini: „Abrahae, inquit, dictae sunt pro-„missiones, et semini eius. Non dicit: et seminibus, „quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, „qui est Christus.“ Isto vero, quod hic instar causae positum est, propter quam benedictionis istam promissionem acceperit, quod scilicet obedivisset Abraham voci Dei, docet S. Jacobus cap. 2. v. 23. suppletam esse Scripturam. Nam, cum ante Genesis 15. v. 6. quod Deo fidem adhibuerit, fides haec ei reputata fuisset ad iustitiam; nihilo tamen minus laudatur a Deo, et benedicitur, quodque sic Deum sibi demeruerit; illius haec obedientia, qua paratus erat filium suum offerre, pro causa proponitur. Ex quo deinde sic consequentiam intulit Jacobus, „Vides ergo, inquit, quoniam fides co-„operabatur operibus illius, et ex operibus fides „consummata est:“ rursumque hinc generalem illationem fecit non per solam fidem fieri iustificationem hominis, verum etiam ex operibus: „Vi-„detis, inquit, quoniam ex operibus iustificatur „homo, et non ex fide tantum.“ Cui Apostolicae sententiae contrarium tuentur dogma Confessores Helvetae, et Augustani: iustificationem fieri per solam fidem, atque fiduciam in Christum. In quo, cum iam Lutherus sibi hanc contrariam videret esse Apostoli epistolam; maluit illam Jacobo abiudi-

care, stramineamque adpellare, quam suam, quam fecit reformationem ad eam conformare. Dicunt tamen hanc suam reformationem totam esse factam, atque exactam secundum Evangelium, et Scripturam.

19. *Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersebee simul, et habitavit ibi.* 20. *His ita gestis nunciatum est Abrahae, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo:* 21. *Hus primogenitum, et Buz fratrem eius, et Camuel patrem Syrorum,* 22. *et Cased, et Azau, Pheldas quoque, et Jedlaph.* 23. *ac Bathuel, de quo nata est Rebecca. Octo istos genuit Melcha Nachor fratri Abrahae.* 24. *Concubina vero illius nomine Roma peperit Tabee, et Gaham, et Tahas, et Maacha.* Quando tunc plures erat licitum habere uxores, concubinarum non eadem, quae nunc, ratio fuit. Sed erant hae praeter unam primariam aliae, sed in inferiore, quam illa prima dignitatis, et auctoritatis domesticae gradu, uxores. Quomodo tales uxores ipsius etiam Abrahae isto concubinarum nomine appellantur. De quo infra capitis 25. v. 6. est: Filiis autem concubinarum largitus est munera, et quales concubinas etiam David habuit 2. Reg. 15. v. 16. Pro Roma, quae Nachoris concubina fuit, legitur nunc secundum Hebraica moderna puncta *Reuma* (רְאוּמָה)

CAPVT XXIII.

Moritur Sara, quam Abraham in spelunca duplici, quam ab Ephron Hethaeo emit, sepelit.

1. *VIXIT autem Sara centum viginti septem annis*, 2. *et mortua est in civitate Arbee, quae est Hebron in terra Chanaan:* Hebron nomen illius civitatis fuit recentius, quod illi tunc tantum impositum est, quando Israelitae duce Josue Palaestinam in suam ditionem acceperunt, ut hoc iam superius ad capitis 13. v. 18. demonstratum est. Vetus autem illius nomen fuit Cariath vel Ciriath arbe, quod Latine significat *Civitatem quatuor*. Qua de re S. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis sic ex traditione Hebraeorum pronunciat: „Dicitur Arbee, „inquit, hoc est quattuor, quia ibi Abraham, et „Isaac, et Jacob conditus est, et ipse princeps „humani generis Adam." *Venitque Abraham, ut plangeret, et fleret eam.* Cum in Hebron mortua sit Sara, consequens est Abrahamum ex Bersabea huc iterum domicilium transtulisse, ubi iam ante etiam habitaverat. (Supra cap. 13. 18.) Qui ad Saram plangendam venit, non quasi illa moriente abfuisset, de quo historia omnis, quae adhuc praecessit, docet habuisse illam semper in omnibus suis peregrinationibus comitem, et sociam; sed est modus tantum loquendi, quo initium, et adgressio

alicuius operis exprimitur: quomodo verbum: venio etiam supra capitis 19. v. 32. et inferius capitis 31. v. 44. usurpatur.

3. *Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: 4. advena sum, et peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum.* Officium hoc funeris fiebat planctu, et lamentatione, durabatque, ut ex Ecclesiastico cap. 22. v. 13. intelligitur, septem diebus, quin nonnunquam etiam longius, uti in Jacobi patriarchae obitu planctus est factus septvaginta dierum; in Aaraonis autem triginta Gen. 50. 3. Numer. 20. 30. Filios Heth autem istos appellat, qui scilicet essent ex posteris Heth, qui unus erat ex filiis Chanaan Gen. 10. v. 15. atque Arbee civitatem, ubi Sara est mortua, incolebant. 5. *Responderunt filii Heth dicentes: 6. audi nos Domine, princeps Dei es apud nos* id est princeps maximus, Dei nomine assumpto ad sublevandum id, quod dicitur, ad significationis gradum maximum, ut iam hoc demonstratum est: *in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.*

7. *Surrexit Abraham, et adoravit populum terrae filios videlicet Heth.* Si inclinatio atque submissio capitis, quod in corpore membrum praecipuum, reliquisque dignius est, honoris causa fit, et fieri potest homini; cur non hoc idem facere liceret genibus, quin haec labes aliqua adversus Religionem

sit, si illa submittantur, et flectantur cuipiam homini? Nempe actiones externae, quae fiunt adminiculo corporis, a mente et intentione determinantur, ut et latriae cultum significare possint, si erga Deum fiant; et solum etiam civilem, si exhibeantur homini, ut homini. Qua de re iam etiam ad capitis 19. versiculum 1. est dictum. 8. *Dixitque ad eos: si placet animae vestrae, ut sepeliam mortuum meum; audite me, et intercedite pro me apud Ephron filium Seor,* 9. *ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* 10. *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam civitatis illius dicens:* 11. *nequaquam ita fiet Domine mi, sed tu magis ausculta, quod loquor: agrum trado tibi, et speluncam, quae in eo est praesentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum.* In portis civitatum consvevisse antiquitus publicos conventus populi institui, publicaque negotia tractari, iam ad capitis 19. versum 1. dictum est. Coram omnibus igitur, qui ingrediebantur portam civitatis, idem est, quod publice et coram magistratu, qui consideret in foribus urbis, hoc ad Abraham Ephron pronunciavit; ibique hoc negotium gestum est.

12. *Adoravit Abraham coram populo terrae,* 13. *et locutus est ad Ephron circumstante plebe: quaeso, ut audias me: dabo pecuniam pro agro; suscipe*

suscipe eam, et sic sepeliam mortuum meum in agro. 14. *Responditque Ephron:* 15. *domine mi, audi me. Terra, quam postulas, quadringentos siclos argenti valet. Istud est pretium inter me, et te. Sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum.* Sicli valor quantus fuerit, iam ad capitis 20. v. 16. demonstratum est. 16. *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat audientibus filiis Heth quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae.* 17. *Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre tam ipse, quam spelunca, et omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum* 18. *Abrahae in possessionem videntibus filiis Heth, et cunctis, qui intrabant portam civitatis illius.* Id, quod hic modo positum est, agrum, atque speluncam hanc emisse Abrahamum ab Ephrone Hethaeo, etiam infra Geneseos duplici adhuc loco repetitur, atque memoratur, videlicet: capitis 25. versu 9. et capitis 49. versu 30. At vero Actorum capitis 7. v. 15. ubi S. Stephanus primus Martyr verba facit, sic est: „Descendit Ja„cob in Aegyptum, et defunctus est ipse, et pa„tres nostri, et translati sunt in Sichem, et positi „sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio ar„genti a filiis Hemor filii Sichem." Vario modo se Interpretes torquent, ut nodum istum, et contradictionem dissolvant. Melchior Canus de Locis Theol. l. 2. c. 18. rursus vult Stephanum vacillasse memoria, quemque iste errorem memoriae com-

miserit; hunc sic, ut erat, a Luca, cum librum illum scriberet, esse descriptum, nec in eo adversus veritatem Lucam quidquam fecisse, cuius, cum scribebat historiam, officium esset rem sic ponere, ut erat a Stephano acta, et pronunciata. At etiam S. Stephano, cum Apostolicus vir fuerit, atque tum in concilio Judaeorum fidei causam publice egerit, quibus talibus a Christo promissum est: „Nolite cogitare, quomodo, aut „quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, „quid loquamini. Non enim vos estis, qui loqui- „mini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in „vobis" Matth. 10. v. 19. errorem qualemcunque, et offensionem tribuere insolens alii putant esse et minime erga talem virum ferendum. Quamobrem ad aliud malunt praesidium confugere: fuisse Ephronem hunc, a quo speluncam hanc pro sepulchro Abraham emit, binomium, atque alterum illius nomen esse a Moyse isthic in Genesi, alterum a Stephano in Apostolorum Actis expressum. Praeterquam autem, quod pure arbitrarium sit duplex hoc nomen Ephroni affingere, quoniam ibi in Apostolorum Actis a filiis Hemor, filio Sichem, dicitur Abraham emisse hunc agrum, quaeque eadem nomina sint cum iis, a quibus postea Jacob agrum emit Genesis. 33. v. 19. cum reversus esset ex Mesopotamia; ista nominum adcurata convenientia non svadet, quod etiamsi Ephron duo nomina diversa habuisset; recte illa fuisse, quae gesserunt illi, a quibus postea Jacob agrum emit:

praesertim, cum haec in Hebron alia Ephronis familia, a qua Abraham agrum emit; illa in Sichem, a qua Jacob agrum comparavit, domus alia, et familia fuerit. Est ergo alia ratio dissolvendi hunc nodum, aut certe amputandi ineunda.

Video autem in eo loco apud Lucam, qui huic nostro praesenti contrarius est, mendum esse, quod ab antiquo aliquo, et inconsiderato librario est admissum. Qui, quod paulo ante illum locum, ubi de emptione agri est, mentio de Jacobo facta sit; aut in locum *Ephron filii Seor* hoc, quod ibi nunc est: *Hemor filium Sichem*; vel vero, cum ibi esset Jacob, qui hunc agrum emerit ab Hemor, in Jacobi locum Abrahamum substituerit sive casu, et utrius agri, quem Abraham ab Ephron, et quem Jacob ab Hemor emit, confusione; aut vero huius, qui ab Jacobo emptus est, ignoratione: quique cum legeret ab Jacobo emptum agrum pro Jacobo deinde Abrahamum posuerit, volens, id quod ei videbatur esse mendosum, corrigere. Ac non Abrahamum, sed Jacobum ibi fuisse a Luca scriptum, illud svadet, quod cum in illa oratione, quam ibi Lucas a Stephano habitam dicit ad Judaeos, praemissum esset Jacobum, et totam illius cognationem, domum videlicet illius, atque familiam esse accersitam, et venisse in Aegyptum, ac deinde hoc esset dictum: *Defunctus est ipse, et patres nostri* Jacob videlicet, et duodecim illius filii, quos Patres suos Stephanus adpellat, quia isti duodecim tribuum erant capita, et principes; sic postea per-

gat in sua eadem oratione: *Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro* quod emit Abraham pretio *argenti a filiis Hemor, filii Sichem.* Atqui non Abraham, sed Jacob agrum emit in Sichem; deinde Josephi, qui unus etiam ex illis duodecim patribus fuerit, ossa lata ab Israelitis sunt ex Aegypto et portata in Sichem, collocataque, et sepulta in agro, qui erat ab Jacobo emptus, ut hoc est Josue 24. v. 32. Ergo isto loco non debet Abraham, sed Jacob esse utpote quem constat agrum illum emisse, ubi sepultus est Joseph unus ex illis duodecim patribus. Et licet Josue, ubi de Joseph ossibus transportatis mentionem facit, non meminerit praeter Joseph ossa, aliorum etiam patrum, atque tribuum principum translata esse tum ossa; tamen, quoniam ibi in Apostolorum actis Stephanus, et post eum Lucas pronunciat omnium illorum patrum esse ex Aegypto in Sichem allata, ibique in agro sepulta ossa; intelligitur ex eiusdem Stephani, et Lucae testimonio non solius Joseph, sed fratrum etiam illius esse tum ossa perlata ex Aegypto in Sichem.

Nec vero difficile est perspicere, quomodo ab imprudente librario fieri ille error potuerit. Qui, cum apud Lucam in Apostolorum actis legeret ab Jacobo sepulchrum esse emptum, nec vero in Genesi, ubi emptio illa de Jacobo narratur cap. 33. v. 19. aliud dicatur, quam partem agri ab Jacobo esse emptam; in memoria autem haberet ab Abrahamo sepulchrum pro Sara esse emptum, hinc

quasi errorem correcturus ab alio librario commissum Abrahamum pro Jacobo eo in loco scripserit. Jacob autem licet agrum illum non pro sepulchro emerit; quia tamen Josephi, et patriarcharum ossa ibi postea humata sunt; Stephanus illum sepulchri nomine adpellavit. Ab uno autem etiam librario, si is antiquior fuit, error admissus quomodo serpere, ac repere in omnia exemplaria, quae modo exstant, potuerit, quod Manuscriptorum antiquorum summa sit paucitas, atque ex paucissimis istis exemplaria omnia, quae nunc edita habentur, desumpta sint, iam ad Capitis 11. v. 12. ubi in Cainanis nomine inter Arphaxad et Sale interposito similis casus accidit, demonstratum est.

Est vero etiam illud adhuc hic cum Stephani eadem illa oratione disconveniens, quod hic Abrahamo dicatur ager ille in possessionem confirmatus fuisse; ibi vero Actorum 7. v. 5. sit, quod nihil acceperit in terra Chanaan ad possidendum. „Et „non dedit ei, inquit, haereditatem in ea (Deus) „nec passum pedis.“ Nimirum negat Stephanus Abrahamum quidquam accepisse vi illius promissionis, quam sibi habebat factam a Deo de possidenda Chananaea. Quod idem etiam S. Paulus non tantum de Abrahamo, verum etiam de Isaaco, et Jacobo affirmat defunctos esse prius, quam acciperent promissiones, quasque tantum a longe aspexerint. Hebr. 11. v. 13. Agrum autem, tam Abraham, quam Jacob pecunia sibi compararunt, non nomine haereditatis, quae ipsis a Deo erat promissa,

illum acceperunt. 19. *Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici:* Quidam Codices habent *agri duplicis*, ita ut epithetum hoc duplex cum agro, non cum spelunca concordet. Sed nostra Vulgata lectio confirmatur etiam versu superiore 8., ubi non ager duplex, sed duplex spelunca in agro, quem Abraham emit, fuisse dicitur: *quae respiciebat Mambre, haec est Hebron in terra Chanaan.* 20. *Et confirmatus est ager, et antrum, quod erat in eo, Abrahae in possessionem monumenti a filiis Heth.*

CAPVT XXIV.

Abraham iam senex mittit servum in Mesopotamiam ad petendam inde uxorem Isaaco filio: qui Rebeccam adducit Nachoris, fratris Abrahae neptem: qua in matrimonium accepta Isaaco lenitur dolor ex obitu matris conceptus.

1. *ERAT autem Abraham senex, dierumque multorum;* centum, et quadraginta aetatis annos tum habebat, nam Jsaacum centesimo aetatis anno susceperat filium, is vero modo, quando hoc actum est, uxoremque duxit, quadraginta fuit annorum, ut est subsequentis capitis v. 20. *et Dominus in cunctis benedixerat ei.* 2. *Dixitque ad servum seniorem domus suae, qui praeerat omnibus, quae habebat: pone manum tuam subter femur meum,*

3. *ut adiurem te per Dominum Deum caeli, et terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum, inter quos habito: 4. sed ad terram, et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac.* Quod illo ritu, positioneque manus sub femur Abrahae iussus sit illius servus iurare „Quid aliud demonstratum est, „ait S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 33. ni„si Dominum Deum caeli, et Dominum terrae in „carne, quae ex illo femore trahebatur, fuisse „venturum?" Eamdem causam ritus istius in iurando, quo Joseph quoque iuravit, Genesis 47. v. 19. cum ab eo iuramentum exegisset Jacob illius pater, etiam S. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum, et S. Ambrosius l. 1. de Abraham assignant patriarchas in iuramentis respexisse ad eam promissionem, quam habebant de prodituro ex se Messia, ad istiusque rei certitudinem sua exegisse iuramenta. Femur autem honestatis servandae causa in loquendo positum est pro membro genitali: qui modus alibi etiam tenet in Scriptura, ut Genes. 46. v. 26. cap. 49. v. 10. Exod. 1. v. 5. At Hebraeorum doctores, quos illi Rabbinos vocant, dicunt ritum istum inter iurandum esse observatum propter circumcisionem, et ponendo in talique iuramento manum sub alterius, quod circumcisum est, cuique iuramentum fit, femur adseverari in eo, tam fore hoc firmum, quod iuratur, quam firmum circumcisionis est pactum, quod ipsis a Deo est datum. Atque Tirinus, Menochius, pluresque alii testan-

tur solere etiam nunc Judaeos hac caerimonia inter se uti, ut is, qui iuramentum accipit, super illius, qui illud dat, manum sedeat.

5. *Respondit servus: si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?* 6. *Dixitque Abraham: cave, ne quando reducas filium meum illuc.* 7. *Dominus caeli, et terrae, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meae, qui locutus est mihi, et iuravit mihi dicens: semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo.* 8. *Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento. Filium meum tantum ne reducas illuc.* 9. *Posuit ergo servus manum sub femore Abraham, domini sui, et iuravit illi super sermone hoc.* 10. *Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor.* Haran proprio nomine haec civitas erat, ubi Nachor, postquam cum patre suo Thare, et Abrahamo fratre ex Ur Chaldaeorum excesserat, et Abraham patre ibi mortuo in Chananaeam erat ultra progressus, mansit: ut hoc iam supra ad capitis 11. v. 31. demonstratum est. 11. *Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquae vespere eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit:* 12. *Domine Deus domini mei Abraham occurre, obsecro, mihi hodie, et fac misericordiam*

cum domino meo Abraham. 13. *Ecce ego sto prope fontem aquae, et filiae habitatorum huius civitatis egredientur ad hauriendam aquam.* 14. *Igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam, ut bibam, et illa responderit: bibe, quin et camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam praeparasti servo tuo Isaac, et per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum domino meo Abraham.* Conditionum ista propositio, siquidem ex pia fiducia erga Deum processerit, non ex tentandi conatu, quod Deo contraria non fuerit, probavit eventus, confirmantque hanc servi huius agendi rationem plura istius generis exempla, ut Gedeonis Judicum 6. v. 36. et Jonathae 1. Reg. 14. v. 9. quando in difficili, et ancipiti negotio conditiones aliquas Deo proposuerunt, ex quibus successura ne essent illa ipsis, quae agere instituebant, omen, et signum quoddam caperent. „Vide autem, inquit ad hunc „locum hom. 48. S. Chrysostomus, servi pruden„tiam. Nam, quia noverat patriarchae hospitalita„tem, et quia imaginem inde ducendam par erat „iisdem esse praeditam moribus, quibus iustus es„set; nullam aliam coniecturam inquirit, sed cha„racterem virginalis animi ex hospitalitate colli„gere vult.“

15. *Necdum intra se verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel filii Melchae, uxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua,* 16. *puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro. Descen-*

derat autem ad fontem, et impleverat hydriam, ac revertebatur, 17. *Occurritque ei servus, et ait: pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua.* 18. *Quae respondit: bibe domine mi, celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum.* 19. *Cumque ille bibisset, adiecit: quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* 20. *Effundensque hydriam in canalibus recurrit ad puteum, ut hauriret aquam, et haustam omnibus camelis dedit.* 21. *Ipse autem contemplabatur eam tacitus scire volens, utrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.* 22. *Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, et armillas totidem pondo siclorum decem.* Siclorum quantitas, et esse earum unius pondus mediam unciam superius ad capitis 20. v. 16. demonstratum est: Aurei autem quinque Caesarei efficiunt mediam unciam. 23. *Dixitque ad eam: cuius es filia? indica mihi. Est in domo patris tui locus ad manendum?* 24. *Quae respondit: filia sum Bathuelis filii Melchae, quem peperit ipsi Nachor.* Quem scilicet Melcha peperit ipsi Nachori, qui frater fuit Abrahae, 25. *Et addidit dicens: palearum quoque, et foeni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum.* 26. *Inclinavit se homo, et adoravit Dominum,* 27. *dicens: benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam, et veritatem suam a Domino meo, et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.*

28. Cucurrit itaque puella, et nunciavit in domum
matris suae omnia, quae audierat. 29. Habebat
autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festi-
nus egressus est ad hominem, ubi erat fons. 30.
Cumque vidisset inaures, et armillas in manibus
sororis suae, et audisset cuncta verba referentis:
haec locutus est mihi homo; venit ad virum, qui
stabat iuxta camelos, et prope fontem aquae, 31.
dixitque ad eum: ingredere benedicte Domini, cur
foris stas? Praeparavi domum, et locum camelis
tuis. 32. Et introduxit eum in hospitium, ac de-
stravit camelos, deditque paleas, et foenum, et
aquam ad lavandos pedes eius, et virorum, qui ve-
nerant cum eo. 33. Et appositus est in conspectu
eius panis. Qui ait: non comedam, donec loquar
sermones meos. Respondit ei: loquere. 34. At il-
le, servus, inquit, Abraham sum. 35. Et Domi-
nus benedixit domino meo valde, magnificatusque
est, et dedit ei oves, et boves, argentum, et au-
rum, servos, et ancillas, camelos, es asinos. 36.
Et peperit Sara uxor domini mei filium domino
meo in senectute sua, deditque illi omnia, quae
habuerat. 37. Et adiuravit me dominus meus di-
cens: non accipies uxorem filio meo de filiabus
Chananaeorum, in quorum terra habito, 38. sed
ad domum patris mei perges, et de cognatione
mea accipies uxorem filio meo. 39. Ego vero re-
spondi domino meo, quid si noluerit venire mecum
mulier? 40. Dominus, ait, in cuius conspectu am-
bulo, mittet angelum suum tecum, et diriget viam

tuam, accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, et de domo patris mei. 41. *Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, et non dederint tibi.* 42. *Veni ego hodie ad fontem aquae, et dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo,* 43. *ecce sto iuxta fontem aquae, et virgo, quae egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me: da mihi pauxillum aquae ad bibendum ex hydria tua,* 44. *et dixerit mihi: et tu bibe, et camelis tuis hauriam; ipsa est mulier, quam praeparavit Dominus filio domini mei.* 45. *Dumque haec tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula, descenditque ad fontem, et hausit aquam, et aio ad eam: da mihi paululum bibere.* 46. *Quae festinans deposuit hydriam de humero, et dixit mihi: et tu bibe, et camelis tuis tribuam potum. Bibi, et adaquavi camelos,* 47. *interrogavique eam, et dixi: cuius es filia? Quae respondit: filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, et armillas posui in manibus eius.* Quod Latinus Interpres vertit: *inaures*, in Hebraeo est *Nesem* (נֶזֶם) nec hoc faciei fuisse tale ornamentum, quod ex auribus penderet, sed potius ex fronte supra nasum, ex aliis Scripturae locis deducitur. Ubi inter ornamenta, quibus ornarentur feminae, frontis, et nasi ornamenta memorantur, ut Proverb. 11. v. 22. „Circulus aureus in naribus suis

„mulier pulchra, et fatua" et Isaiae 3. 21. „In „die illa auferet Dominus ornamentum calceorum, „et lunulas - - - et annulos, et gemmas in fron„te pendentes." 48. *Pronusque adoravi Dominum benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio eius.* 49. *Quamobrem si facitis misericordiam, et veritatem cum domino meo, indicate mihi; sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vadam ad dextram, sive ad sinistram.*

50. *Responderuntque Laban, et Bathuel: a Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum.* 51. *En Rebecca coram te est: tolle eam, et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus.* 52. *Quod cum audisset puer Abraham, procidens in terram adoravit Dominum,* 53. *prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus dedit ea Rebeccae pro munere, fratribus quoque eius, et matri dona obtulit.* 54. *Inito convivio vescentes pariter, et bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane locutus est puer: dimitte me, ut vadam ad dominum meum.* 55. *Responderuntque fratres eius, et mater: maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur.* 56. *Nolite, ait, me retinere, quia Dominus* (Dei nomen est isthic in Hebraeo) *direxit viam meam: dimitte me, ut pergam ad dominum meum.* 57. *Et dixerunt: vocemus puellam, et quaeramus ipsius voluntatem.* 58. *Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: vis*

ire cum homine isto? Quae ait: vadam. 59. *Dimiserunt ergo eam, et nutricem illius Deboram, servumque Abraham, et comites eius,* 60. *imprecantes prospera sorori suae, atque dicentes: soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* 61. *Igitur Rebecca, et puellae illius adscensis camelis secutae sunt virum, qui festinus revertebatur ad dominum suum.*

62. *Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam, quae ducit ad puteum, cuius nomen est: viventis, et videntis.* Puteus idem ille est, quem sic Agar denominavit superius capitis 16. v. 13. non longe a Bersabea in extremis finibus Chananaeae versus Meridiem. Rursus igitur ex Hebron, ubi, ut superiore capite narratum est, mortua est Sara, et tumulata, eo rediit Abraham cum Isaac ad habitandum: ut hoc declarat subsequens etiam oratio: *habitabat enim in terra Australi:* 63. *et egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die.* Cum meditatio de variis rebus institui possit, quid reipsa, et qua de re meditatus sit, quoniam Scriptura non exponit, ideo affirmari nihil etiam de ea certi potest. Chaldaeus ad contemplationem siderum eam meditationem refert, Septvaginta verbo usi sunt ἀδολεσχῆσαι, quod et meditari, et Deum laudare, et conferre, etiam, atque confabulari significat. Etiam Aquila hoc accepit de pia agitatione mentis, et collocutione cum Deo.

Cumque elevasset oculos, vidit camelos venientes procul. 64. Rebecca quoque conspecto Isaac descendit de camelo, 65. et ait ad puerum: quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? dixitque ei: ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum operuit se. Graeci Interpretes pro hoc pallio vocabulum θέριστρον posuerunt, quod proprie velum est ad oculos atque faciem adversus solem. At S. Hieronymus morem magis expressit feminarum. Docet enim in Quaestionibus Hebraicis, et in Caput tertium Isaiae vestimenti quodam genere, quasi pallio, usas esse feminas in Arabia, orientalibusque regionibus, quo tam caput, quam reliquum totum corpus involverent. Est in Oriente etiam nunc ille mos, ut feminae nisi tectae, et velatae aliter in publicum non prodeant. *66. Servus autem cuncta, quae gesserat, narravit domino suo Isaac. 67. Qui introduxit eam in tabernaculum Sarae matris suae, et accepit eam uxorem, et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.*

CAPVT XXV.

Abraham Ceturam ducit aliam uxorem, pluresque ex ea suscipit filios: deinde moritur. Ismaelis duodecim filii recensentur. Isaac pro sterili, et infoecunda uxore deprecatus Deum suscipit ex ea duos gemellos Esau, et Jacob. Quorum prior alteri, postquam adolevissent, vendit primogenita.

1. *Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam.* Hanc etiam tantum talem fuisse illius uxorem, qualis fuit Agar, et fortasse una de ancillis ipsius, inde coniicitur, quod infra v. 6. concubinae tantum etiam nomine, prout illa, compelletur, nec filii, quos ex illa suscepit, eodem haereditatis iure gavisi sint, quo Isaac, qui susceptus erat ex Sara, sed in eadem consideratione habiti sint ab Abraham, in qua habuit Ismaelem: cui nullum ad haereditatem ius reliquerat. 2. *Quae peperit ei Zamran, et Jescan, et Madan, et Madian, et Jesboc, et Sue.* 3. *Jescan quoque genuit Saba, et Dadan. Filii Dadan fuerunt Assurim, et Latusim, et Loomim.* 4. *At vero ex Madian ortus est Epha, et Opher, et Henoch, et Abida, et Eldaa: Omnes hi filii Ceturae.* 5. *Deditque Abraham cuncta, quae possederat, Isaac.* 6. *Filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret,*

ret, ad plagam Orientalem. 7. Fuerunt autem dies vitae Abrahae centum septvaginta quinque anni. Non servatur hic ordo narrationis. Nam nativitas Esau, et Jacob, quae adhuc postea narratur, quindecim annis prius accidit, quam moreretur Abraham. Nam centesimo aetatis suae anno Abraham suscepit Isaacum; Isaac autem sexaginta annos fuit natus, quando nati sunt Esau, et Jacob, ut est infra huius capitis v. 26. Ex quo consequens est, siquidem Abraham mortuus est centesimo septvagesimo quinto aetatis anno, Esavum et Jacobum iam tum habuisse aetatis annos quindecim.

8. *Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectaeque aetatis, et plenus dierum, congregatusque est ad populum suum.* Quandoquidem congregari, vel apponi ad populum suum contrarium illi est, quod positum est supra capitis 17. versu 14. deleri de populo suo, quodque ibi positum est de infante, si circumcisus non sit; atque hoc: deleri de populo suo, significet excludi ab illa sorte, quae Dei populo promissa est, ut ibi demonstratum est; sequitur congregari ad populum suum idem significare, quod poni in numero eorum, qui in altero seculo Dei populus futuri sunt. Quamobrem Lucas Brugensis docte animadvertit id, quod modo in Novo Testamento sic de Justis, quando moriuntur, solet in Sacris Literis dici: obdormivisse illos in Domino, transivisse ad Dominum, intrare in gaudium Domini, similibusque pluribus loquendi formis; idem hoc aequivalentibus verbis

dici in Veteri Testamento consvevisse; appositos esse ad populum, vel ad patres suos, erga Justos, qui tum vixerunt, et quando beatam mortem obiverunt. Ac de Justis, qui mortui sunt, postea, quam iam venit Christus, caelumque reclusit, quod peccato primi hominis erat clausum, dicitur, transivisse illos ad Dominum, intravisseque ad gaudium sui Domini; antiquioribus autem Justis, qui ante adventum Christi mortui sunt, hoc nondum sic fuerat dictum: quia nondum tum caelum patebat ipsis. Sed illi ex mundo sensim tantum congregabantur ad unum certum locum; ubi sub testamento aeternae vitae effecti, ut verbis utar Scripturae, 2. Mach. 7. v. 36. ingressum ad caelum praestolabantur. Sed quoniam nonnunquam etiam de infidelibus mortuis dicitur esse illos appositos ad patres suos, ut hoc est Danielis 13. v. 65. de Astyage, Medorum rege; circumspectio illa hic adhibenda est; ut videatur, illius, qui sic, et tali verborum forma mortuus dicitur, quales patres, et maiores fuerint, fidelesne, vel infideles, atque illene, dum vixit, membrum, atque unus de populo fuerit, qui Deum religiose coluerit; ut cum hinc excesserit, ad eosque, qui mortui ante eum sunt, pervenerit; illene, qui ibi Dei populus est, ipsius quoque populus, atque ipse unus de illo populo sit. Nam, si ille extra illam communionem fuit, quam etiam nunc in symbolo Apostolorum profitemur, quaque Sanctorum communione etiam dum adhuc isthic vivimus, cum illis iustis, et sanctis ad eum-

dem Dei populi coetum, et Ecclesiam nectimur, et colligamur; etiam mortuus cum venerit ad suum populum, non iste Dei in vera illius Ecclesia erit populus, sed infidelis, et alienus a Deo. 9. *Et sepelierunt eum Isaac, et Ismael filii sui in spelunca duplici, quae sita est in agro Ephron, filii Seor Hethaei e regione Mambre,* 10. *quem emerat a filiis Heth. Ibi sepultus est ipse, et Sara uxor eius.* 11. *Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viventis, et Videntis.*

12. *Hae sunt generationes Ismael filii Abrahae, quem peperit ei Agar Aegyptia, famula Sarae.* 13. *et haec nomina filiorum eius in vocabulis, et generationibus suis: primogenitus Ismaelis Nabajoth, deinde Cedar, et Adbeel, et Mabsam,* 14. *Masma quoque, et Duma, et Massa,* 15. *Hadar, et Thema, et Jethur, et Naphis, et Cedma.* 16. *Isti sunt filii Ismaelis, et haec nomina per castella, et oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum.* 17. *Et facti sunt anni vitae Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, et appositus est ad populum suum.* Cum Ismael propter circumcisionem, quod signaculum iustitiae Paulus adpellat ad Rom. 4. v. 11. ad illum populum pertinuerit, qui Dei cultor erat, atque ex Abrahami stirpe fuerit, cuius posteros sibi Deus pro suo populo elegit Genesis 17. v. 7. idcirco ex eo, quod superius ad versum huius capitis 8. demonstratum est, inferre licet Ismaelis his verbis, quibus appositus di-

citur ad populum suum; beatam, et talem, qualis iustorum est, significatam esse mortem.

18. *Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quae respicit Aegyptum introeuntibus Assirios.* Hevila a filio Chus nomine Hevila Genesis 10. v. 7. sic dicta regio est, fuitque sita ad sinum Persicum, ubi Euphrates, et Tigris fluvii in illum influunt. Sur autem desertum est ad Septemtrionalem partem maris Rubri. Sur itaque respicit Aegyptum, atque huc cadit ei, qui sursum versus, hoc est, versus Septemtrionem, et Assyriam, iter teneret. *Coram omnibus fratribus suis obiit.* Hebraice: *Super faciem omnium suorum fratrum cecidit.* (עַל־פְּנֵי כָל־אֶחָיו נָפָל) Quod Septvaginta Graece verterunt: *Ad faciem omnium fratrum suorum habitavit:* κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ κατῴκησε. De habitatione etiam Syrus, Arabs, et ipse Paraphrastes Chaldaeus hoc idem intellexit, et interpretatus est: beneque consonat hoc etiam cum illo, quod ab Angelo de Ismaele Agari praenunciatum est: „E regione universorum fratrum „suorum figet tabernacula" Supra cap. 16. v. 12. Fratres vero ipsius non tantum Isaac, verum etiam reliqui Abrahae filii sunt ex Cetura prognati.

19. *Hae quoque sunt generationes Isaac filii Abraham: Abraham genuit Isaac.* 20. *Qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia sororem Laban.* 21. *Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exau-*

divit eum, et dedit conceptum Rebeccae. 22. *Sed collidebantur in utero eius parvuli. Quae ait: si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque Rebecca, ut consuleret Dominum.* Variae hic sunt multorum opiniones, quo Rebecca perrexerit, quaque ratione consuluerit Dominum. Quidam eam ad Melchisedechum, alii ad Abrahamum, alii ad montem Moriam, et eumdem illum locum, ubi immolandus erat Isaac, alii ad domesticum sacellum, alii alio profectam esse volunt. Merae hae tantum ad proprium ingenium omnes inventiones sunt. Quid vero planius est, quam dicere Rebeccam in illo infantium in utero suo conflictu, qui non casu factus erat, sed ut mox dicetur, totus ad rem futuram significandam pertinebat, atque in illo uteri sui dolore perrexisse, hoc est: recurrisse, atque suis precibus confugisse ad Deum? Hoc autem, quod Latinus Interpres verbum posuit: *consuleret*, Hebraice est *darasch* (דָּרַשׁ) significatque quaerere, ut hoc: quaerere Dominum non de interrogatione, et oraculi postulatione, verum de ope, et levamine, quod a Deo quaesiverit, intelligi etiam possit.

23. *Qui respondens ait:* Hebraice: *Et dixit Dominus ei* (וַיֹּאמֶר יְהוָֹה לָהּ) *duae gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et maior serviet minori.* Etsi haec praedictio ad duas nationes pertinuerit Israelitas, et Idumaeos, qui alteri ab Esau orti, qui prior ex materno utero prodierat, maior-

que natu erat, Israelitis ex iuniore Esavi fratre prognatis sub Davide subiecti fuerunt, 2. Reg. 8. v. 14. tamen hoc idem simul sublimiore sensu ad Ecclesiam novi foederis pertinet, quae antelata sit Synagogae, veluti seniori sorori suae. Et licet ab ea gravissime esset oppugnata, dum, ut in Apostolorum Actis legitur, vi omni, et studio Judaei novellam Christi Ecclesiam opprimere conati sunt; tamen non tantum superior evaserit; verum etiam administrandi, more ancillae, servile officium redacta sit: quando non solum omnibus rerum futurarum suis umbris, sed etiam isto, in quo nunc est abiectionis suae statu inservit demonstrationi Evangelii. Atque ad Ecclesiam, novique Testamenti fideles pertinere hoc tam vaticinium, quam istum de Esau, et Jacobo typum intelligitur etiam ex Paulo ad Romanos 9. v. 13. ubi hoc eodem testimonio: *Maior serviet minori* utitur, ut inde doceat Israelitas secundum carnem esse abiiciendos, licet antiquiores sint, in istorumque locum successuros novos filios Abrahae, quos illi Deus vi promissionis suae, non per carnalem propagationem daturus sit.

24. *Jam tempus pariendi advenerat, et ecce gemini in utero eius reperti sunt.* 25. *Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus*, hoc est, ut Hebraicum magis exprimatur, *instar vestis villosae hirsutus:* (כְּאַדֶּרֶת שֵׂעָר) *vocatumque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, et idcir-*

co adpellavit eum Jacob. Nam Jacob supplantatorem, Esau vero facientem, vel operantem significat. 26. *Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei parvuli.* 27. *Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola; Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Vir simplex Hebraice est: *Isch tam* (אִישׁ תָּם) quod sincerum, incorruptum, et doli expertem significat. 28. *Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur; et Rebecca diligebat Jacob.* 29. *Coxit autem Jacob pulmentum, ad quem cum venisset Esau de agro lassus,* 30. *ait: da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom.* In Hebraeo maior est vis in hac oratione ad exprimendum edendi illius ardorem, et cupiditatem. Sic enim est: *Da mihi glutiendum rufum, rufum istud:* (הַלְעִיטֵנִי נָא מִן־הָאָדֹם הָאָדֹם הַזֶּה) Et quia magno admodum edendi studio hoc vocabulum: rufum, petendo repetierat, hoc idem ipsi Rufi cognomen adhaesit, Hebraice Edom. Pulmentum hoc fuisse ex lentibus infra v. 34. dicitur.

31. *Cui dixit Jacob: vende mihi primogenita tua.* 32. *Ille respondit: en morior, quid mihi proderunt primogenita?* Prorsus non videtur credibile, aut ipsum iam tanta esurie fuisse confectum, aut alios cibos non suppetivisse ipsi in tam copiosa, et locuplete domo, qualis erat Isaaci, qui tantas facultates accepit per haereditatem: sed mera haec erat tantum aviditas, et immoderata adpeten-

tia recte illum cibum habendi, quo se tum recreabat Jacob. 33. *Ait Jacob: iura ergo mihi. Juravit ei Esau, et vendidit primogenita.* 34. *Et sic accepto pane, et lentis edulio comedit, et bibit, et abiit parvipendens, quod primogenita vendidisset.* Erant primogeniti, olim praesertim, praerogativae, et magna iura. Nam non solum maior illius erat auctoritas inter reliquos fratres; verum etiam ex paterna haereditate duplum accipiebat. Censent etiam quidam ius sacerdotii in familia ad illum spectavisse, illique proprium fuisse. Sed hoc refellitur exemplo Caini, et Abelis, quorum uterque legitur sacrificasse, atque adeo munus sacerdotis exercuisse. Quoad priora vero illa iura Ruben cum esset primogenitus Jacobi ideo, quod stratum sui parentis commaculaverit, dormiens cum illius ancilla uxore, utroque illo privatus est, et pars dupla ex haereditate in Josephum; auctoritas vero, et eminentia inter fratres in Judam translata a patre est Genesis cap. 49.

CAPVT XXVI.

Isaac Geraram in terram Palaestinorum se confert. Deus illi adparet, et ei confirmat promissiones Abrahae factas. Reprehenditur ab Abimelech Gerarorum rege, quod Rebeccam simulavisset suam tantum esse sororem. Propter puteos iurgantur inter se pastores Isaaci, et Abimelech. Redit Bersabeam, ubi cum eo foedus init Abimelech. Esau duas sibi copulat uxores Hethaeas, eaque re offendit Rebeccam, et Isaac parentes.

1. *ORTA autem fame super terram post eam sterilitatem, quae acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palaestinorum in Gerara.* Hoc, quoniam post obitum Abrahae iam gestum est, et Abraham apud Abimelech in Geraris fuit paulo ante, quam Isaacum suscepisset filium; iste vero ei natus sit anno aetatis illius centesimo Gen. cap. 20. et 21. Abrahamque vivendo aetatis annum attigerit septvagesimum quintum supra centesimum; Gen. 25. v. 7. consequitur ab eo tempore, quo Abraham in Geraris apud Abimelechum fuit, intercessisse septvaginta quinque annos, et parum aliquid supra: quod, quae fames consecuta sterilitatem est, quaeque vivente adhuc Abrahamo fuit, nunc fuisse dicatur, quando hanc peregrinationem Isaac ad Abimelech instituit, nec proinde procul tempore seiuncta fuerit haec Isaaci peregrinatio ab obitu Abrahae. Quae observatio hic pro-

pterea fit, quod, etsi tale temporis spatium inter peregrinationem Abrahae et eam, quam modo Isaac fecit ad Abimelech Gerarorum regem, intercesserit; tamen hoc tantum non sit, ut idem iste Abimelech esse non potuerit; apud quem tam Abraham, quam Isaac peregre fuit. Atque eumdem fuisse svadet illud quoque, quod Phicolis etiam nomen, Abimelechi militiae ducis isto capite redeat. Qui etiam cum Abimelecho fuit, quando ad illum venit Abraham. 2. *Apparuit ei Dominus, et ait: ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi.* Nempe ex hoc intelligitur eo consilio Geraram ivisse Isaacum, ut inde ulterius adhuc proficiscatur in Aegyptum. 3. *Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi. Tibi enim, et semini tuo dabo universas regiones has complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo.* 4. *Et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, daboque posteris tuis universas regiones has, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* 5. *Eo quod obedierit Abraham voci meae, et custodierit praecepta, et mandata mea, et caerimonias, legesque servaverit.* Pro caerimoniis in Hebraeo sunt *statuta.* (חֻקּוֹתָי)

Ex hoc vero, quod Deus haec, quae modo dicta sunt, ideo se dicat praestare, quod Abraham illi obediverit, consequentia est Abrahami obedientiam ad merendum sibi aliquid a Deo vim habuisse. Non enim recte dici posset ista ideo illi esse praestita, quod obedierit; si non cur acceperit,

causam ipse per obedientiam praebuisset. Cum vero aliquid a quoquam erga alterum fit, propter quod iste movetur ad vicissim aliquid praestandum illi alteri; hoc credo apud omnes, et iudicio omnium significat sibi demereri alterum. Ergo quoniam Deus pronunciat se ideo praestare illa Abrahae, quod ipsius voci obedierit; consequens est, quod Abrahamus Deum hac sua erga illum obedientia sibi demeruerit, haecque illius obedientia merendi vim apud Deum habuerit. Quonam pacto igitur illi, qui se tam politos, ac limatos ad Scripturam haberi volunt, in Helvetica, et Augustana sua Confessione hanc merendi facultatem a Deo piis, et iustis hominibus negant? Ipsi praeterea soli fidei, conceptaeque erga Deum fiduciae totum tribuunt. Atqui hic obedientiae, et mandatorum etiam observantiae favor iste adscribitur, quem Deus se praestare dicit Abrahamo? Deinde propter Abraham declarat Deus se erga Isaac etiam esse bene affectum. Ergo etiam valuit Abrahami obedientia non tantum ad impetrandum aliquid sibi, verum etiam alteri a Deo. Haec vero omnia illi, quando suam reformationem fecerunt, et religioni apud se novam formam, quasi secundum Scripturam, indiderunt, ab Religione abraserunt, atque contraria sibi dogmata constituerunt.

6. *Mansit itaque Isaac in Geraris.* 7. *Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua respondit: soror mea est. Timuerat enim confiteri, quod sibi esset sociata coniugio, reputans, ne forte interficerent eum propter illius pulchritu-*

dinem. 8. *Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palaestinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca uxore sua.* Pro vocabulo *iocantem*, in Hebraeo est: *ridentem* (מְצַחֵק) utroque vero vocabulo significatur familiarior illa agendi, conversandique ratio, quae solet esse inter coniuges. 9. *Et accersito eo ait: perspicuum est; quod uxor tua sit. Cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit: timui, ne morerer propter eam.* 10. *Dixitque Abimelech: quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos grande peccatum: praecepitque omni populo dicens:* 11. *qui tetigerit hominis huius uxorem, morte morietur.*

12. *Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus.* 13. *Et locupletatus est homo, et ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* 14. *Habuit quoque possessiones ovium, et armentorum, et familiae plurimum. Ob hoc invidentes ei Palaestini,* 15. *omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo,* 16. *in tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac: recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* 17. *Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Gerarae, habitaretque ibi,* pro torrente est in Hebraeo *Nachal* (נַחַל) quod vallem significat, quomodo hoc etiam Septvaginta voce φάραγγος ver-

terunt, quae itidem profundum aliquem locum significat: et si torrens ibi fuisset, quid necesse fuisset tot puteos ibi fodere? Adhuc vero non penitus Isaacum modo ex Palaestinorum fundis excessisse, declarat, quod et vallis haec ab illorum civitate Gerara denominata sit, et quod postea adhuc dissidium cum pastoribus Geraritanis habuerit: 18. *rursus fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos illo mortuo olim obstruxerant Philisthiim:* eosdem esse Palaestinos, et Philisthiim iam superius ad capitis 21. v. 32. demonstratum est, *appellavitque eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat.* 19. *Foderuntque in torrente* in valle, ut iam demonstratum est, *et repererunt aquam vivam*; id est: aquam, cuius scaturigines non facile deficerent, et emorerentur. Isaiae 33. v. 16. *fideles* istiusmodi aquae adpellantur. Puteorum, unde potabiles aquae suppeterent, eo maius erat in Geraritana regione pretium, quod teste Strabone l. 16. multum salinis abundet, atque rarius fodiendo ad dulces aquas perveniatur.

20. *Sed et ibi iurgium fuit pastorum Gerarae adversus pastores Isaac dicentium: nostra est aqua. Quamobrem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocavit calumniam.* 21. *Foderunt autem et alium, et pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum inimicitias.* 22. *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt. Itaque vocavit nomen eius Latitudo dicens: nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere super terram.* 23.

Ascendit autem Isaac ex illo loco in Bersabee, de hoc loco, et cur sic denominatus sit, fuit iam superius capitis 21. v. 31. 24. *Ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte dicens: ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham.* 25. *Itaque aedificavit ibi altare, et invocato nomine Domini extendit tabernaculum, praecepitque servis suis, ut foderent puteum.* 26. *Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, et Ochozath amicus illius, et Phicol dux militum,* 27. *locutus est eis Isaac: quid venistis ad me, hominem, quem odistis, et expulistis a vobis?* 28. *Qui responderunt: vidimus tecum esse Dominum, et idcirco nos diximus: sit iuramentum inter nos, et ineamus foedus,* 29. *ut non facias nobis quidquam mali, sicut et nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te laederet; sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.* 30. *Fecit ergo eis convivium, et post cibum, et potum* 31. *surgentes mane iuraverunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum.* 32. *Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac annunciantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: invenimus aquam.* 33. *Unde appellavit eum abundantiam, et nomen urbi impositum est Bersabee usque in praesentem diem.* Supra capitis 21. v. 31. dictum est ab Abrahamo nomen hoc illius loci puteo esse impositum; idque propter iuramentum, quod foedus inter se facien-

do Abraham, et Abimelech sibi dederunt. Eadem autem vox Hebraea *Schaeba*, quae iuramentum, si modo loco *Schin* positum sit *Sin* etiam saturitatem significat. Qua de re sic pronunciat S. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis: „Hoc significat, inquit, quia invenirent aquam, et propterea „adpellatus sit puteus ipse *Saturitas*, et vocata „civitas Bersabee, hoc est *puteus saturitatis*. Li„cet enim supra ex verbo iuramenti, sive ex septe„nario ovium numero, quod *Sabee* dicitur, asse„ruerimus Bersabee adpellatam; tamen nunc ex „eo, quod aqua inventa est; Isaac ad nomen ci„vitatis, quae ita vocabatur alludens, declinavit „paululum literam." 34. *Esau vero quadragenarius duxit uxores duas: Judith filiam Beeri Hethaei, et Basemath filiam Elon eiusdem loci.* 35. *Quae ambae offenderunt animum Isaac et Rebeccae.*

CAPVT XXVII.

Jacob svasu matris Rebeccae fratri suo Esau praeripit benedictionem paternam. Cui ob eam rem necem minatur Esau.

1. *SENVIT autem Isaac, et caligaverunt oculi eius, et videre non poterat.* Centum triginta annos natus erat tum Isaac. Hocque ex eo deducitur, quod modo accepta benedictione a patre, cum se in Mesopotamiam ad Laban avunculum suum contulisset,

ibique quatuordecim annis fuisset; susceperit Joseph. Nam tunc, ut domum rediret ad suos parentes, dimitti a Labano petiit. Gen. 30. v. 25. Non autem hoc postulare prius poterat, quam quatuordecim annos exsolvisset; quibus ad serviendum erat obstrictus Labano pro duabus ipsius filiabus Lia, et Rachele, quas duxit uxores. Gen. 29. v. 27. Erat vero tum Jacob annos natus nonaginta, et unum. Quod inde rursus efficitur, quod Jacob, cum profectus fuisset in Aegyptum ad filium suum Joseph, centum triginta annos aetatis habuerit Gen. 47. v. 9. quo eodem tempore Joseph annos habuit triginta novem, siquidem trigesimo aetatis anno factus sit prorex Aegypti, post septem autem fertilitatis, et duos sterilitatis, atque famis quae tum erat, Jacob ad eum in Aegyptum venerit. Gen. 30. 46. Gen. 45. 6. Hi ergo triginta novem anni Joseph, si subtrahantur ab annis Jacobi centum triginta, relinquunt summam annorum, nonaginta et unius, quos habuit Jacob, quando ei natus fuit Joseph. A qua summa annorum nonaginta et uno, si quatuordecim anni subducantur, quibus Jacob fuit in Mesopotamia, antequam suscepisset Josephum; remanent anni septvaginta septem, quos habuit Jacob, quando accepta benedictione a suo patre iter suscepit in Mesopotamiam. Est vero Jacob natus anno Isaac patris sexagesimo. Gen. 25. v. 26. Quare septvaginta septem anni, quos vixit Isaac ad profectionem usque Jacobi in Mesopotamiam ad annos additi sexaginta, quibus vixit, antequam natus

natus esset Jacob; numerum annorum efficiunt centum triginta septem, quos modo iam habuit, quando benedixit Jacobo. Isaac autem deinde longius adhuc aetatem produxit ad annum usque centesimum, et octogesimum. Gen. 35. v. 28.

Vocavitque Esau filium suum maiorem, et dixit ei: fili mi. Qui respondit: adsum. 2. Cui pater: vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meae. 3. Sume arma tua, pharetram, et arcum, et egredere foras. Cumque venatu aliquid adprehenderis, 4. fac mihi inde pulmentum. Sic adpellatur, quidquid instar pultis concoctum est, etiamsi caro sit. Quamobrem etiam de piscibus, illosne ceperint, Christus discipulos interrogavit: „Numquid pulmentarium, inquit, habetis? „responderunt ei: non. Dicit eis: mittite in dex„teram navigii rete, et invenietis:“ *Sicut velle me nosti, et affer, ut comedam, et benedicat tibi anima mea, antequam moriar. 5. Quod cum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum, ut iussionem patris impleret, 6. dixit filio suo Jacob: audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, et dicentem ei: 7. affer mihi de venatione tua, et fac cibos, ut comedam, et benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. 8. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis, 9. et pergens ad gregem affer mihi duos haedos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur. 10. Quas cum intuleris, et comederit, benedicat tibi, priusquam moriatur. 11. Cui ille re-*

spondit: nosti, quod Esau frater meus homo pilosus sit, et ego lenis; 12. si attrectaverit me pater meus, et senserit, timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione. 13. Ad quem mater: in me sit, ait, ista maledictio, fili mi, tantum audi vocem meam, et pergens affer, quae dixi.

14. *Abiit, et attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius, 15. et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, 16. pelliculasque haedorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit*, id est: collum nudum similiter hirsuta pelle contexit. 17. *Deditque pulmentum, et panes, quos coxerat, tradidit. 18. Quibus illatis dixit: pater mi. At ille respondit: audio. Quis es tu fili mi? 19. Dixitque Jacob: ego sum primogenitus tuus Esau: feci, sicut praecepisti mihi. Surge, sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.* Res tota, ut facile est advertere, sic erat composita, ut transvestiendo, contegendoque se pellibus, atque dicendo se non tantum primogenitum, sed etiam nominatim ipsum Esau, vulgaresque, ac domesticas carnes pro ferina subtrudendo, efficeret Jacob, ut a patre crederetur esse Esau. Et cum semel, atque iterum studiose pater eum interrogasset, ipsene esset Esau; atque ille se hunc dixisset esse, etiamsi hoc illi patrocinari posset, quod primogenitus fuerit, cui ius hoc Esau vendiderit; tamen non secundum mentem quae-

rentis Isaac respondit; qui non, an primogenitus esset, quaesivit, sed tantum, an Esau. *Tu es*, inquit, *filius meus Esau?* Huc vero cum respondisset: *Ego sum*, nonne alium se esse dixit, quam fuerit?

S. Augustinus tamen in libro contra Mendacium cap. 10. hoc Jacobi factum purgare nititur a mendacio. „Si diligenter, inquit, et fideliter attenda-„tur, non est mendacium, sed mysterium: quae si „mendacia dixerimus, omnes etiam parabolae, „ac figurae significandarum quarumcunque rerum „dicentur mendacia.“ Etiam S. Gregorius M. Hom. 6. in Ezech. factum hoc a mendacio fuisse immune censuit. Erat S. Augustini propositum propter Manichaeos, qui Vetus Testamentum accusabant, a sanctis hominibus, qui in illo vixerunt, labem, ubi posset, removere. At idem libro 3. de Doctrina Christ. c. 33. si quando hoc minus adversus manifestam culpam procederet, quomodo hoc illi evenit in Lothi inebriatione, duabusque eius filiabus incestum cum eodem Loth patre committentibus, monet tali casu „Figuram ad intel-„ligentiam esse referendam, factum vero ipsum „ad mores non transferendum.“ Tametsi ergo hic in tota hac actione, ut S. Augustinus in libro contra Mendacium observat subtilius aliquid, atque ipse Christus peccatis nostris, tanquam haedinis pellibus, contectus intelligeretur, cuius Ecclesia, aetate minor, Synagogae seniori suae sorori in benedictione antelata sit; tamen quoniam semper ty-

pus pro fundamento habere debet rem aliquam in naturali sua forma gestam; idem hoc quoque de facto isto Jacobi venit existimandum. Nec vero satis convenienter videntur res typicae cum ironia, atque translatis locutionibus comparari posse. Nam in istius generis locutionibus semper una solum modo res est, eaque tantum aliis verborum coloribus aliunde transsumptis quodam veluti alieno velamine contecta: per quod tamen acutius intuenti facile ipsa res, quae sic tegitur, perlucere possit: nec sive ironia, sive alia translata locutio plura ad significandum, et diversa obiecta habet. At vero typus, et antitypus res sunt semper diversae, et plerumque, qui typicam personam in quadam actione egit, ipse non advertit, nec sensit, quae inde alia res praefiguraretur. Verbi gratia: cogitavitne Isaac, quando ipse sibi ligna ad suam immolationem portavit, in araque constitit, quod ipse adumbret hac sua actione in cruce morientem, aut Jonas, dum illum piscis ex ventre vivum reddidit, a morte resurgentem Christum? Ac tanto minus dubio aliquis locus relinquitur, fuisse in illa Jacobi actione, dum fratri suo Esau benedictionem surripuit, versutiam, atque fictionem, quod hoc ipse etiam Jsaac recognoverit, admissamque fuisse fraudem pronunciaverit. Qui deinde, cum supervenisset Esau, resque patefacta esset; sic ad Esau dixerit: *Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam.* Infra v. 35.

20. *Rursumque Isaac ad filium suum, quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti fili mi? Qui respondit: voluntas Dei fuit, ut cito occurreret mihi, quod volebam.* 21. *Dixitque Isaac: accede huc, ut tangam te fili mi, et probem, utrum tu sis filius meus Esau, an non?* 22. *Accessit ille ad patrem, et palpato eo dixit Isaac: vox quidem, vox Jacob est, sed manus manus sunt Esau.* 23. *Et non cognovit eum, quia pilosae manus similitudinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi,* 24. *ait: tu es filius meus Esau? respondit: ego sum.* 25. *At ille: affer mihi, inquit, cibos de venatione tua fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset; obtulit ei etiam vinum. Quo hausto* 26. *dixit ad eum: accede ad me, et da mihi osculum fili mi.* 27. *Accessit, et osculatus est eum, statimque, ut sensit vestimentorum illius fragrantiam,* erat mos adservandi vestes in arcis cum odoriferis herbis, et fructibus, quod de sui generis antiquis etiam Plinius tradit l. 21. c. 7. *benedicens illi ait: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* 28. *Det tibi Deus de rore caeli, et de pingvedine terrae abundantiam frumenti, et vini,* 29. *et serviant tibi populi, et adorent te tribus, esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Ex collatione huius benedictionis cum ea, quae supra capitis 12. v. 3. a

Deo promissa fuit Abrahae, perspicere licet sic Isaacum Jacobo benedixisse, ut benedictionem, quae ab Abrahamo in ipsum transiverat Genesis capite 26. v. 3. hanc ipse rursus ulterius in filium suum derivaret, atque propagaret. Cumque benedictionis haec promissio Abrahae a Deo facta principaliter ad Christum spectaverit, uti iam hoc demonstratum est ex Paulo, qui ad Galatas 3. v. 16. „Abrahae dictae sunt, inquit, promissiones, et „semini eius, non dicit: et seminibus, quasi in „multis, sed quasi in uno, et Semini tuo, qui „est Christus " mirum non est, si maledictus pronuncietur ab Isaaco is; qui Jacobo malediceret. In quo tum, quando benedicebatur, ut iam demonstratum est paulo superius, typus erat Christi. Ad hunc enim modum et ipse Paulus 1. Cor. 16. v. 22. dixit: „Si quis non amat Dominum nostrum Je- „sum Christum, sit anathema: " ut adeo intelligatur haec maledictio non ex propria Isaaci persona esse pronunciata. In qua illud esse tenendum praecipit Christus: „Benedicite maledicentibus vo- „bis, et orate pro calumniantibus vos " Luc. 6. v. 28, et Paulus: „Benedicite persequentibus vos, be- „nedicite, et nolite maledicere " Rom. 12. v. 14. Res enim hic agitur pro honore Dei. In quo non tantum ei, qui illi adversarius est, malum et poenam precari, sed etiam illam inferre licitum, et sanctum est, ut ob hanc causam ii, qui hoc fecerunt, ut Phinees et Mathathias Num. 25. v. 13. 1. Mach 2. v. 26. etiam laudentur. Non habuit au-

tem Isaac, et Rebecca praeter Jacobum, et Esau alios liberos. Quare filii matris, qui hic erga Jacobum, pluresque illius fratres vocantur; pro consvetudine Scripturae sunt ii, qui etiam remotius ab eadem matre per Esavum prognati sunt, et omnes Esau posteri. „Filios consvevit Scriptura, ait S. „Chrysostomus hom. 53. in Gen. vocare omnem „generationem, sicut et hic, ac si quis diceret eos, „qui ex semine Esau futuri erant."

30. *Vix Isaac sermonem impleverat, et egresso Jacob foras venit Esau,* 31. *coctosque de venatione cibos intulit patri dicens: surge pater mi, et comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua.* 32. *dixitque illi Isaac: quis enim es tu? Qui respondit: ego sum filius tuus primogenitus Esau.* 33. *Expavit Isaac stupore vehementi, et ultra, quam credi potest, admirans ait: quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, et comedi ex omnibus, priusquam tu venires? benedixique ei, et erit benedictus.* 34. *Auditis Esau sermonibus patris irrugiit clamore magno, et consternatus ait: benedic etiam et mihi pater mi.* 35. *Qui ait: venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam.* 36. *At ille subiunxit: iuste vocatum est nomen eius Jacob: supplantavit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: numquid non reservasti, ait, et mihi benedictionem?* 37. *Respondit Isaac: dominum tuum illum*

constitui, et omnes fratres eius servituti illius subiugavi; frumento, et vino stabilivi eum, et tibi post haec, fili mi, ultra quid faciam? 38. *Cui Esau: num unam, inquit, tantum benedictionem habes pater? Mihi quoque, obsecro, ut benedicas. Cumque eiulatu magno fleret;* 39. *motus Isaac dixit ad eum: in pingvedine terrae et in rore caeli desuper* 40. *erit benedictio tua. Vives in gladio, et fratri tuo servies, tempusque veniet, cum excutias, et solvas iugum eius de cervicibus tuis.* Idumaeorum, qui ex stirpe Esau erant, futura belligeratio per vitam in gladio designabatur. Ut ille vero fratri suo serviret; id sub Davide contigit, qui Idumaeos sub Israelitarum iugum misit 2. Reg. 8. v. 14. Jugum autem illi rursus excusserunt sub rege Joram 4. Reg. 8. v. 20. Atque etiam postea, cum iterum ab Hircano Assamonaeo Judaeorum principe teste Josepho l. 13. Ant. c. 17. fuissent subiugati, ut etiam Judaicas caerimonias coacti fuerint amplecti, si intra suos fines vellent manere; tamen brevi iterum vel supra ipsos Judaeos erexisse se censendi sunt, cum ex illorum genere Herodes rerum apud Judaeos potitus est.

41. *Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Luctus iste erat, qui illi mortuo inter parentandum instituendus erat. 42. *Nunciata sunt haec Rebeccae, quae mittens, et vocans Jacob filium suum dixit ad eum: ecce*

Esau frater tuus minatur, ut occidat te. 43. *Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran,* 44. *habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui,* 45. *et cesset indignatio eius, obliviscaturque eorum, quae fecisti in eum: postea mittam, et adducam te inde huc. Cur utroque orbabor filio in uno die?* Hoc aliqui sic intelligunt, quod Rebecca metuerit, ne si, ut minatus fuit Esau, adoriretur Jacobum, isteque resisteret, mutua caede simul perirent ambo. Mihi videtur potius ad poenae dictationem illam respexisse, quae est Genesis 9. v. 6. de eo, qui humanum effunderet sangvinem, quiscunque demum poenam hanc reposceret ab Esau, postquam occidisset Jacobum. 46. *Dixitque Rebecca ad Isaac: taedet me vitae meae propter filias Heth: si acceperit Jacob uxorem de stirpe huius terrae, nolo vivere.*

CAPVT XXVIII.

Jacob et ob iram fratris, et ut inde sibi petat uxorem, pergit ad Laban avunculum suum in Mesopotamiam. Quo in itinere noctu inter dormiendum scalam videt a terra usque in caelum protensam, per quam sursum et deorsum scandebant angeli, et cui superne innixus erat Deus, qui Jacobo promissiones, quae Abrahamo, et Isaaco erant factae, confirmavit. Jacob evigilans in monumentum huius visionis erigit, et consecrat illum lapidem, super quo dormivit, locumque illum appellat Bethel, vovetque Deo rerum suarum omnium decimam.

1. *VOCAVIT itaque Isaac Jacob, et benedixit eum, praecepitque ei dicens: noli accipere coniugem de genere Chanaan.* 2. *Sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriae ad domum Bathuel patris matris tuae, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.* Mesopotamia Graeco nomine sic dicta est, quod sita esset in medio duorum fluviorum Tigris, et Euphratis. Hebraei ipsam *Aram Nahanaim*, id est: Aram duorum fluviorum adpellarunt. Aram autem filius erat Semi, Genesis 10. v. 22. et cuius posteri illam regionem incoluerunt. Quare etiam Hebraei eosdem, quos nos Syros, illi Aramaeos adpellarunt. Est autem huius: Mesopotamia Syriae loco in Hebraeo *Paddan Aram*, Paddanque vel nomen proprium loci alicuius fuit;

vel quoniam in Arabica lingva agrum, vel campum significat; hoc genericum nomen pro eo, quod Latine regionem dicimus, est positum. Quod Jacob uxoris petendae causa in Mesopotamiam missus sit; erat haec magis praetensa tantum a Rebecca causa, qua usa est apud Isaacum, ut illum mitteret; illa vero princeps causa fuit, ut se subduceret ab ira fratris. Quemadmodum hoc luculentius Sapiens explicuit, qui iter illud Jacobi fugam adpellavit. „Profugum, inquit, irae fratris iustum deduxit per „vias rectas" Sap. 10. v. 10. 3. *Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet, ut sis in turbas populorum,* 4. *et det tibi benedictiones Abrahae, et semini tuo post te, ut possideas terram peregrinationis tuae, quam pollicitus est avo tuo.*

5. *Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriae ad Laban filium Bathuel Syri fratrem Rebeccae matris suae.* 6. *Videns autem Esau, quod benedixisset pater suus Jacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriae, ut inde uxorem duceret, et quod post benedictionem praecepisset ei dicens: non accipies uxorem de filiabus Chanaan,* 7. *quodque obediens Jacob parentibus suis isset in Syriam,* 8. *probans quoque* Hebraice: *et vidit* (וַיַּרְא) *quod non libenter adspiceret filias Chanaan pater suus;* 9. *ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem absque iis* Hebraice *super uxores suas* (עַל־נָשָׁיו) *quas prius habebat.* Erat Ismael iam tum mortuus, ut est Gen. 25. v.

17. Quare ad Ismaelem ivisse hic idem est, quod ad illius domum, et familiam: unde sibi peteret uxorem: *Maheleth filiam Ismael filii Abraham sororem Nabajoth.*

10. *Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Haran.* 11. *Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum; tulit de lapidibus, qui iacebant, et supponens capiti suo dormivit in eodem loco.* 12. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens caelum, angelos quoque Dei adscendentes, et descendentes per eam,* 13. *et Dominum innixum scalae dicentem sibi: ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo,* 14. *eritque semen tuum quasi pulvis terrae: dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septemtrionem, et Meridiem: benedicentur in te, et in semine tuo cunctae tribus terrae,* 15. *et ero custos tuus, quocunque perrexeris, et reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi complevero universa, quae dixi.* De scala hac, quam vidit Jacob S. Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 38. „Scalam istam, inquit, intelligitur ipse Salvator nobis „in memoriam revocare in Evangelio. Ubi cum „dixisset de Nathanaele: *Ecce vere Israelita, in* „*quo dolus non est* (Joan. 1. v. 47.) quia Israel „viderat istam visionem, ipse est enim Jacob, „eodem loco ait: *amen, amen dico vobis, videbi-* „*tis caelum apertum, et angelos Dei adscenden-*

„*tes, et descendentes super Filium hominis.*“ Ex quo proinde S. Augustinus deducit in Jacob dormiente, et super quem angeli sursum, deorsumque ibant, typum fuisse Christi. Nam scala illa a Jacob pertingebat usque ad Deum, et Christus de se dicit: „Ego sum via --- Nemo venit ad Patrem, nisi per „me“ Joan. 14. v. 6. Eadem deinde scala ab imo usque sursum in caelum tendebatur, ipsumque caelum cum terra nectebat, et angeli a terra sursum, et ex caelo deorsum commeabant. Quo consociatio Ecclesiae illius, quae in terra est, cum ea, quae in caelo est, significabatur. Quamobrem etiam eadem Ecclesia, Sabbato Sancto, in hymno, quo cereus benedicitur, canit: „Nox, in qua „terrenis caelestia, humanis Divina iunguntur.“ Nam, dum Christus in Cruce pro nobis dormivit, aditum nobis aeternitatis devicta morte reseravit, ut eadem Ecclesia pronunciat in oratione Dominicae Paschatis. „Et per eum complacuit, ait S. Paulus, reconciliare omnia in ipsum pacificans per „sangvinem Crucis eius, sive quae in terris, sive „quae in caelis sunt.“ Colos. 1. v. 20. Ex quo deinde idem Paulus postquam reconciliatio per Crucem esset facta, in epistola ad Ephesios 2. v. 19. intulit „Ergo iam non estis, inquit, hospites, et „advenae, sed estis cives Sanctorum, et domesti„ci Dei.“ Nam cum Christus factus est caput omnis principatus, et potestatis; Colos. 2. v. 10. Eph. 1. v. 21. angeli quoque redacti sunt ad idem contubernium cum Ecclesia, cuius caput est Christus.

Itaque, quod ascenderint, et descenderint per illam scalam angeli; ostendebatur hoc, quod de illis pronunciavit Paulus: „Nonne omnes sunt ad„ministratorii spiritus in ministerium missi propter „eos, qui haereditatem capiunt salutis?" Hebr. 1. v. 14. Erat denique scalae illi innixus Deus, et loquens ad dormientem Jacob, illique promissiones faciens. Quia etiam Christus ea, quae nobis meruit sic sibi habuit a Deo promissa, si moreretur, atque vitam suam offerret. Nam „si posuerit „pro peccato animam suam, videbit semen lon„gaevum, et rursus: Dispertiam ei plurimos, et „fortium dividet spolia pro eo, quod tradidit in „mortem animam suam." Isa. 53. v. 10. Haec sic se habent de hac scala Jacob, quamvis S. Cyrillus Alex. l. 10. in Gen. et Theodoretus Quaest. 83. in Gen. adumbratam hac scala etiam putent Divinam fuisse Providentiam curantem res humanas per angelos. Sed illa prior pressior explicatio est. Et cum omnia, quae Christum antecesserunt, umbram habuerint futurorum bonorum, omniaque in figura illis contigerint, atque legis finis fuerit Christus; nec ista tam illustris visio, quin ad Christum spectaverit, dubio locus esse debet.

16. *Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Dubitavitne Jacob Deum ubique esse praesentem? Non, sed certe eo modo, quo tum in illo loco hunc Dei sibi apparentis tam singularem favorem erat expertus; nescierat antequam experiretur, es-

se praesentem. Itaque Chaldaeus vertit: *In veritate gloria Dei habitat in loco isto, et ego nesciebam.* Et Arabs: *Lux Dei est in loco isto, et ego nesciebam.* 17. *Pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta caeli.* Terribilis Hebraice est *Nora.* (נוֹרָא) Quae vox, non semper metum, et tristem timorem, verum etiam eum, qui ex amore, atque reverentia procedit, cultum significat: ut Psal. 95. v. 4. „Terribilis est super omnes deos.“ Quod significat Deum esse colendum prae omnibus diis; et Psal. 110. v. 9. „Sanctum, et terribile nomen „eius.“ Prophetice vero hoc pronunciatum fuit ab Jacob terribilem esse illum locum, et non esse aliud nisi domum Dei, et portam caeli. Nam, cum ibi per Jacobum dormientem Christus figuratus sit; significabatur in Ecclesia, quae Christi corpus est 1. Cor. 12. v. 27. Eph. 1. v. 23. esse domum Dei, et portam caeli, et extra quam proinde salus non sit, esseque locum istum et Ecclesiam, ubi Deus habitaculum suum habeat; cultu omni, et veneratione prosequendam.

18. *Surgens ergo Jacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum fundens oleum desuper.* Consonat et haec, quam Jacob fecit, lapidis unctio cum superiore explicatione. Nam „Hoc ad prophetiam pertinet, ait S. „Augustinus l. 16. de Civ. Dei cap. 38. nec more „idololatriae lapidem perfudit oleo Jacob, velut „faciens illum Deum, neque enim adoravit eum-

„ dem lapidem, vel ei sacrificavit: sed quoniam Chri-„ sti nomen a chrismate est, id est: ab unctione, „ profecto figuratum est hic aliquid, quod ad ma-„ gnum pertineat Sacramentum.“ Apud Strabonem in libro eius tertio, Clementem Alexandrinum in Stromatum libro 7. atque apud Minucium reperitur fuisse Gentilium istam consvetudinem; ut lapides oleo inungerent, et herbis, atque floribus coronatos postea superstitiose colerent. Quae res procul dubio, sicut et cruenta animalium sacrificia, quae illi ad idola, fictaque sua numina transtulerunt; non aliunde ab illis accepta sunt, quam ab hoc patriarcharum, aut fortasse his quoque antiquiore ritu; quo lapides consecrarunt, atque ex his Religionis aliquod monumentum constituerunt. Nam et Abraham in illis locis, ubi ipsi Deus apparuerat, ut Gen. 12. v. 7. cap. 13. v. 18. et Isaac cap. 26. v. 25. e vestigio aras Deo erexerunt, atque tali pacto eadem illa loca dedicaverunt cultui Divino. Hoc ergo cum didicisset Jacob a suis parentibus, nec victimas tum haberet, quas eo in loco, ubi Deus ei apparuerat, offerret; tamen lapidem illum, super quo iacuit, unctione olei dedicavit, qui pro monumento esset locum illum esse sanctum, et Divini Numinis apparitione consecratum, quique illum etiam adpellaverit Bethel, et domum Dei. Istud, quod Latinus Interpres hic vertit *titulum*, in Hebraeo est *Matzebah* (מַצֵּבָה) quae vox, ut ex Oseae 3. v. 4. intelligitur, etiam altare significat. Ex quo tanto evidentius agnoscitur, lapidem illum a Jacobo esse sic erectum,

erectum, et constitutum; ut ad Religionis cultum erga Deum valere illum voluerit, idemque lapis vice templi, atque domus Dei ibi constitutus, cum oleo fuisset perfusus, et unctus Christum, ut ex S. Augustino paulo superius demonstratum est, figuraverit, cuius corpus est Ecclesia, ad Ephesios 1. v. 23. Ecclesia autem est domus Dei 1. Tim. 2. v. 15. ut bene deinde, et lapidem et locum hunc Jacob Bethel, id est: domum Dei adpellaverit.

19. *Appellavitque nomen urbis Bethel, quae prius Luza vocabatur.* Nempe ab eo loco, ubi illa apparitio facta est, latius ad ipsum etiam vicinum locum, et urbem, in cuius agro, et territorio accidit; a Jacobo nomen, et denominatio haec propagata est. 20. *Vovit etiam votum dicens: si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum*, 21. *reversusque fuero prospere ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum*, 22. *et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quae dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quod, si ergo istae conditiones expletae non fuissent, numquid Jacob non religiose coluisset Deum, atque eum, qui ipsi apparuerat, quemque agnoverat Deum esse, non habuisset pro Deo? Haec quidem certe enormis impietas fuisset, quam vel suspicari de religiosissimo viro profecto non licet. Quid igitur? nempe ad cultum exhibendum Deo, quod per se, et citra omnem promissionem tenebatur facere; in-

super se etiam voto obstringit. Nihil ergo aliud hic Jacob fecit, quam quod se arctius per votum obstrinxerit Deo; deinde in specie etiam ad aliqua, quibus Deum coleret; videlicet, quod locum illum in veneratione habiturus, et quod decimas suarum rerum omnium Deo oblaturus esset, sese obligaverit. Certe autem Jacob, dum vovit, maius se operae pretium iudicavit facere vovendo, quam si taliter, et per votum se Deo non obligavisset. Nam si hoc alterum iudicavisset esse melius, atque Deo acceptius; certe minus recte, atque pie fecisset tali conditione per promissionem Deo se obligando. Judicavit ergo per votum se Deo obligare esse melius, et religiosius. Ergo in hoc in longe alia mente, et persvasione a tanto patriarcha sunt, qui Helveticam, et Augustanam Confessionem profitentur. Nam illi, suo videlicet tam exacto, atque ad Scripturam perlimato iudicio actiones a voto liberas actionibus voto adstrictis anteferunt.

CAPVT XXIX.

Jacob veniens in Mesopotamiam benige a Labano avunculo suo excipitur, cuius duas filias Rachelem, et Liam sibi desponsat, navans illi servitium in pascendis gregibus pro illis per quatuordecim annos. Ex Lia deinde quatuor suscipit filios Ruben, Simeonem, Levi, et Judam Rachele manente sterili.

1. *PROFECTVS ergo Jacob venit in terram Orientalem,* 2. *et vidit puteum in agro, tres quo-*

que greges ovium accubantes iuxta eum. Nam ex illo adaquabantur pecora, et os eius grandi lapide claudebatur. 3. Morisque erat, ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus rursum super os putei ponerent. 4. Dixitque ad pastores: fratres unde estis? Qui responderunt de Haran. 5. Quos interrogans, numquid, ait nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: novimus. 6. Sanusne est, inquit. Valet, inquiunt, et ecce Rachel filia eius venit cum grege suo. 7. Dixitque Jacob: adhuc multum diei superest, nec est tempus, ut reducantur ad caulas greges: date ante potum ovibus, et sic eas ad pastum reducite. 8. Qui responderunt: non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. 9. Adhuc loquebatur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. 10. Quam cum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem, quo puteus claudebatur. Cum ante pastores negaverint fas esse removere lapidem a puteo, et adaquare, antequam greges omnes convenirent; consequens est, vel solum tantum tunc, quem Rachel pascebat, defuisse gregem, esseque illum exspectatum; vel vero, dum modo amotus est a puteo lapis per Jacobum, interea greges alios, qui praeterea exspectabantur, advenisse, sed de quibus nulla iam aperta in narratione mentio fiat.

11. *Et adaquato grege osculatus est eam, et elevata voce flevit,* 12. *et indicavit ei, quod frater esset patris sui, et filius Rebeccae.* Non eadem ratione frater erat Labani, et filius Rebeccae. Nam cum Laban frater fuerit Rebeccae, quae mater fuit Jacobi; illius non sic fuerat frater, sicut istius filius. Nam filius Rebeccae erat usurpato filii nomine in stricta significatione; frater vero Labani tantum erat latiore huius vocabuli usurpatione: siquidem stricte loquendo non frater Labani, sed illius tantum ex Rebecca sorore nepos erat Jacob. *At illa festinans nunciavit patri suo.* 13. *Qui cum audisset, venisse Jacob filium sororis suae; occurrit obviam ei, complexusque eum, et in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris,* 14. *respondit: os meum es, et caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius, dixit ei:* 15. *num quia frater meus es, gratis servies mihi? Dic mihi, quid mercedis accipias.* 16. *Habebat vero duas filias: nomen maioris Lia, minor vero adpellabatur Rachel.* 17. *Sed Lia lippis erat oculis; Rachel decora facie, et venusto adspectu.* 18. *Quam diligens Jacob ait: serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* Quos lippos oculos noster Latinus Interpres vertit; in Hebraeo pro lippo est vocabulum *Raccoth* (רַכּוֹת) quod iam infirmum aliquid significat, atque debile, et vitiosum; iam etiam tantum tenerum aliquid, simulque gratum. Quamobrem nonnullis placuit istud intelligere de oculorum Liae quadam

venustate, et elegantia: in quibus tenerum aliquid, et blandum in aspectu esset; sed quae sola oculorum venustas a Rachele totius faciei formositate, et pulchritudine vinceretur. At tamen illa prior intelligentia de lippitudine censenda est melior, quod ita hic sit de utriusque sororis forma instituta oratio; ut Rachelis forma in oppositione quadam ponatur cum Liae vultu. Quae talis oppositio, et contrarietas nulla esset; si in utraque sorore formae venustas fuisset. Itaque etiam Septvaginta illud: *lippis*, ἀσθενεῖς verterunt, quod significat infirmum. S. Justinus in Dialogo cum Tryphone et S. Hieronymus in epistola ad Ageruchiam docent per Rachelem et Liam adumbratam esse Ecclesiam, et Synagogam. Nam ut Lia lippis, et infirmis erat oculis, sic in Veteri Testamento omnia umbram tantum habebant futurorum bonorum, non ipsam imaginem, Hebr. 10. v. 1. per Rachelem autem praefigurabatur clarissima Evangelii lux: et sicut Jacob in amore Rachelem praetulit Liae; ita Christus quoque Synagogae, quam reprobavit, antetulit Ecclesiam.

19. *Respondit Laban: melius est, ut tibi eam dem, quam alteri viro: mane apud me.* 20. *Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies prae amoris magnitudine.* 21. *Dixitque ad Laban: da mihi uxorem meam, quia iam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.* Est hic illa obscuritas, elapsone hoc septennio, an eius initio Jacob nuptias has iniverit: nec, quid

magis tenendum sit, ipsi Interpretes inter se conveniunt. Atque illud prius de nuptiis celebratis post finem tantum primi septennii videntur verba quidem illa anteferre, quibus usus est Jacob ad Labanum, *da mihi*, inquiens, *uxorem meam, quia iam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.* At si post septem tantum annos, quibus venit in Mesopotamiam, Jacob coepit operam dare liberis; tales consequuntur temporis angustiae, ut quae deinceps de iisdem Jacobi liberis narrantur, spatium, ut sic, prout narrantur, esse potuerint, habitura non sint. Nam primo certum est illud, susceptum esse Josephum a Jacobo in fine alterius septennii; Nam tunc reditum parare coepit, dimittique petiit a Labano; nec hoc postulare potuisset, nisi tempus, quo obstrictus ei erat ad serviendum, peregisset: explevisseque illum eam, quam debuerat, servitutem, declarant haec illius ad Labanum verba: *Da mihi*, inquit, *uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam.* Erat vero Joseph liberorum omnium ultimus, quos Jacob suscepit apud Labanum in Mesopotamia, erantque ex Lia suscepti filii sex, et filia una hoc ordine: primus Ruben, alter Simeon, tertius Levi, quartus Judas; ut infra est hoc eodem capite, quosque cum semper alio, atque alio partu Lia ediderit; consequens est, ut donec quatuor isti filii procrearentur, anni iam effluxerint quatuor: nam spatium saltem circiter unius anni interponi inter partum unum, et alterum debet. Tum vero Lia dicitur parere ces-

savisse versu huius capitis ultimo. Quod cum illa sensisset (capitis sequentis v. 9.) Zelpham ancillam suam Jacobo tradidit ad coniugium, ex eaque Jacob primo filium Nomine Gad, et rursus alterum nomine Aser procreavit. Et quoniam nonnisi post istos duos ex Zelpha ancilla susceptos filios, Lia rursus foecunda esse, et parere coepit, atque deinde duos adhuc filios Issacharem, et Zabulonem, et unam filiam Dinam alio, et alio semper partu edidit, ac propterea quinque isti partus: duo ancillae, et tres Liae spatium sibi etiam quinque annorum vendicent; hi quinque anni, et priores quatuor, si etiam tempus illud prorsus praetermittatur, quo aliquo spatio infoecunda fuit Lia, antequam Zelpham Jacobo in matrimonium tradidisset; tamen efficiuntur iam anni novem. Si vero tantum in principio septennii secundi nuptias inivisset, liberisque operam dare coepisset Jacob, ad illius finem; quando natus est Joseph, non anni plures fuissent, quam septem. Et quomodo Lia dici potuisset aliquamdiu fuisse infoecunda, si vel ipsa per septennium septem proles distincto semper partu edidisset? Quod ergo Jacob dixit, impletum esse suum tempus, non debet referri ad tempus servitutis, quod promisit pro Rachele, verum ad tempus suae aetatis, quod scilicet iam esset maturum ineundo matrimonio. Erat enim iamtum annos natus septem, et septvaginta, uti hoc supra demonstratum est ad capitis 27. v. 1. In Hebraeo hoc luculentius sic est: *Pleni sunt dies mei.*

(כִּי מָלְאוּ יָמַי) Atque, quo hoc pertineat, declarat illud, quod subiecit: *Ut ingrediar ad illam*: quasi nimirum dicere voluisset satis se iam esse aetate provectum, maturumque ineundo matrimonio. Deinde si integro septennio servire debuisset, antequam pertringeret, ad eas, quas tantopere desiderabat cum Rachele nuptias, dicine possent illi dies, quibus exspectabat, paucos ipsi visos esse prae amoris magnitudine? Tantum enim abest, ut id, quod longum est, breve videatur; ut potius etiam e contrario breve longum habeatur, atque mora omnis, et dilatio molestissime feratur; quando aliquid valde amatur, et desideratur. Qualem in exspectando molestiam ferre Jacob debuisset; si nonnisi post septennium Rachele potitus fuisset. Petiit igitur sibi promissam uxorem dari Jacob, statim postquam contraxit cum Labano, suamque illi servitutis operam ad septennium addixit.

22. *Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium fecit nuptias*, 23. *et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum* 24. *dans ancillam filiae Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam.* 25. *Et dixit ad socerum suum: quid est, quod facere voluisti? Nonne pro Rachel servivi tibi? quare imposuisti mihi?* Carent Hebraei in verborum inflexionibus tempore praesenti, sed eius loco usurpant aut praeteritum, aut praesentis temporis participium. Quare hoc, quod servivisse Jacob dicatur, non censendum est esse contrarium ei, quod supe-

rius demonstratum est, factas esse has nuptias ante, quam expletum esset servitutis illud tempus, atque in illius principio. Ingredi ad feminam significat ex more Scripturae maritalem complexum. Non potest vero non gravissime culpari hoc Labani factum, non tantum ob commissam fraudem, et deceptionem; verum etiam, quod pro Rachele, cum qua pridie celebratae erant nuptiae, alienam pro uxore ad coniugii usum iniquissime Jacobo subtruserit. Sed nec Lia excusari a noxa potest, quod se ad hanc nefariam parentis voluntatem adcommodaverit. Nec praetensa a Labano consvetudo non locandi ad matrimonium iuniorem filiam ante seniorem defendere illum potest. Nam, si hoc voluit, cur ergo prius de Rachele consenserat? Cur eam non statim Jacobo petenti negavit? Cur non statim tum consvetudinem illam opposuit? Et consvetudone suffragari potest ad faciendum id, quod malum est?

26. *Respondit Laban: non est in nostro loco consvetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* 27. *Imple hebdomadam dierum huius copulae, et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo serviturus es mihi septem annis aliis.* 28. *Acquievit placito, et hebdomada transacta Rachel duxit uxorem;* 29. *cui pater servam Balam tradiderat.* 30. *Tandemque potitus optatis nuptiis amorem sequentis priori praetulit serviens apud eum septem annis aliis.* Incoeptum tantum adhuc erat primum septennium. Servivit igitur septem annis aliis, postquam videlicet priores septem expleverat, perin-

deque est, atque si positum esset ipsum uxorum causa servire debuisse bis septem annis, qui annos efficiunt quatuordecim. Iuxta modernos mores uxor potius afferre dotem marito, non iste eam emere a parentibus debet. At vero illis tum temporibus, et etiam diu postea alia tenuit consvetudo. Inferius capitis 34. v. 12. cum Sichem Dinam Jacobi filiam sibi postulavisset dari uxorem; ad illius patrem, et fratres „Augete, inquiebat, do„tem, et munera postulate, et libenter tribuam, „quod postulatis.“ Etiam Oseas propheta uxorem sibi comparavit datis pro ea quindecim siclis, et hordei coro uno, ac dimidio. Genus est hoc mensurae, quod circiter quingentas nostras mensuras, quas vocamus medias continebat, capaxque erat iuxta Pelletieri investigationem pedum cubicorum 14340.

31. *Videns autem Dominus, quod despiceret Liam, aperuit vulvam eius sorore sterili permanente.* 32. *Quae conceptum genuit filium, vocavitque nomen eius Ruben dicens: vidit Dominus humilitatem meam: nunc amabit me vir meus.* Ruben Latine idem est, quod *Videns filium:* sicque filium adpellavit, quod, postquam Deus illam a marito despectam respexisset, filiumque illi concessisset; hunc Jacobus videns magis illam postea amaturus sit. 33. *Rursumque concepit, et peperit filium, et ait: quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocavitque nomen eius Simeon.* Exauditionem hoc nomen significat, sicque illud filio indidit, quod, quamvis ad-

huc despiceretur a marito; tamen ipsam Deus exaudiverit dando hunc ei alterum filium. 34. *Concepitque tertio, et genuit alium filium, dixitque: nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios, et idcirco adpellavit nomen eius Levi.* Hoc adiunctum, vel copulatum significat, quia nimirum sperabat post tertium hunc filium maritum magis amore sibi copulandum. 35. *Quarto concepit, et peperit filium, et ait: modo confitebor Domino, et ob hoc vocavit eum Judam, cessavitque parere.* Vocabulum Juda confessionem sive laudationem significat: quod scilicet agnosceret dato sibi etiam isto quarto filio laudandum esse Deum. Ab hoc Juda deinde tota Israelitarum natio novam accepit appellationem, Judaeique nominati sunt. Sed quandonam haec nova appellatio coeperit, non satis liquet. Probabilius videtur hoc factum esse, quando sub Roboam decem tribus se separaverunt, novumque sibi regnum constituerunt: in eo autem, quod prius fuit regnum, solae tantum tribus Juda, et Benjamin permanserunt. Cumque primum regnum istud regnum Juda fuisset appellatum, quod ex tribu Juda potissimum constabat, cum Benjamin, quae ei altera tribus associata erat, fuerit exigua; transfluxit hoc deinde nomen ad totam gentem, et ad reliquos omnes, ex quacumque demum essent tribu. Quare iam Mardochaeus Estheris 2. v. 5. quamvis oriundus esset ex tribu Benjamin, adpellatus fuit Judaeus.

CAPVT XXX.

Rachel primum, deinde etiam Lia famulam suam dat Jacobo ad usum matrimonii: e quibus quatuor rursus suscipit filios: Dan, Nephthali, Gad, et Aser. Lia postea impetrato per mandragoras, quas Racheli dedit, mariti complexu edit rursus duos filios: Issachar et Zabulon, et Dinam filiam. Tandem etiam Rachel foecunda fit, et parit Josephum. Jacob ulterius adhuc pro gregibus in servitio perstat Labani.

1\. *Cernens autem Rachel, quod infoecunda esset, invidit sorori suae, et ait marito suo: da mihi liberos, alioquin moriar.* Potest hoc sic videri, quasi ipsa ob impatientiam cogitaverit sibi violentas manus adferre. Sed tamen mitius hoc etiam explicari potest, et ita est faciendum; ne quod iudicium temere erga illam exerceatur, de sola doloris magnitudine, ex qua se morituram diceret, nisi liberos susciperet, sicque levamen sui doloris acciperet. Alioquin inconsiderata, atque imprudens erat haec illius postulatio, cum foecunditatem praestare sit solius Dei, quamobrem etiam a Jacobo culpata est. 2. *Cui iratus respondit Jacob: num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?* 3. *At illa: habeo, inquit famulam Balam, ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, et habeam ex illa filios.* Infantes recenter editi in parentum, avorum, atque aliorum, a quibus adopta-

bantur, genibus solebant collocari, quo sic quasi imitarentur naturalem illorum susceptionem. Sic infra capitis 50. v. 22. Joseph liberos ex Machir nepote suo sibi posuit super genua, postquam nati sunt. Ideo etiam Job, cum se natum ad illas miserias, quas patiebatur, quereretur, usus tali oratione est: „Quare, inquit, exceptus genibus, cur „lactatus uberibus?" Job. 3. v. 12.

4. *Deditque illi Balam in coniugium, quae*
5. *ingresso ad se viro, concepit, et peperit filium.*
6. *Dixitque Rachel: iudicavit mihi Dominus, et exaudivit vocem meam dans mihi filium, et idcirco appellavit nomen eius Dan.* Nomen hoc *iudicium* significat. Erat Rachel in cogitatione secum non recte agi, quod sorore tot prolibus locupletata ipsa iam tamdiu mansisset infoecunda, quamobrem etiam, ut in principio huius capitis est, expostulaverat cum marito. Itaque dato sibi isto ex ancilla filio, quemque ipsa sibi adoptaverat, pronunciat se a Deo esse exauditam, sibique esse adiudicatam causam.
7. *Rursumque Bala concipiens peperit alterum.* 8. *Pro quo ait Rachel: comparavit me Dominus cum sorore mea, et invalui, vocavitque nomen eius Nepthali.* Aequiparationem vox haec significat. 9. *Sentiens Lia, quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit.* 10 *Qua post conceptum edente filium, dixit:* 11. *feliciter, et idcirco vocavit nomen eius Gad.* Nomen Gad significat militum turmam, vel etiam accinctum. Quare hoc illa nomen isti suo ex ancilla filio imposuit, quod

sibi nimirum de filiorum turma gratularetur, novamque rursus accessionem per ancillam ad priorem filiorum turmam fieri gauderet. 12. *Peperit quoque Zelpha alterum*, 13. *Dixitque Lia: hoc pro beatitudine mea. Beatam quippe me dicent mulieres, propterea adpellavit eum Aser.* Beatitudinem vox haec significat.

14. *Egressus autem Ruben tempore messis triticeae in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liae detulit. Dixitque Rachel: da mihi partem de mandragoris filii tui.* 15. *Illa respondit: parumne tibi videtur, quod praeripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel: dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.* In Hebraeo pro mandragoris positum est vocabulum *Dudaim.* (דודאים) Profani veteres Scriptores tradunt mandragoram esse arbusculae genus, quod fructus gratissimi saporis, et odoris in forma minutorum pomorum proferat, hisque fructibus, si comederentur, vim foecunditatis ad generandum attribuunt. Quare Dioscorides unus ex illis l. 4. c. 76. poma Circeja adpellat. Qui vero recentius in qualitatem istius plantae inquisiverunt, triplex illius esse genus repererunt: unum humile, et lactucae instar folia lata habens: e cuius medio erumpunt fructus magnitudine sorbi rotundi, et foliis circumvoluti, sed minus grati cum saporis, tum odoris; duo reliqua genera ne salutaria quidem esse feruntur homini, si comedantur, ex quorum altero vertigo capitis, et viscerum adeo vehemens con-

vulsio sequi dicitur, ut, nisi tempestive remedium afferatur, mortiferum etiam sit; ex altero vero induci somnum, qui per quatuor, vel quinque horas duret, quique ita profundus sit, ut etiamsi incisio corporis, vel adustio fiat, non sentiatur, quamdiu somnus ille durat. Quoniam autem illius primae mandragorae, qualis ab antiquis Scriptoribus esse fertur, nulla aliqua certa documenta existunt; reliquis autem tribus generibus non illa conveniant, quae mandragorae Scriptura tribuit, utpote quae Canticorum 7. v. 13. odorifera esse dicitur, interque mala punica, atque fructus, quorum in edendo est svavitas, ponitur, nec ulla etiam istarum mandragorae specierum ante autumnum soleat maturescere, cum Ruben mandragoras illas in agro repererit in vere, tempore videlicet triticeae messis, quae in calidis illis regionibus exeunte mense nostro Aprili esse solet; Calmet mandragoras istas, quae sive hic, sive alibi memorantur in Scriptura, censet poma esse citrea, vel potius aurantia, quibus abundat omnis Media, et Mesopotamia, ipsaque etiam Palaestina, et quae arbores numquam non fructus habent. Nec ab hac interpretatione abludit vocabulum Hebraicum *Dod* (דוד) unde illud *Dudaim* tanquam a radice sua derivatur, quaeque dilectum, proprie significat, translate autem etiam pro mamma, vel canistro significando adhibetur, similitudinemque proinde cum pomo etiam citreo, et aurantio habet. Quamvis vero usitatus iste, et minime rarus in Mesopotamia fructus fuerit; tamen vel singularis

quaedam illorum venustas, quae Ruben domum attulit; aut solus etiam recte tum comedendi illa adpetitus, potuit certe, ut olim Esavum lentium edulium; hanc in Rachele quoque illorum cupiditatem provocare. Judaeorum Rabbini per haec Dudaim lilia, violas, similesque fragrantes flores intelligunt. Mihi vero Calmeti magis placet sententia, quod ut iam demonstratum est, in Canticis inter eos fructus collocetur, qui svaves sunt.

16. *Redeuntique ad vesperam Jacob de agro egressa est in occursum eius Lia, et ad me, inquit, intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa.* 17. *Et exaudivit Deus preces illius, concepitque, et peperit filium quintum,* 18. *et ait: dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, adpellavitque nomen eius Issachar.* Mercedem haec vox significat. Tanquam enim mercedem spectabat hunc suum a Deo filium, quem in eius rei praemium acceperit, quod ancillam suam Jacobo in matrimonium tradiderit. 19. *Rursum Lia concipiens peperit sextum filium,* 20. *et ait: dotavit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios, et idcirco adpellavit nomen eius Zabulon.* Habitaculum hoc nomen significat, quod propter illum spem habuerit fore, ut maritus iterum ipsi cohabitet, hoc est: in eodem cum ipsa cubili dormiat. Nec haec illam spes fefellit. 21. *Post quem peperit filiam nomine Dinam.* Causam, vel iudicium nomen

men hoc significat. Quam cur hoc nomine adpellaverit, causa non ponitur.

22. *Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudivit eam, et aperuit vulvam eius.* 23. *Quae concepit, et peperit filium dicens: abstulit Deus opprobrium meum.* 24. *Et vocavit nomen eius Joseph dicens: addat mihi Dominus filium alterum.* Nomen Joseph augmentum significat. Deum enim tum illo nato precabatur, ut sibi adderetur filius adhuc alter. 25. *Nato autem Joseph dixit Jacob socero suo: dimitte me, ut revertar in patriam, et ad terram meam.* 26. *Da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam. Tu vero nosti servitutem, qua servivi tibi.* Cum modo redire in patriam Jacob voluerit, uxoresque suas cum liberis dari sibi, ut abducere eas secum possit, postulaverit, seque pro illis servivisse dicat; consequens est tempus quatuordecim annorum, quo erat ad serviendum Labano obstrictus, iam effluxisse. Nam secus postulationem hanc facere Jacobus non potuisset, nec dicere se se pro uxoribus servivisse, si serviendi tempus non explevisset. Nam nondum servivisset, hoc est: non totam servitutem absolvisset, si ei ad serviendum adhuc aliquid superfuisset. Nec Laban, qui illum fallere etiam, et circumvenire conabatur, tanto minus hoc dissimulasset, ad quod ex pacto ius habuisset.

27. *Ait illi Laban: inveniam gratiam in conspectu tuo; experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* 28. *Constitue mercedem*

tuam, quam dem tibi. 29. *At ille respondit: tu nosti, quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua.* 30. *Modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meae.* 31. *Dixitque Laban: quid tibi dabo? At ille ait: nihil volo. Sed si feceris, quod postulo, iterum pascam, et custodiam pecora tua.* 32. *Gyra omnes greges tuos, et separa cunctas oves varias, et sparso vellere, et quodcunque furvum, et maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus, quam in capris, erit merces mea.* 33. *Respondebitque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te:* Cras indeterminate ponitur pro futuro tempore, quomodo etiam Deuteron. 6. v. 20. usurpatur: „Cumque interroga„verit te filius tuus cras dicens: quid sibi volunt „testimonia haec, et caerimoniae, atque iudicia, „quae praecepit Dominus Deus noster nobis." *Respondebit mihi iustitia mea*, hoc est: quae labori meo conveniens est merces, quamque iuste mereor; haec mihi tali ratione obveniet: id scilicet, quod in gregibus non unicolor nascetur, mihi accipiendo; omne autem, quod unicolor futurum est, tibi servando. *Quando placiti tempus advenerit coram te*, hoc est: quando venerit tempus, ut mercedem, quam tibi nunc placet mihi promittere, et constituere, accipiam. Quod Arabs clarius sic vertit: *Cum adfuero petiturus mercedem meam ante te.*

Sequitur deinde: *Et omnia, quae non fuerint varia, et maculosa, et furva tam in ovibus, quam in capris, furti me arguent.* Intellige, si illa mihi sumerem, et mihi servare conarer.

34. *Dixitque Laban: gratum habeo, quod petis.* 35. *Et separavit in die illa capras, et oves, et hircos, et arietes varios, atque maculosos: cunctum autem gregem unicolorem, id est: albi, et nigri velleris tradidit in manu filiorum suorum,* 36. *et posuit spatium itineris trium dierum inter se, et generum, qui pascebat reliquos greges eius.* Est locus iste obscure redditus, adfertque non levem perplexitatem. Nam, si Laban suis filiis greges omnes unicolores commisit, ergo Jacob tantum diversi coloris habuit, quos deinceps pavit. Quod si vero hoc ita est, illo virgarum decorticatarum artificio opus ei non fuit. Per se enim, quod diversi coloris est, foetus etiam tales producit. Et quoniam separatione tum facta pars omnium ex gregibus minima Jacobo obtigisset; nam unius coloris semper consveverunt esse plurima, non ille tantos sibi greges acquirere brevi aliquot tantum annorum spatio potuisset, ut sicut infra dicitur capitis sequentis v. 9. Labani substantia translata sit ad Jacobum. Nec, ut aliquibus placet hic in versu 35. filiorum Laban nomine illius nepotes ex Jacobo prognati filii intelligi possunt. Nam, quod filiorum nomine proprii Laban filii hic intelligi debeant, illud demonstrat, quod de gregibus unicoloribus, quos istis filiis suis pascendos commisit, sic postea versu 36. institua-

tur oratio, ut eosdem illos greges tenuisse, et pascendi caûsa habuisse dicatur ipse Laban, siquidem quod per filios suos fecit, quoniam istorum una erat consensio cum patre, hoc ipse fecisse intelligatur; ac proinde non isti fuerint filii Jacob, cuius greges, quos ipse pavit, distinctim ponuntur, et nominantur in eodem illo versiculo: *Posuit*, inquit, *spatium trium dierum inter se, et generum, qui pascebat reliquos greges eius.* Neque filii Jacobi maturi adhuc tum satis erant, ut committi illis potuerint greges. Nam Ruben, qui omnium maximus natu erat, post quatuordecim quibus tum Jacob fuit in Mesopotamia annos, non aetatis plures annos quam decem et tres habere potuit. Nec Septvaginta Interpretes in istius versiculi sensu reddendo feliciores fuerunt, quam noster Latinus. De quibus sic pronunciat S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis „Multum apud Septvaginta Interpretes, „inquit, confusus est sensus, et usque in praesen- „tem diem nullum potui invenire nostrorum, qui „ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, ex- „poneret.“

Mihi ex Hebraeo sic res haec elucidanda videtur: Est ibi sic ad verbum: *Et separavit in die illo hircos colore striatos, et maculatos, et omnes capras punctatas, et maculatas: omne, quod album in eo, et omne nigrum in agnis, et tradidit in manus filiorum.* (וַיָּסַר בַּיּוֹם הַהוּא אֶת־הַתְּיָשִׁים הָעֲקֻדִּים וְהַטְּלֻאִים וְאֵת כָּל־הָעִזִּים הַנְּקֻדּוֹת וְהַטְּלֻאֹת כֹּל אֲשֶׁר־לָבָן בּוֹ וְכָל־חוּם בַּכְּשָׂבִים וַיִּתֵּן בְּיַד־בָּנָיו). Consi-

deranti vero adparet istud: *Omne, quod album in eo, et omne nigrum in agnis* sic esse interiectum, ut nec cum praecedente verbo: *separavit*, nec cum sequente: *tradidit*, nectatur. Est igitur hoc interiectum, et insuper habet ellipsim verbi, quod tantum subintelligi debet. Itaque hoc, si rectius collocatum, et verbum, quod per ellipsim omissum est, fuerit suppletum, prodibit sic: *Et separavit in die illo hircos colore striatos, et maculatos, et omnes capras punctatas, et maculatas, et tradidit in manus filiorum: omne quod album in eo, et omne nigrum in agnis* hic iam subintellige verbum *mansit* in grege videlicet: in quo separatio est facta. Et quoniam illas pecudes, quae diversicolores separatae sunt, filiis suis Laban pascendas concredidit; per se consequitur, ut intelligatur unicolores mansisse pro Jacobo, uti ipse eas pasceret. Ita sensum hunc explanavit etiam citato paulo ante loco S. Hieronymus. „Vis, inquit Jacob, me servire „tibi, sic Jacobum facit loquentem ad Labanum, „etiam septem alios annos? Fac, quod postulo. „Separa omnes discolores, et varias tam oves, „quam capras, et trade in manus filiorum tuorum. „Rursumque ex utroque grege alba, et nigra pe„cora, id est unius coloris da mihi. Si quid igitur „ex albis, et nigris, quae unius coloris sunt, va„rium natum fuerit, meum erit; si quid vero „unius coloris, tuum. Rem non difficilem po„stulo. Tecum facit natura pecorum, ut alba ex „albis, et nigra nascantur ex nigris: mecum erit

„iustitia mea, dum Deus humilitatem meam re-
„spicit, et laborem. Optionem Laban datam li-
„benter arripuit, et ita, ut Jacob postulabat fa-
„ciens, trium dierum iter inter Jacob, et filios
„suos separavit, ne quis ex vicinitate pecoris na-
„sceretur dolus.“

37. *Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus, in his, quae spoliata fuerant, candor adparuit; illa vero, quae integra fuerant, viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius.* 38. *Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent.* 39. *Factumque est, ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa, et varia, et diverso colore respersa.* 40. *Divisitque gregem Jacob, et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum. Erant autem alba, et nigra quaeque Laban, cetera vero Jacob separatis inter se gregibus.* 41. *Igitur, quando primo tempore ascendebantur oves; ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, et ovium, ut in earum contemplatione conciperent:* 42. *quando vero serotina admissura erat, et conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea, quae erant serotina, Laban; et quae primi temporis, Jacob.* 43. *Ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas, et ser-*

vos, camelos, et asinos. Serotina admissura, et pecorum coitus fiebat in autumno; illa vero prior ineunte vere. In Mesopotamia, et calidioribus regionibus, sicut et in ipsa Italia, vulgo bis pariunt per annum pecudes.

Erat hoc, quod Jacob adhibuit naturale artificium. Neque enim tantum in pecudibus, verum etiam in hominum genere imaginatio feminae, dum concipit vim erga foetum habet, ut non modo color aliquis inducatur, verum etiam subinde monstra prodeant. Attamen res haec, quam Jacob instituit, saepius tentata, effectum talem non habuit. Quamobrem illius successum S. Chrysostomus ad vim supernaturalem revocat. „Haec faciens Justus, „inquit hom. 57. in Gen. non a seipso movebatur, sed inspirante menti eius superna gratia: neque secundum naturae ordinem erat, quod fiebat; sed valde admirabile, et naturae ordinem „transcendens.“ Quare ad id, quod ex parte naturale fuit, vis etiam accessit a Deo extraordinaria, atque naturali maior. Tanto vero minus de Jacobo in hoc facto suspicio alicuius culpae esse potest, cum illius hoc factum etiam adiuverit Deus prodigioso modo. Erat Jacob circumventus a Labano, et cum pro Rachele septem tantum annorum servitium spopondisset; deinde si illa potiri vellet, obligare se debuerit ad serviendum per septem alios adhuc annos. Hanc servitutem illi compensavit Deus. „Vidi enim omnia, quae fecit tibi Laban, „aiebat angelus ad Jacobum, cum ei in somnio

obiecisset formam coeuntium pecorum varii coloris, ut est sequentis capitis v. 12. ex quo intelligeret tales quoque proventuros esse foetus.

CAPVT XXXI.

Jacob insciente Labano cum omnibus suis rebus in patriam proficiscitur, quem persequitur Laban, cumque esset assecutus in monte Galaad, et cum eo disceptavisset, facit deinde cum illo foedus.

1. *POSTQVAM autem audivit verba filiorum Laban dicentium: tulit Jacob omnia, quae fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclytus,* 2. *animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri, et nudius tertius*, ut superioris capitis v. 33. demonstratum est cras non semper stricte significare crastinum, sed futurum longius etiam tempus, ita igitur heri quoque, et nudius tertius latius per spatium praeteriti temporis se extendere potest; 3. *maxime dicente sibi Domino: revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum;* 4. *misit, et vocavit Rachel, et Liam in agrum, ubi pascebat greges.* 5. *Dixitque eis: video faciem patris vestri, quod non sit erga me, sicut heri, et nudius tertius. Deus autem patris mei fuit mecum.* 6. *Et ipsae nostis, quod totis viribus meis servierim patri vestro.* 7. *Sed et pater vester cir-*

cumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus: Jacob sex annis servivit pro gregibus, ut est huius capitis v. 41. solebat autem virgas ex parte decorticatas ponere tantum semel per annum, quando in vere coibant pecudes, ut est superioris capitis v. 41. neque igitur tot vicibus vicissitudo illa locum habere potuit, nisi fortasse, quando virgae in autumnali pecorum coitu non ponebantur, etiam tum conditiones Laban invertisset. Solet vero in Scriptura septenarius numerus iam poni pro numero perfecto, et indefinite aliquo magno, ut „Septies in die laudem dixi tibi" Psal. 118. v. 164. et Ps. 11. v. 7. „Eloquia Domini eloquia „casta, argentum igne examinatum, probatum ter„rae, purgatum septuplum." Quanto igitur magis decenarius numerus hanc eamdem significandi vim habet? Atque ad hunc modum iste numerus etiam Num. 14. v. 22. usurpatur, quando Deus queritur iam decem vicibus se esse tentatum ab Israelitis in deserto, et Job totidem vicibus se esse confusum ab amicis. Job. 19. v. 3.

Et tamen non dimisit eum Deus, ut noceret mihi. 8. *Si quando dixit: variae erunt mercedes tuae, pariebant omnes oves varios foetus; quando vero e contrario ait: alba quaeque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt.* 9. *Tulitque Deus substantiam patris vestri, et dedit mihi.* 10. *Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos; et vidi in somnis adscendentes mares super feminas varios, et macu-*

losos, et diversorum colorum. 11. *Dixitque Angelus Dei ad me in somnis: Jacob. Et ego respondi: adsum.* 12. *Qui ait: leva oculos tuos, et vide universos masculos adscendentes super feminas: varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia, quae fecit tibi Laban.* 13. *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Nunc ergo surge, et egredere de terra hac revertens in terram nativitatis tuae.* 14. *Responderuntque Rachel, et Lia: numquid habemus residui quidquam in facultatibus, et haereditate domus patris nostri?* 15. *Nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit, comeditque pretium nostrum?* Etsi, ut supra Capitis 29. v. 30. demonstratum est, non fuerit alienum a moribus illorum temporum, ut viri pro uxoribus pretium darent; tamen in eo avarus, ac sordidus, atque iniquus erga filias suas fuit Laban, quod Jacobi hoc pro filiabus pretium, et quatuordecim annorum gravissimos labores tantum in suum usum, atque commodum derivaret, indeque penitus excluderet filias. Cum ergo nihil sperandum haberent a patre; non modo contrariae Jacobo non fuerunt, sed etiam hortatae illum ad profectionem sunt.

16. *Sed Deus tulit oves patris nostri, et eas tradidit nobis. Unde omnia, quae praecepit tibi Deus, fac.* 17. *Surrexit itaque Jacob, et impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos abiit,* 18. *tulitque omnem substantiam suam, et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat pergens ad*

Isaac patrem suum in terram Chanaan. 19. *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui.* In Hebraeo pro idolis vocabulum est *Teraphim*. Septvaginta Interpretes ad eumdem modum, quo Latine est, hoc εἴδωλα verterunt; Aquila μορφώματα, id est: figuras, vel imagines interpretatur. Et 1. Reg. 19. v. 13. statua, quam Michol in locum Davidis ad lectum collocavit, isto nomine Teraphim compellatur. Judicum autem capite 17. v. 5. Ezechielis 21. v. 21. Zachariae 10. v. 2. pro falsorum numinum simulacris ponuntur. Hebraeorum doctores tradunt fuisse haec caesorum infantium, et quidem primogenitorum humana capita sale, et oleo condita, quaeque infra lingvam haberent auream laminam, cui nomen alicuius falsi numinis esset inscriptum, quod deinde tale caput venerarentur thure, et accensis luminibus, ab eoque oracula peterent. Pro oraculis, et quidem veris oraculis; quae procederent ab ipso Deo etiam Oseae 3. v. 4. usurpatur hoc vocabulum Teraphim. „Dies multos, ibi dicitur, sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, et sine Teraphim.“ Hoc enim significat, quod, sicut sacrificiis, et proprio principe, ita etiam oraculis, et Divinis responsis carituri sint filii Israel. Sacerdos enim Ephod indutus, quae sacerdotalis erat vestis, Deum consulere consveverat, et ab eo responsa accipere. 1. Reg. 23. v. 9. cap. 30. v. 7. Persae etiam nunc amuleta habent, et gestant cum

superstitiosis inscriptionibus, quae *Telesin* vocant, vel *Talismos*, quorum prius nomen satis bene congruit cum Teraphim. Constant vero haec apud eos partim ex auro, partim ex alia materia, vel metallo, quae si secum ferant, censent tutos se fore adversus quaecunque pericula, et infortunia. Haec quae Rachel furata est Teraphim a suo patre simulacra aliqua fuisse falsorum deorum perspicitur ex eo, quod ipsos Laban deos suos appellaverit infra huius capitis v. 30.

20. *Noluitque Jacob confiteri socero suo, quod fugeret.* 21. *Cumque abiisset tam ipse, quam omnia, quae iuris sui erant, et amne transmisso pergeret contra montem Galaad*, id nomen tantum postea, ut brevi dicetur, est inditum huic monti, 22. *nunciatum est Laban die tertio, quod fugeret Jacob.* 23. *Qui assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem, et comprehendit eum in monte Galaad.* 24. *Viditque in somnis dicentem sibi Dominum: cave, ne quidquam aspere loquaris contra Jacob.* 25. *Jamque Jacob extenderat in monte tabernaculum. Cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis; in eodem monte Galaad fixit tentorium.* 26. *Et dixit ad Jacob: quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas, quasi captivas gladio?* 27. *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, et canticis, et tympanis, et citharis?* 28. *Non es passus, ut oscularer filios meos, et filias*, nepotes suos ex filiabus suis filiorum no-

mine compellavit: *Stulte operatus es. Et nunc quidem* 29. *valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris tui heri dixit mihi: cave, ne loquaris contra Jacob quidquam durius.* 30. *Esto, ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?* 31. *Respondit Jacob: quod inscio te profectus sum; timui, ne violenter auferres filias tuas.* 32. *Quod autem furti me arguis; apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. Scrutare; quidquid tuorum apud me inveneris, aufer. Haec dicens ignorabat, quod Rachel furata esset idola.* 33. *Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob, et Liae, et utriusque famulae non invenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis;* 34. *illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper. Scrutantique omne tentorium, et nihil invenienti,* 35. *ait: ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo, quia iuxta consvetudinem feminarum nunc accidit mihi.* Fluxus iste feminarum menstruus est, quo se nunc laborare simulavit Rachel. *Sic delusa sollicitudo quaerentis est.*

36. *Tumensque Jacob cum iurgio ait: quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me,* 37. *et scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuae? Pone hic coram fratribus meis, et fratribus tuis, et iudicent inter me, et te.* 38. *Idcirco viginti annis fui tecum? Oves tuae, et ca-*

prae steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi. 39. *Nec captum a bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam. Quidquid furtim peribat, a me exigebas.* 40. *Die, noctuque aestu urebar, et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis:* 41. *sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi: quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis. Immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses: afflictionem meam, et laborem manuum mearum respexit Deus, et arguit te heri.* Timor Isaac metonymice pro eo est positus, quem timet Isaac, et pro Deo. Quomodo etiam inferius rursus est v. 53. *Juravit Jacob per timorem patris sui Isaac:* hoc est, ut etiam Paraphrastes Chaldaeus vertit: *Per eum, quem Isaac timet.*

43. *Respondit ei Laban: filiae meae, et filii, et greges tui, et omnia, quae cernis, mea sunt. Quid possum facere filiis, et nepotibus meis?* 44. *Veni ergo, et ineamus foedus, ut sit in testimonium inter me, et te.* 45. *Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit illum in titulum,* 46. *dixitque fratribus suis: afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum.* 47. *Quem vocavit Laban tumulum testis, et Jacob acervum testimonii, uterque iuxta proprietatem lingvae suae.* Primus Jacob lapidem constituit in titulum, hoc est: in monumentum, ut vis istius vocabuli supra ad capitis 28. v. 18. explicata est.

Sed cum ibi Jacob lapidem erexisset in titulum monumenti, et memoriae causa erga Deum, qui ipsi in illo loco adparuerat; nunc lapis iste in monumentum tantum positus est, et constitutus foederis, quod Jacob, et Laban inter se iniverunt. Cum igitur Jacob primus lapidem collocavisset, fratres quoque suos, (erant isti non proprie Jacobi fratres, sed cognati tantum, siquidem fratres fuerint Labani, qui Jacobi, et socer, et avunculus fuit) idem facere, conferreque lapides iussit. Galaad, quo nomine Jacob cumulum illum lapidum adpellavit, est Hebraica vox, sicque scribitur *Galhed.* (גַּלְעֵד) At vero nomen, quo Laban eumdem illum cumulum denominavit, in Hebraeo est: *Jegar Sahaduta:* (יְגַר שָׂהֲדוּתָא) estque hoc nomen etiam ortum ex radicibus Hebraicis, sed deflexum ad dialectum Syriacam. Nam „Laban, ait S. Hieronymus in „Quaest. Hebr. Syrus erat, et antiquam lingvam „parentum provinciae, in qua habitaverat, sermone „mutaverat." Illa verba: *iuxta proprietatem lingvae suae*, nec in Hebraeo sunt, nec in Graeca, aut ulla alia antiqua versione. Quare ab Interprete tantum Latino explicationis gratia censenda sunt esse addita.

48. *Dixitque Laban: tumulus iste erit testis inter me, et te hodie, et idcirco adpellatum est nomen eius Galaad, id est: tumulus testis.* 49. *Intueatur, et iudicet Dominus inter nos, quando recesserimus a nobis.* 50. *Si afflixeris filias meas, et si introduxeris alias uxores super eas; nullus*

sermonis nostri testis est absque Deo, qui praesens respicit. Absque Deo idem est hic, quod praeter Deum. In Hebraeo sic est ad verbum: *Non vir nobiscum. Vide: Deus testis inter me, et te* (אֵין אִישׁ עִמָּנוּ רְאֵה אֱלֹהִים עֵד בֵּינִי וּבֵינֶךָ) Non est vir nobiscum, idem est iuxta proprietatem lingvae Hebraeae, quod: nemo est nobiscum. Spectabat vero hoc eo, quod si afflicturus esset Jacob Labani filias; tametsi nullus hominum rationem istius rei exacturus, factumque vindicaturus sit, tamen futurus sit Deus vindex, quem pacti sui testem haberent. 51. *Dixitque rursus ad Jacob: en tumulus hic, et lapis, quem erexi inter me, et te* 52. *testis erit: tumulus, inquam, iste, et lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te; aut tu praeterieris malum mihi cogitans.* 53. *Deus Abraham, et Deus Nachor iudicet inter nos Deus patris eorum.* Verba sunt Labani, isque de Deo Abrahami, et de deo Nachor eadem ratione loquitur. Servivit autem Nachor diis alienis. Josue 24. v. 2. Nimirum Laban, cum ipse, idola coleret, Abrahae verum Deum cum deo Nachoris religione superstitiosa coniunxit in hoc suo iuramento.

Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac, hoc est: ut iam superius demonstratum est, per eum quem Isaac timuit. Timor vero tanquam una pars religiosi cultus erga Deum positus est pro Religionis omni eo, qui Deo debetur, cultu. 54. *Immolatisque victimis in monte vocavit*

fratres

fratres suos, ut ederent panem. Erat hoc sacrificium verum, in quo videlicet hostiarum fieret mactatio Religionis causa erga Deum: quod tam ex Hebraeo, quam Graeco etiam perspicuum fit. Ubi est: *Mactavit Jacob victimam* (וַיִּזְבַּח יַעֲקֹב זֶבַח) ἔθυσεν θυσίαν *Sacrificavit sacrificium.* Itaque Jacob fidem suam, quam iam iuramento Labano obstrinxerat; etiam sacrificii religione testari magis, atque confirmare voluit. Ex victimis vero consveverant redire partes ad eos, qui illas obtulerant, indeque instituebantur epulae. Hae igitur panis nomine hic significantur. Solet enim panis poni pro toto convivio, ut Genesis 43. v. 25. Luc. 14. v. 1. et saepe alibi: ad quas epulas, et convivium Jacob adhibuit Labanum, et reliquos viae illius comites. *Qui cum comedissent, manserunt ibi.* 55. *Laban vero de nocte consurgens osculatus est filios, et filias suas, et benedixit illis, reversusque est in locum suum.*

CAPUT XXXII.

Jacobus in itinere obviam sibi fieri videt angelos. Mittit nuncios de suo reditu ad Esau, eumdemque muneribus placat. Luctatur cum Angelo: nec hunc prius dimittit, quam ab eo benedictionem acciperet. Angelus Jacobo nomen mutat, et ut Israel vocetur, dicit: tangit illius nervum in femore: qua ex re Jacob postea claudicavit.

1. *JACOB quoque abiit itinere, quo coeperat, fueruntque ei obviam angeli Dei.* 2. *Quos cum vi-*

disset, ait: castra Dei sunt haec, et adpellavit nomen loci illius Mahanaim, id est: castra. Hebraicum *Mahanaim* est in numero duali, ut ipsum vocant, qui binas res significat. Ex quo intelligitur duas fuisse angelorum turmas, quae Jacobo factae fuerunt obviam. Quae Angelorum adparitio eo pertinebat, ut adversum metum a fratre suo Esau confirmaretur, dum angelorum exercitus videret in suum esse praesidium paratos. „Posquam enim „cessavit, ait S. Chrysostomus hom. 58. in Gen. et „finem habuit timor Labani, excepit eum timor „fratris. Propter hoc clemens Dominus animare „Justum volens, et omnem eius metum discutere; „fecit ut angelorum videret castra.“ *Misit autem et nuncios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir in regionem Edom.* Terra haec, et regio finitima Judaeae est, et ab ea ad Orientem pertinet. Eo se habitatum contulit Esau, ibique postea ab eo Idumaeorum natio propagata est, ut est infra capitis 36. v. 6.

4. *Praecepitque eis dicens: sic loquimini domino meo Esau: haec dicit frater tuus Jacob: apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in praesentem diem.* 5. *Habeo boves, et asinos, et oves, et servos, et ancillas, mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.* 6. *Reversique sunt nuncii ad Jacob dicentes: venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat tibi in occursum tuum cum quadringentis viris.* 7. *Timuit Jacob valde, et perterritus*

divisit populum, qui secum erat, greges quoque, et oves, et boves, et camelos in duas turmas 8. *dicens: si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam, alia turma, quae reliqua est, salvabitur.* 9. *Dixitque Jacob: Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi, revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuae, et benefaciam tibi.* 10. *Minor sum cunctis miserationibus tuis; et veritate tua, quam explevisti servo tuo.* Chaldaeus hoc sic luculentius expressit: *Minora sunt merita mea omnibus misericordiis, et beneficiis, quae fecisti cum servo tuo.* Veritas haec Divinarum promissionum fides est, quam erga se veram semper expertus est. *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior.* „Qui baculum „solum gestans, verba sunt S. Chrysostomi hom. „58. in Gen. abivi in terram alienam; nunc cum „duabus turmis adveni."

11. *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.* Plures erant matres. Sed matrem hic singulariter dicit pro eo, quod est absque discrimine impetu facto caedere omnes, sive mater familias, sive filii sint, significatque promiscuam omnium caedem. Arabs in plurali numero posuit: *Ne occidat eas, quae mecum sunt matres cum filiis.* Qaestionem vero hic ponit in Quaestionibus in Genesim S. Augustinus, quomodo Jacob Dei promissionibus fidem habuerit, quando ita timuit,

atque sic respondet: „Admonendi fuimus, ait, „hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum; „faciamus tamen, quae facienda sunt ab hominibus „in praesidium salutis, ne praetermittentes ea, „Deum tentare videamur.“ 12. *Tu locutus es, quod benefaceres mihi, et dilatares semen meum sicut arenam maris, quae prae multitudine numerari non potest.* 13. *Cumque dormivisset ibi nocte illa, separavit de his, quae habebat, munera Esau fratri suo:* 14. *capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, et arietes viginti,* 15. *camelos foetas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, et tauros viginti, asinas viginti, et pullos earum decem.* Cameli foetae sunt, non quae in utero adhuc foetum gererent, sed quae iam pullos lactarent, ut hoc clarius est in Hebraeo: *cameli lactantes.* (גְּמַלִּים מֵינִיקוֹת) In numero autem taurorum discrepat Latina nostra versio non tantum ab Hebraeo; verum etiam ab omnibus aliis antiquis versionibus praeter Syriacam: in quibus non viginti, sed tantum decem positi sunt tauri.

16. *Et misit per manus servorum suorum singulos seorsim greges, dixitque pueris suis: antecedite me, et sit spatium inter gregem, et gregem.* 17. *Et praecepit priori dicens: si obvium habueris fratrem meum Esau, et interrogaverit te, cuius es, aut quo vadis, aut cuius sunt ista, quae sequeris?* 18. *respondebis: servi tui Jacob. Munera misit domino meo Esau. Ipse quoque post nos venit.* 19. *Similiter dedit mandata secundo,*

et tertio, et cunctis, qui sequebantur greges, dicens: iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum. 20. *Et addetis: ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur. Dixit enim: placabo illum muneribus, quae praecedunt, et postea videbo illum: forsitan propitiabitur mihi.* 21. *Praecesserunt itaque munera ante eum; ipse vero mansit nocte illa in castris.* 22. *Cumque mature surrexisset; tulit duas uxores suas, et totidem famulas cum undecim filiis, et transivit vadum Jaboc.* Fluviolus iste oritur ex montibus Galaad, et influit in Jordanem. 23. *Traductisque omnibus, quae ad se pertinebant,* 24. *mansit solus: et ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* 25. *Qui cum videret, quod eum superare non posset; tetigit nervum femoris eius, et statim emarcuit.*

Angelum hunc fuisse in specie viri et reliqua demonstrant, quae subsequuntur, et Oseas capite 12. v. 3. declaravit: „In utero, inquit, supplanta„vit fratrem suum, et in fortitudine sua directus „est cum angelo, et invaluit ad angelum.“ Nec vero tantum in imaginatione, et somnio peractam hanc esse Jacobi cum angelo luctam, illud ostendit; quod postea ex hac lucta claudicaverit. Quomodo vero si Angelus fuit, superare Jacobum non potuit, maiores enim vires sunt angeli, quam hominis? Sic igitur angelus non potuit superare Jacobum; sicut Christus quoque dicitur Marci 6. v. 5. in patria sua non potuisse facere virtutem ullam. Nam, quemadmodum Christo non deerat potentia

ad patranda prodigia, sed quoniam hanc curatione morborum tantum erga eos exercere voluit, qui credere, fiduciamque suam in illum collocare voluerunt: dum incredulitatem suorum in patria expertus est; ille praestare ipsis illa curationum beneficia non potuit, non propter defectum suae potentiae, sed ob indignitatem eorum, quibus illa conferenda fuissent: sic angelus quoque Jacobum superare non potuit, non quasi viribus non praevaluisset; sed quia hac ipsa de causa luctam instituerat; uti ab Jacobo luctando vinceretur, indeque ad eam rem instrueretur, cuius causa haec lucta fuerat instituta. Erat vero causa haec, ut ex ea Jacob documentum caperet, ne Esavi, aut cuiuscunque hominis metum extimescceret. Nam, qui superasset angelum, tanto minus sibi deberet timere ab homine. Quare etiam Angelus, cum ei postea mutasset nomen, hoc ipsum pro causa posuit: *Quoniam si*, inquit, *contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis.* Luctando autem cum Angelo Jacob contra Deum fortis fuisse dicitur, quod Angelus Dei personam gesserit, quemadmodum iam alibi etiam talia exempla fuerunt, ut Genesis cap. 16. et 18. De qua lucta Jacobi cum Angelo sic loquitur S. Augustinus L. 1. Quaestionum in Genesim: „Quod ab illo Angelo, inquit, „desiderat Jacob benedici, cui luctando praeva„luit, magna est de Christo prophetia.“ Eamque deinde sic explicat, ut per hoc quod tactus in femore claudicaverit, intelligantur posteri ipsius illi,

qui claudi erga Christum in credendo fuerunt, et ad salutem non pervenerunt; per istud vero, quod Jacob nihilominus benedictus sit, Israelitarum intelligantur reliquiae, quae per electionem gratiae salvae factae sunt. At, quoniam istae Israelitarum reliquiae, quae salvae factae sunt, comparate ad multitudinem, quae periit, exiguae fuerunt, non satis recte hoc videtur cum eo convenire, quod Jacobus Angelum superaverit. Quin autem res ista, tam singularis, ad Christum spectaverit, dubium esse non potest, cum omnia illis in figura contigerint, atque adeo Jacobus luctans gesserit illius typum; de quo Apocalypsis 5. v. 5. est: „Vicit Leo „de tribu Juda, radix David aperire librum, et „solvere septem signacula eius.“ Dicit Christus eiusdem Apocalypseos cap. 3. v. 21. „Qui vicerit, „dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et „ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.“ Christus igitur vincendo illam promeruit, et obtinuit a Deo benedictionem; qua in ipso benedicerentur omnes gentes, iuxta illud Psal. 71. „Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae“ et illud Isaiae 53. „Si posuerit pro peccato animam suam, „videbit semen longaevum - - - ideo dispertiam „ei plurimos, et fortium dividet spolia pro eo, „quod tradidit in mortem animam suam.“ Pertinet ergo haec quoque in typo Jacobi benedictio impetrata ab Angelo ad benedictionem, quae per Christum ex illius certamine, et lucta redundavit in nationes totius mundi omnes, quae in Christum cre-

diderunt. In qua benedictione nihilominus Jacob in femore suo laesus est, et claudicavit; quia Israelitae, et qui posteri Jacobi secundum carnem sunt; nam femur pro eo, unde progignantur posteri, propagatioque stirpis fiat, solere usurpari; iam ad capitis 24. v. 4. demonstratum est, maximam partem reprobati sunt, solaeque eorum reliquiae salvae factae sunt: Rom. 11. v. 5. et cum plenitudo gentium intraverit; tunc et illi, qui modo claudicant, consequentur, quando omnis Israel salvus fiet, ut itidem est apud Paulum ad Romanos cap. 11. v. 25.

26. *Dixitque ad eum: dimitte me. Jam enim adscendit aurora. Respondit: non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Apud Oseam est cap. 12. v. 4. de Jacobo, dum hanc postulabat benedictionem: „Invaluit ad angelum, et confortatus est, flevit, „et rogavit eum.“ 27. *Ait ergo: quod nomen est tibi? Respondit: Jacob.* 28. *At ille, nequaquam, inquit, Jacob adpellabitur nomen tuum, sed Israel. Quoniam, si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis?* Israel quidnam adcurate significet, non omnes eodem modo interpretantur, prout nimirum ab alia, et alia Hebraica radice vocabulum illud ab illis derivatur. Eratque haec diversitas interpretandi iam aetate S. Hieronymi, cum alii *rectum Dei*, alii *videntem Deum* interpretarentur. Qua de re S. Hieronymus in Quaest. Hebr. „Quid me necesse est, inquit, opiniones „quaerere singulorum, quum etymologiam nomi„nis exponat ipse, qui posuit?“ Nam, cur po-

men hoc Israel Angelus Jacobo imposuerit, causam subiecit ipse Angelus. *Si enim*, inquit, *contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis.* Ex quo S. Hieronymus deducit significari eo potius *Principem cum Deo*, qui scilicet potens fuerit, aususque sit congredi cum Deo. Disputationemque postea sic concludit: „Quamvis „igitur, inquit, grandis auctoritatis sint, et elo„quentiae ipsorum umbra nos opprimat, qui Israel „*virum*, sive *mentem videntem Deum* transtule„runt; nos magis Scripturae, et angeli, vel Dei, „qui ipsum Israel vocavit, auctoritate ducimur, „quam cuiuslibet eloquentiae secularis." In Hebraeo magis adparet haec paronomasia. Ubi quod hoc nomen Israel (יִשְׂרָאֵל) Jacobo inditum sit, pro causa deinde subiectum est: *ki saritha im Elohim* (כִּי־שָׂרִיתָ עִם־אֱלֹהִים) Verbum autem *sara* (שָׂרָה) significat principem agere, hoc est: viribus valentem, atque potentem esse. Cuius verbi radix, quoniam est in nomine Israel; eamdem profecto vim in significando debet habere, ac proinde Hebraeum illud idem est, quod Latine diceretur: quia principem egisti, potens fuisti cum Deo. Alterum autem nomen ei additum *El* apud Hebraeos unum etiam ex Dei nominibus est. Quamquam vero et isthic Angelus Jacobo dixerit: *Nequaquam Jacob adpellabitur nomen tuum, sed Israel*, iterumque hoc ad eum a Deo infra cap. 35. v. 10. repetitum sit; tamen deinceps etiam in Scriptura isto Jacobi nomine compellatur saepissime. Ex quo illud in-

fertur non sic hoc Israel novum nomen esse ei inditum; ut prius nomen Jacobi penitus aboleretur; sed ad hoc prius illud alterum quoque esse additum, ita, ut deinceps duo nomina haec haberet. Israelis autem nomen tanto magis postea in Jacobo inclaruit, quod isto tota etiam ipsius posteritas, et Hebraea natio denominata sit. Tetigit autem Angelus Jacobi femur, ubi est coxendix, et ubi femur in alterum os cavum immittitur, atque vertitur. Est enim in Hebraeo *curvatura femoris.* (כַּף־יֶרֶךְ) Itaque nervus, qui ad coxendicem est, eo angeli tactu ipsi obtorpuerat.

29. *Interrogavit eum Jacob: dic mihi, quo adpellaris nomine? Respondit: cur quaeris nomen meum? Et benedixit ei, in eodem loco.* 30. *Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel dicens: vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Phanuel visionem Dei significat. Erat vero antiquis quibusdam nonnumquam haec persvasio, moriendum sibi esse, si Deum vidissent. Qualiter etiam Manue cum visionem angeli habuisset, quem Deum credebat esse, ad uxorem suam dixit: „Morte moriemur, quia vidimus Deum" Judic. 13. v. 22. Hoc ergo est, quod Jacob modo, cum Angelum, qui Dei personam gerebat, vidisset; dixerit, animam, hoc est: vitam suam salvam esse factam, tametsi Deum viderit. 31. *Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel:* id est: postquam ab eo discessit Phanuel, Hebraice *abar:* (עָבַר) quod et transgredi vel trans-

ire; et discedere, vel abire significat. *Ipse vero claudicabat pede.* Perpetuone postea, an vero saltem ad aliquod tempus haec ei duraverit claudicatio; nullum aliquod certum documentum est. Hebraeorum est traditio apud S. Hieronymum in Quaest. Hebraicis, cessasse illam claudicationem, quando Jacob, qua de re sequenti capite est, venit in Sichem. 32. *Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Jacob usque in praesentem diem; eo quod tetigerit nervum femoris eius, et obstupuerit.*

CAPVT XXXIII.

Esau in occursum venit Jacobi, eumque amanter excipit. Jacob se postea ex itinere primum in Socoth confert habitandi gratia, inde deinde ad Salem Sichimorum civitatem, empta ibi agri parte.

1. *ELEVANS autem Jacob oculos suos vidit venientem Esau, et cum eo quadringentos viros, divisitque filios Liae, et Rachel, ambarumque famularum,* 2. *et posuit utramque ancillam, et liberos earum in principio, Liam vero, et filios eius in secundo loco; Rachel autem, et Joseph novissimos.* 3. *Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius.* 4. *Currens itaque Esau obviam fratri suo amplexatus est eum, stringensque collum eius, et oscu-*

lans flevit. 5. *Levatisque oculis vidit mulieres, et parvulos earum, et ait: quid sibi volunt isti, et si ad te pertinent? Respondit: parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo.* 6. *Et appropinquantes ancillae, et filii earum incurvati sunt.* 7. *Accessit quoque Lia cum pueris suis, et cum similiter adorassent; extremi Joseph, et Rachel adoraverunt.* 8. *Dixitque Esau: quaenam sunt istae turmae, quas obviam habui? Respondit, ut invenirem gratiam coram domino meo.* 9. *At ille: habeo plurima, frater mi, sint tua tibi.* 10. *Dixitque Jacob: noli ita, obsecro, sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis. Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius.* Similitudines a Deo petitas iam aliquoties dictum est adhiberi ad significandum rei alicuius maximum, altissimumque gradum. Erat certe Jacobo, post gravissimum illum, quem habuit metum, mansvetudo illa, et affabilitas Esavi plus quam dici possit, grata, atque iucunda. In Hebraeo loco vocabuli: *Dei* est *Elohim:* quod nomen non tantum Deo, verum etiam angelis, et ipsis hominibus, qui in magistratus auctoritate sunt, solet tribui. Cuius rei de magistratibus notissimum exemplum est in Psalmo 81. „Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem „deos diiudicat" et rursus: „Ego dixi: dii estis, „et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines „moriemini, et sicut unus de principibus cadetis." Angelos vero Dei non tantum nomen, verum etiam

personam gessisse, saepe iam in hoc libro, et etiam in isto, quod proxime antecessit caput, exempla fuerunt. Quare potest hoc a Jacobo dictum sic etiam intelligi, quod videndo Esavum sic affectus fuerit, quasi sic vidisset vultum angeli: atque tales ad angelum allusiones fiunt quoque saepius alibi ut 2. Reg. 19. v. 27. „Tu autem domine, mi rex, sic„ut angelus Dei es:“ verba sunt Miphibosethi ad Davidem regem; et Esther ad Asverum regem: „Vidi te Domine, quasi angelum Dei“ (cap. 15. 16.) 11. *Et suscipe benedictionem, quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus tribuens omnia.* Munera, quae Esavo offerebat, benedictionem vocat, quod illa a Deo sibi, reique suae familiari benedicente consecutus sit.

Vix fratre compellente suscipiens, 12. *ait: gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* 13. *Dixitque Jacob: nosti domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves, et boves foetas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare; morientur una die cuncti greges.* 14. *Praecedat dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir.* Jacobum postea in Seir ad Esavum fratrem esse profectum, nuspiam memoratur, sed modo ex itinere, redituque suo ex Mesopotamia dicitur infra huius capitis v. 17. ivisse, atque habitationem sibi fixisse in Socoth. Certe quidem in Seir se iturum ad Esau non sic promisit, ut ibi cum eo habitaret, qui consor-

tium etiam itineris, quod ille obtulerat, erat deprecatus, quod tametsi illum sibi reconciliatum videret; nollet tamen adhuc illi fidere. Socoth autem, et Salem, pluraque loca, quorum mentio fit, sic memorantur de Jacobo, ut intelligatur ubi stationes ad habitandum fixerit: nec si postea non dicitur Jacobum ivisse ad Seir invisendi fratrem suum causa, consequentia est non ivisse: quod Scripturae mos sit non omnia minutatim exponere, sed quaedam soleat silentio praetermittere. Tanto minus autem censendum est illum hoc, quod promisit, praetermisisse; ne quem tanto studio placare conatus est, aliquid ei praeberet, unde animus illius rursus offendi posset.

15. *Respondit Esau: oro te, ut de populo, qui mecum est, saltem socii remaneant viae tuae. Non est, inquit, necesse. Hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo domine mi.* 16. *Reversus est itaque illo die Esau itinere, quo venerat in Seir.* 17. *Et Jacob venit in Socoth: ubi aedificata domo, et fixis tentoriis appellavit nomen loci illius Socoth, id est tabernacula.* Locus iste, qui etiam suum nomen ab hac Jacobi commoratione, et habitatione in eo accepit, ab Chananaea spectat ad Orientem non longe ab eo, ubi Jaboc fluvius influit in flumen Jordanem. 18. *Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quae est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriae, et habitavit iuxta oppidum.* Salem sive, ut Joannis 3. v. 25. Salim quoque ad-

pellatur, civitas fuit ex ea parte Jordanis, quae ad citeriorem Chananaeae partem spectat, cum Socoth situm fuerit in ulteriore huius fluminis parte: eadem vero etiam Sichem fuit adpellata, quod Sichimorum fuerit urbs, vel Sichar ut est Joannis 4. v. 5. In huius igitur urbis vicinitate, atque in Sichimorum agro rursus stationem fixit.

19. *Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula a filiis Hemor patris Sichem centum agnis.* Filii Hemor erant ipsi Sichimitae, sicque adpellati sunt quod ille ipsorum rex fuerit, rex autem sit populi sui pater. Hic vero idem Hemor non propter solam curam, et benevolentiam, sed natura etiam pater fuit Sichem: de quo sequenti capite occurret plus adhuc aliquid, quod narrabitur. Pro agnis, quibus Jacob ab Sichimitis emit partem agri, in Hebraeo vocabulum est *kesitah* (קְשִׂיטָה) neque nisi bis adhuc alibi recurrit Josue cap. 24. v. 32. et Jobi cap. 42. v. 11. Ovem, vel agnum etiam hic utrobique vertit non tantum Latinus noster Interpres, verum etiam Graeci Septvaginta. Quoniam autem supra ad capitis 23. v. 18. demonstratum est agrum, de quo mentio fit Actuum cap. 7. v. 16. hunc eumdem esse, quem non Abraham, sed Jacob emerit a filiis Sichem, ibique est esse emptum hunc agrum *pretio argenti*, consequens est, ut istud vocabulum *kesitah* non ovem, sed pecuniam significet. Equidem omnes etiam alii vetusti Interpretes, ut Chaldaeus, Arabs, atque Syrus isthic verterunt etiam agnum, sed ut apud Latinos pe-

cunia dicta est a pecude, sic apud Hebraeos quoque pecudis, et agni nomen usurpari potuit ad significandum pecuniam. Calmet censet sic pecuniam esse adpellatam, quod per saccos pelliceos illam etiam consveverint antiqui numerare, quique sacci certam, et definitam auri, vel argenti summam continerent. Atque haec ratio numerandi pecuniam per saccos, vel marsupia etiam postea viguit, quin etiam nunc viget apud Turcas. Quantum vero unus talis agnus, vel saccus pecuniae in se habuerit, cum sacci varii esse possint, certi nihil esse potest. 20. *Et erecto ibi altari invocavit super illud fortissimum Deum Israel.* Cum altare fit propterea, ut in eo sacrificetur, dum super illud Jacob dicitur invocavisse Deum; intelligi ergo hoc debet, quod is Deum per sacrificia invocaverit, atque oblatione in eo hostiarum sibi propitium facere studuerit. Itaque ista invocatione Dei, quam Jacob fecit, non sola Divini Numinis invocatio, quae verbis fit; verum etiam quae aliis Religionis officiis praestatur, comprehenditur. Quod autem modo Jacob fecit, ut erecto altari invocaret Deum; hoc Abraham quoque reperitur fecisse in iis locis, ubi aut stationem aliquam fixit; aut Dei aliquem favorem fuerat expertus, Gen. 12. v. 7. v. 8. cap. 13. v. 18. cap. 21. v. 33. Sed et Noe post diluvium, et iam ipse Abel, atque Cain statim in primordio ipsius mundi Deum coluerunt sacrificiis. Ex quo illud deducitur patriarchas illos, cum nondum etiam Lex Israelitis fuisset data; tamen ductu solius

lius rationis observavisse, Deum externo etiam cultu, atque externis officiis Religionis sibi esse colendum. Quod moderni Deistae, et qui omnia ad decempedam rationis in Religione trutinare volunt, tamen nec faciunt, nec censent esse faciendum.

CAPUT XXXIV.

Sichem filius Hemor vi rapit, ac violat Dinam Jacobi filiam, cuiusque nuptias cum postea expetivisset, conditionemque, si Sichimitae omnes circumciderentur, Dinae fratres posuissent; iidem postea Sichimitas universos trucidant, et civitatem eorum depopulantur.

1. *EGRESSA est autem Dina filia Liae, ut videret mulieres regionis illius.* 2. *Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevaei princeps terrae illius, adamavit eam, et rapuit, et dormivit cum illa vi opprimens virginem.* 3. *Et conglutinata est anima eius cum ea, tristemque delinivit blanditiis.* 4. *Et pergens ad Hemor patrem suum, accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem.* 5. *Quod cum audisset Jacob absentibus filiis, et in pastu pecorum occupatis, siluit, donec redirent.* 6. *Egresso autem Hemor patre Sichem, ut loqueretur ad Jacob,* 7. *ecce filii eius veniebant de agro, auditoque, quod acciderat, irati sunt valde, eo quod foedam rem operatus esset in Israel, et violata*

filia Jacob rem illicitam perpetrasset. 8. *Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhaesit anima filiae vestrae: date eam illi uxorem,* 9. *et iungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite.* 10. *Et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est; exercete, negotiamini, et possidete eam.* 11. *Sed et Sichem ad patrem, et ad fratres eius,* ad Dinae videlicet patrem, et fratres *ait: inveniam gratiam coram vobis, et quaecunque statueritis dabo:* 12. *augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam, quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem.* Jam supra ad cap. 29. v. 30. dictum, atque hoc ipsum pro exemplo adhibitum est fuisse antiquitus morem, ut viri uxores dotarent. Insuper vero munera largiebant earum cognatis, eiusque rei exemplum est Gen. 24. v. 53. in servo Abrahae, quando Isaaco Rebeccam petebat uxorem.

13. *Responderunt filii Jacob Sichem, et patri eius in dolo saevientes ob stuprum sororis:* 14. *non possumus facere, quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum, et nefarium est apud nos.* 15. *Sed in hoc valebimus foederari, si volueritis esse similes nostri, et circumcidatur in vobis omnis masculini sexus.* 16. *Tunc dabimus, et accipiemus mutuo filias vestras, ac nostras, et habitabimus vobiscum, erimusque unus populus.* 17. *Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, et recedemus.*

18. *Placuit oblatio eorum Hemor, et filio eius,* 19. *nec distulit adolescens, quin statim, quod petebatur, expleret. Amabat enim puellam valde, et ipse erat inclytus in omni domo patris sui.* 20. *Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum:* in portis urbium consvevisse antiquitus, et magistratus cogi, et publicos populi conventus celebrari iam ad capitis 19. v. 1. demonstratum est, atque adeo portae urbium, idem quod Romanis postea forum erat: ibi igitur Hemor, et Sichem, id quod petebatur a filiis Jacob, populo proposuerunt. 21. *Viri isti pacifici sunt, et volunt habitare nobiscum: negotientur in ea, et exerceant eam, quae spatiosa, et lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus uxores, et nostras illis dabimus.* 22. *Unum est, quo differtur tantum bonum: si circumcidamus masculos nostros ritum gentis imitantes,* 23. *et subsantia eorum, et pecora, et cuncta, quae possident, nostra erunt. Tantum in hoc acquiescamus, et habitantes simul unum efficiamus populum.* 24. *Assensique sunt omnes circumcisis cunctis maribus.* 25. *Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis duo filii Jacob Simeon, et Levi fratres Dinae gladiis ingressi sunt urbem confidenter, interfectisque omnibus masculis* 26. *Hemor, et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.* Tantam stragem tot hominum, quot mares in una civitate esse potuerunt, vix patrare poterant duo adolescentes. Armaverunt igitur, et

in societatem sui facinoris assumpserunt servos, et familiam domesticam. „Multitudo enim non parva „erat cum Jacob, ait S. Augustinus Quaest. 108. „in Genes. qui plurimum ditatus fuit; sed filii eius „in hoc facto nominantur, quia eiusdem facti prin-„cipes, atque auctores erant.“

27. *Quibus egressis irruerunt super occisos ceteri filii Jacob, et depopulati sunt urbem in ultionem stupri,* 28. *oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes, quae in domibus, et in agris erant:* 29. *Parvulos quoque eorum, et uxores duxerunt captivas.* 30. *Quibus patratis audacter, Jacob dixit ad Simeon, et Levi: turbastis me, et odiosum fecistis me Chananaeis, et Pherezaeis habitatoribus terrae huius. Nos pauci sumus: illi congregati percutient me, et delebor ego, et domus mea.* 31. *Responderunt: numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?* Erat in hoc facto multiplex deformitas: primo, quod privato consilio, et insciente patre, idque proculdubio quod non dubitarent prohibiturum illum, si rescivisset, tantam stragem ediderint: nam etsi res flagitiosa erat; tamen hanc vindicare ad Jacobum, qui Dinae pater erat, non ad ipsos pertinebat; deinde quod tot innocentes una cum noxiis interfecerint; denique, quod ipsam circumcisionem, quem ipsi sanctum, atque religiosum ritum habebant, ad perpetrationem istius facinoris subleste adhibuerint. Judith tamen celebrat hoc factum Simeonis, a quo ipsa genus duxerat. „Domine Deus patris

„ mei Simeon, inquit, qui dedisti illi gladium in de-
„ fensionem alienigenarum, qui violatores exstite-
„ runt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur
„ virginis in confusionem, et dedisti mulieres illo-
„ rum in praedam, et filias illorum in captivita-
„ tem, et omnem praedam in divisionem servis
„ tuis, qui zelaverunt zelum tuum.“ Judith. 9. v. 2. Sed quamquam Judith mulier sancta fuerit, atque Dei viribus mirabiliter adiuta ad patrandum illud facinus, quo interfecit Holofernem, suisque salutem tulerit; tamen propterea non debent ipsius verba haberi Divinitus inspirata. Fuerit illa sane in hac de Simeone, atque Levi, reliquisque eorum fratribus persvasione esse laudandum hoc illorum factum propter suum zelum, quo exarserunt ad vindicandum illud, quod erat patratum flagitium; minime tamen praeiudicare ipsius haec opinio potest iudicio Jacobi, qui non tantum factum hoc e vestigio reprehendit, verum etiam, cum moriturus filiis suis benediceret, futuraque iis annunciaret, in quo Dei Spiritu fuisse eum tum usum, atque locutum extra dubium est, duos filios Simeonem, et Levi vocavit: *Vasa iniquitatis bellantia* Gen. 49. v. 5.

CAPVT XXXV.

Jacobum iubet Deus in Bethel habitatum ire atque altare ibi exstruere. Moritur in Bethel Debora nutrix Rebeccae. Jubet rursus Deus Jacobum vocari Israel, et confirmat illi, quas ante fecit, promissiones. In via versus Ephratam, dum pareret Benjaminum, moritur Rachel. Ad locum, qui turris gregis dictus est, habitatione translata Ruben natu maximus Jacobi filius cum Bala eius concubina concumbit. Moritur Isaac, annos natus centum octoginta.

1. *INTEREA locutus est Deus ad Jacob: surge, et adscende Bethel, et habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum.* 2. *Jacob vero convocata omni domo sua ait: abiicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* 3. *Surgite, et adscendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meae, et socius fuit itineris mei.* „ Significans „ forte deos Laban, ait S. Chrysostomus hom. 59. „ in Gen. quos Rachel subtraxerat. " Nam cum certum sit hinc fuisse apud aliquos, in domo Jacob, idola; tamen obscurum manet, istane eadem fuerint, quae Rachel a patre suo abstulit; vel quae in direptione urbis Sichem, fortasse propter auream illorum, et argenteam materiam sibi reservarunt: paeterea propter hanc ipsamne causam il-

la asservaverint, vel vero reipsa illa etiam coluerint: eo, quod Scriptura istud non explicet. Lotio autem vestium, quin ipsius etiam totius corporis erat lege etiam Israelitis postea praecepta in istiusmodi casibus, cum aut sacrificarent, aut ad festam actionem se se componerent: Exod. 19. v. 10. Lev. 15. v. 13. quin apud ipsos quoque gentiles obtinuerat consvetudo, ut togis puris, dum sacrificabant, uterentur, ut auctor est Festus. 4. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, et inaures, quae erant in auribus eorum. At ille infodit eas subter terebinthum, quae est post urbem Sichem. Elon* est in Hebraeo pro terebintho, quod Latinus Interpres convallem Gen. 13. v. 18. Septvaginta illic quercum, alias aliter etiam, atque pro alia specie arboris vertunt.

5. *Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.* Dei terror, et ex eo potuit dici, quod a Deo immissus illis sit, ne se auderent movere; vel vero Dei terror pro eo est positus, qui alias diceretur terror maximus, Dei vocabulo adhibito per metaphoram ad significationis efficiendum gradum maximum: quemadmodum profundissimus somnus, quo oppressus erat Saul cum suis militibus sopor Domini etiam adpellatur 1. Reg. 26. v. 12. 6. *Venit igitur Jacob Luzam, quae est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse, et omnis populus cum eo.* 7. *Aedificavitque ibi altare, et adpellavit nomen loci illius: Domus Dei.*

Ibi enim adparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum. Domus Dei, ut iam demonstratum superius est, idem est, quod Hebraicum Bethel. Jam vero prius capitis 28. v. 19. cum haec Dei adparitio ei fuisset facta, locum illum isto nomine compellaverat. Hoc igitur, quod modo dicitur, locum illum sic denominasse, non illud significat, quasi nunc primum nomen istud illi loco indidisset; sed quod nomen a se iam antea illi inditum, nunc rursus renovaverit, confirmaveritque. Per erectionem vero altaris reliquus etiam Religionis cultus, propter quem altare fit, et sacrificatio debet intelligi. Et probabiliter nunc suum etiam votum Jacob exsolvit, quod isto in loco fecit, cum iret in Mesopotamiam. Gen. 28. v. 20. Nam ubi illud exsolverit, Scriptura nusquam dicit. Certe autem tam religiosus vir fidem, quam Deo dedit, non fefellit.

8. *Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccae, et sepulta est ad radices Bethel subter quercum, vocatumque est nomen loci illius Quercus fletus.* 9. *Apparuit autem iterum Deus Jacob, postquam reversus est de Mesopotamia Syriae, benedixitque ei,* 10. *dicens: non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum Israel.* „Quamquam iam pridem hoc nomen ei dederat, verba sunt S. Chrysostomi hom. „60. in Gen. cum transiret in Jaboc (supra cap. „32. v. 28.) verum maioribus indiciis certiorem „volebat Justum reddere, et nunc eamdem benedictionem ei dat.“ Sicut ergo Deus benedictio-

nem, quam ante Jacobo dederat, repetit; sic nominis quoque mutationem iam prius factam rursus renovat, atque confirmat. 11. *Dixitque ei: ego Deus omnipotens, cresce, et multiplicare: gentes, et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur,* 12. *Terramque, quam dedi Abraham, et Isaac, tibi dabo, et semini tuo post te:* 13. *et recessit ab eo.* 14. *Ille vero erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus libans super eum libamina, et effundens oleum,* 15. *vocansque nomen loci illius Bethel.* Pro titulo rursus est in Hebraeo vocabulum *Matzebah*, quo altare etiam significari iam ad cap. 28. v. 18. demonstratum est. Pro libamine itidem in Hebraeo est *Nesech* (נֶסֶךְ) quod liquoris cuiusdam effusionem significat: vel ergo generaliter libamen prius dictum est, quod postea in specie declaratur fuisse oleum; vel vero aliquis alter liquor, verbi gratia vinum, affusus praeterea est, idque erat libamen.

16. *Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quae ducit Ephratam.* In Hebraeo: *et erat adhuc kibrath terrae* (כִּבְרַת־הָאָרֶץ) *ad veniendum in Ephrath.* Dissidium vero est inter Interpretes de *Chibrath*, quidnam adcurate significet. Ter illud non nisi positum est in Scriptura: hic, deinde infra cap. 48. v. 7. ac denique 4. Reg. 5. v. 19. S. Hieronymus bis illud Latine vertit: *Verno tempore*, semel: *Electo terrae tempore.* Septvaginta autem Interpretes in hoc Geneseos praesenti loco ipsum Hebraicum vocabulum retinuerunt,

atque pro nomine proprio posuerunt, Chabratamque dixerunt; alias hippodromum, quod spatium significat, quantum equus decurrit in palaestra equestri, verterunt. Etiam Aquila ad iter, et ad spatium quoddam viae, non ad tempus hoc retulit. Sic enim hoc vertit: κατά ὁδὸν τῆς γῆς *Secus viam terrae.* Ad eumdem modum Hebraei etiam doctores vocabulum istud intelligunt de spatio quodam non temporis, sed loci, illudque definiunt spatium esse passuum ducentorum viginti. Atque Eusebius, et S. Hieronymus de Locis Hebraicis sepulchrum hoc omnino affirmarunt esse in Bethlehemi vicinia. Nam Ephratam eamdem esse, quae fuit Bethlehem, paulo post infra hoc adhuc capite sequetur. *In qua cum parturiret Rachel,* 17. *ob difficultatem partus periclitari coepit. Dixitque ei obstetrix: noli timere, quia et hunc habebis filium.* 18. *Egrediente autem anima prae dolore, et imminente iam morte vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei. Pater vero adpellavit eum Benjamin, id est filius dexterae.* 19. *Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quae ducit Ephratam: haec est Bethlehem.* 20. *Erexitque Jacob titulum super sepulchrum eius.* Titulus Hebraice est *Matzebah,* de qua voce iam superius dictum est ad cap. 28. v. 18. significari generali illius notione monumentum, atque id, quod memoriae alicuius caussa constituitur. Bochartus in descriptione Terrae Sanctae docet fuisse elegantissimam pyramidem, quam ipse suis adhuc oculis viderit aedificatam su-

per Rachelis sepulchrum. *Hic est titulus monumenti Rachel usque in praesentem diem.*

21. *Egressus inde fixit tabernaculum trans Turrem gregis.* Erat hic locus pascuosus, quo se contulit Jacob cum suis gregibus in vicinia Bethlehem. Consveverant autem pastores editum sibi quemdam locum exstruere, unde prospicere in omnes partes possent, atque praecavere pericula, quae accidere possent gregi vel a feris belluis, vel a furibus. Ab insigni eiusmodi pastorum specula nomen adhaesit postea illi pascuo. Atque hunc eumdem locum, atque campum S. Hieronymus in Quaest. Hebr. censet esse, in quo pastoribus angeli adparuerunt, quando illis nuncium de nato Servatore attulerunt. 22. *Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, et dormivit cum Bala concubina patris sui: quod illum minime latuit.* Calvinus isto loco Sanctissimum patriarcham Jacobum non dubitat accusare, in crimenque vocare, quod dissimulator fuerit gravissimi facinoris. Quam deinde criminationem, et quasi Jacob reipsa factum hoc sui filii dissimulavisset, atque ut hoc in meliorem partem trahant, negotium sibi dant plures ex interpretibus Catholicis. At vero Calvino, si accusatoris partes suscepit, prius probandum est, dissimulationem a Jacobo factam esse. Unde vero hoc probabit? Nam Scriptura, isthic quidem in hoc loco, nec in unam, nec in alteram partem quidquam affirmat, aut negat. Ergone consequentia est Jacobum istius criminis dissimulatorem fuisse, quia hic modo Scri-

ptura nihil de eo nec in unam, nec in alteram partem dicit? Scripturane Sacra omnia minutatim semper exponit? Nonne tacente etiam Scriptura hoc in loco, quoniam illud in alio, Genesis videlicet 29. v. 4. docet Rubenum ob hoc factum non tantum culpatum a patre suo, verum etiam punitum non mediocriter fuisse, qui, quando moriturus omnibus suis filiis benedicebat, ad hunc dixit: „Effusus „es sicut aqua, non crescas, quia adscendisti cu„bile patris tui, et maculasti stratum eius.“ Nonne ergo hinc, quoniam Scriptura alibi loquitur vindicatum hoc filii crimen a Jacobo fuisse, consequentiam rectius Calvinus fecisset, si inde ex illo loco intulisset, ne isthic quidem hoc ita taceri, quasi Sanctus Vir filii sui flagitio connivisset?

Erant autem filii Jacob duodecim. 23. *Filii Liae: primogenitus Ruben, et Simeon, et Levi, et Judas, et Issachar, et Zabulon.* 24. *Filii Rachel: Joseph, et Benjamin.* 25. *Filii Balae ancillae Rachelis: Dan, et Nephthali.* 26. *Filii Zelphae ancillae Liae: Gad, et Aser. Hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriae.* Benjamin non est natus in Mesopotamia, sed iam in Chananaea non longe ab Ephrata, ut est supra huius capitis v. 16. Sed cum plures essent ex illius filiis, qui nati ei sunt in Mesopotamia; oratio est adcommodata ad eam partem, quae potior erat. „Nulla est facilior solutio quaestionis huius, ait „S. Augustinus Quaest. 117. in Gen. quam ut per „Synecdochen dictum accipiatur. Ubi enim pars

„ maior est, aut potior; solet eius nomine etiam „ illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non „ pertinet." Atque istud cum aliis Scripturae exemplis, tum isto declarat, quod cum Hemor Dinam ab illius patre Jacobo, eiusque fratribus expetivisset filio suo Sichem uxorem, sic instituerit orationem: „ Sichem filii mei anima adhaesit filiae ve„ strae" (supra 34. v. 8.) etsi unius tantum Jacobi esset filia, ceterorum vero soror. Sed quoniam Jacob inter eos, a quibus petebatur, fuerit auctoritate praecipuus, utpote pater, cuius erat illam dare, vel denegare; ceteri autem, qui fratres erant, solummodo adiuvare possent hunc consensum, ideo in sermone, qui communiter ad Dinae patrem, et fratres erat pronunciatus, illam filiae nomine fuisse compellatam propter respectum ad patrem, qui etsi unus, tamen potior fuerit reliquis omnibus.

27. *Venit etiam ad Jsaac patrem suum in Mambre civitatem Arbee. Haec est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham et Isaac.* 28. *Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.* 29. *Consumptusque aetate mortuus est, et appositus est populo suo senex, et plenus dierum, et sepelierunt eum Esau, et Jacob filii sui.* Isaac in Bersabea tunc habitavit, quando Jacobus benedictione ab eo accepta profectus est in Mesopotamiam. Gen. 28. v. 10. Quare interea rursus domicilium suum mutaverat Isaac, Hebronemque erat reversus, et fortasse, ut quoniam paternum ibi haberet sepulchrum, facilius ipse quoque in eo

condereter, si ibi moreretur. Cum Jacob viginti annis abfuerit in Mesopotamia Gen. 31. v. 38. atque Isaac in illius discessu centum, et triginta septem aetatis annos habuerit, ut hoc ad initium capitis 27. demonstratum supra est; sequitur Isaacum tum, cum redibat ex Mesopotamia Jacob, natum fuisse annos centum, et quinquaginta septem; ac proinde annis illum adhuc vixisse post reditum Jacobi viginti et tribus. Totone ergo hoc spatio Jacob non invisisset suum parentem, et tantumne, ut morienti adesset, mortuoque parentaret, ad eum modo venisset? Ne hoc quidem de obitu Isaaci secundum seriem temporis adcurate est positum. Nam, quae venditio Josephi postea adhuc narrabitur, prius accidit, quam moreretur Isaac. Nam cum centesimo trigesimo septimo aetatis Isaac anno Jacob in Mesopotamiam profectus sit, ibique post bis septem servitutis annos (Gen. 30. v. 25.) Josephum filium susceperit, Joseph autem sedecim annos habuerit, quando venditus a fratribus suis est (infra cap. 37. v. 2.) istis sedecim, et superioribus quatuordecim annis additis ad eam aetatem Isaaci et ad illos centum triginta septem annos, quos tum habuit, quando Jacob ab eo discessit in Mesopotamiam, consequitur, eumdem Isaac aetatis annum sexagesimum septimum supra centesimum egisse tum, quando venditus est Joseph, atque non tantum ipsum nondum esse mortuum, verum etiam superstitem adhuc fuisse postea annis tredecim. Sicut ergo hoc non suo ordine, quoad seriem temporis in Historia

positum est, et narratum; ita ne illud quidem, quod ad Isaacum patrem suum Jacob venerit. Ita autem unus omnibus aliis silentio praetermissis memoratur Jacobi, postquam a Mesopotamia rediit, ad Isaacum patrem adventus, tamquam qui omnium maxime sit notabilis, et memoria dignus, dum ei ultimum officium filii exsolveret. Nam Jacobum in reditu ex Mesopotamia iter suum direxisse ad Isaac patrem suum perspicue dicitur capitis 31. v. 17. „Surrexit itaque Jacob, et impositis liberis „ac coniugibus suis super camelos abiit, tulitque „omnem substantiam suam, et greges, et quid„quid in Mesopotamia acquisierat pergens ad Isaac „patrem suum in terram Chanaan.“

CAPVT XXXVI.

Esavi uxores, atque filii, ulterioresque posteri describuntur, ipsumque Esau propter gregum, et facultatum amplitudinem sucessisse ab Jacobo, et habitatum ivisse ad montem Seir, ubi Idumaeorum postea ab illo propagata natio est.

1. *HAE sunt autem generationes Esau, ipse est Edom.* 2. *Esau accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethaei, et Oolibama filiam Anae filiae Sebeon Hevaei,* 3. *Basemath quoque filiam Ismael sororem Nabajoth.* Tres uxores Esau iam etiam superius memoratae sunt, sed quae

ibi nomina illarum posita sunt, discrepant ab his, quae ponuntur hic. Nam duae priores vocantur: *Judith filia Beeri Hethaei*, et *Basemath filia Elon*; Gen. 26. v. 34. tertia vero *Máheleth filia Ismael soror Nabajoth*. Gen. 27. v. 9. Cum vero certum sit non alias illas, et alias has fuisse Esavi uxores, quod Moyses totam Esavi progeniem exponendo non plures, quam numero tres dicat fuisse illius uxores; et quod in duabus utrobique parentum quoque nomina conveniant; consequens est solam tantum hanc nominum discrepantiam esse, atque hanc inde debere esse, quod personae sive uxorum Esavi, sive earum parentum, in quibus nominum haec diversitas est, reipsa binomiae fuerint. Duae deinde priores uxores cum priore Geneseos loco ambae dicantur fuisse Hethaeae; hic earum altera dicitur tantum Hethaea, altera vero Hevaea. Nempe, cum Chananaeae istae gentes omnes inter se fuerint cognatae; nomina quoque inter eas permutantur, et Hevaeus pro Hethaeo aut vicissim usurpatur: prout subsequentis capitis v. 25, 28. illi etiam quibus Joseph est venditus iam Ismaelitae, iam Madianitae vocantur propter generis eamdem propinquitatem, qui utrique genus duxerint ab Abraham, qui pater fuit Ismaelis, et Madian. Gen. 25. v. 2. 12. Insuper in versiculo isthic secundo, quoniam constat ex versiculo inferius 24. Anam, cuius filia nomine Oolibama una erat ex uxoribus Esau, filium fuisse non filiam Sebeonis; haec, quae in hoc versu 2. filia Sebeonis vocatur non fuit Ana, verum Oolibama;

Oolibama; quae filia Sebeonis etiam nominatur, hoc est neptis, ex cuius filio Ana ipsa videlicet esset prognata.

4. *Peperit autem Ada Eliphaz; Basemath genuit Rahuel; 5. Oolibama genuit Jehus, et Ihelon, et Core. Hi filii Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan. 6. Tulit autem Esau uxores suas, et filios, et filias, et omnem animam domus suae, et substantiam, et pecora, et cuncta, quae habere poterat in terra Chanaan, et abiit in alteram regionem, recessitque a fratre suo Jacob. 7. Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum prae multitudine gregum, 8. habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom.* Haec altera fuit Esavi ad montes Seir habitandi causa demigratio. Nam iam antea ipsum ibi habitavisse, antequam Jacob reverteretur ex Mesopotamia, perspicuum est ex capitis 32. v. 3. quando Jacob revertens nuncios de suo reditu ad Esau misit ad terram Seir. Sed, quando tunc Esau se eo contulerit, nuspiam in Scriptura dicitur. Neque tunc adhuc cum Jacob extra paternam domum coniunctim alicubi habitaverat, ut propter familiae, rerumque suarum amplitudinem simul habitare non potuerint, cum Jacob nonnisi in Mesopotamia apud Labanum proprias facultates habere coeperit. Erat igitur Esau reversus ex Seir in Chananaeam vel tunc, cum extrema officia persolvisset patri; vel iam etiam antea, et coniunctim cum fratre suo habitaverat: iterum autem deinde se

separavit, atque ad montes Seir rediit. Ac illud videtur magis verisimile mortuo patre, cum paternam haereditatem simul adivissent, habitasse illos etiam aliquamdiu simul, postea vero separationem ab se fecisse propter facultatum, et gregum multitudinem.

9. *Hae autem sunt generationes Esau patris Edom;* id est, patris Idumaeorum, *in monte Seir.*
10. *Et haec nomina filiorum eius: Eliphaz filius Ada uxoris Esau; Rahuel quoque filius Basemath uxoris eius.* 11. *Fueruntque Eliphaz filii: Theman, Omar, Sepho, et Gatham, et Cenez.* 12. *Erat autem Thamna concubina Eliphaz filii Esau, quae peperit ei Amalech. Hi sunt filii Ada uxoris Esau.* 13. *Filii autem Rahuel: Nahath, et Zara, Samma, et Meza: hi filii Basemath uxoris Esau.*
14. *Isti quoque erant filii Oolibama filii Anae, filiae Sebeon uxoris Esau, quos genuit ei: Jehus, et Ihelon, et Core.* 15. *Hi duces filiorum Esau: filii Eliphaz primogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez,* 16. *dux Core, dux Gatham, dux Amalech: hi filii Eliphaz in terra Edom, et hi filii Ada.* 17. *Hi quoque filii Rahuel filii Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza: hi autem duces Rahuel in Terra Edom, isti filii Basemath uxoris Esau.* 18. *Hi autem filii Oolibama uxoris Esau: dux Jehus, dux Ihelon, dux Core; hi duces Oolibama filiae Anae uxoris Esau.*
19. *Isti sunt filii Esau, et hi duces eorum: ipse est Edom.* 20. *Isti sunt filii Seir Horraei habitato-*

res terrae: Horraei erant, qui a quodam Seir genus, et originem duxerunt, qui in monte Seir prius habitarunt, quam Esavi posteri pro se eumdem montem occupavissent, quod illi fecerunt Horraeis pristinis incolis partim pulsis, partim deletis, ut est Deuteronomii 2. v. 12. Horum igitur etiam stirpem isthic Moyses describit, atque narrationi interponit docendi causa, qui montis Seir incolae ante Idumaeos fuerint.

Erant vero, ut sequitur, isti: *Lotan, et Sobal, et Sebeon, et Ana,* 21. *et Dison, et Eser, et Disan: hi duces Horraei filii Seir in terra Edom.* 22. *Facti sunt autem filii Lotan: Hori, et Heman, erat autem soror Lotan Thamna.* 23. *Et isti filii Sobal: Alvan, et Manahat, et Ebal, et Sepho, et Onam.* 24. *Et hi filii Sebeon: Aja, et Ana. Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinas Sebeon patris sui.* Pro aquis calidis in Hebraeo vocabulum est *Jemim* (הַיֵּמִם), quod in antiquis etiam Versionibus alii aquas, alii mulos interpretantur. Etsi vero aquas easque calidas, nam in Hebraeo epitheton nullum est, S. Hieronymus verterit; tamen in Quaestionibus Hebraicis sic pronunciat, cum varias istius vocabuli interpretationes posuisset „Plerique, in„quit, putant, quod equarum greges ab asinis in „deserto ipse fecerit primus adscendi, ut mulorum „inde nova contra naturam animalia nascerentur.“ Atque haec altera interpretatio videtur veri similior propterea, quod, etsi raritas aquarum in illis

Arabiae desertis summa sit; non harum tamen inventarum tanta fuisset novitas. Neque enim sine aquis vel pasci ibi greges potuissent. Deinde, quoniam Ana iste asinas tum dicitur pavisse, cum istam inventionem fecit, quae tanquam nova, atque insolita isthic proponitur, atque cum hac ipsa illius actione, pascendisque asinabus mulorum productio habeat coniunctionem, et ab Hebraeis pro mulo etiam vocabulum illud *Jemim* sumatur; haec inquam altera interpretatio videtur esse anteponenda. 25. *Habuitque filium Dison, et filiam Oolibama.* 26. *Et isti filii Dison: Hamdan, et Eseban, et Jethram, et Charan.* 27. *Hi quoque filii Eser: Balaan, et Zavan, et Acan.* 28. *Habuit autem filios Disan: Hus, et Aram.* 29. *Hi duces Horraeorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,* 30. *dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horraeorum, qui imperaverunt in terra Seir.*

31. *Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel fuerunt hi:* 32. *Bela filius Beor, nomenque urbis eius Denaba.* 33. *Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Jobab filius Zarae de Bosra.* 34. *Cumque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.* 35. *Hoc quoque mortuo regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Maab, et nomen urbis eius Avith.* 36. *Cumque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masreca.* 37. *Hoc quoque mortuo regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth.* 38.

Cumque et hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor. 39. *Isto quoque mortuo regnavit pro eo Adar, nomenque urbis eius Phau, et adpellabatur uxor eius Meetabel, filia Matred filiae Mezaab.* Omnes hi simul erant reges numero octo. Sed, ut rem diligenter consideranti adparebit, etsi sibi ordine successerint; non fuisse tamen ipsos ex eadem familia: atque adeo in hac regum serie eum, qui successerat, non fuisse prioris, qui antecessit, filium. Non enim tantum quique illorum denominantur ab alia urbe, ubi scilicet patrium haberent locum; sed plures manifeste aliorum, quam is fuerat, qui in regia dignitate praecesserat, vocantur filii. Quae animadversio eo spectat, quod, quoniam in hac regum serie non filius parenti in regno successerit, sed priore mortuo alter rex factus sit non nativitatis iure, sed electione, spatium istud, quo reges isti fuerunt non tantum debeat extensum cogitari, quantum vulgo solet esse, in quo sibi succedunt septem, aut octo generationes. Nam ubi electione fiunt reges, cum eligi possint iam senes et aetate provecti, non magno temporis spatio omnes illi octo esse potuerunt reges, atque adeo duratio istius temporis, quo isti octo reges fuerunt, spatium abunde habere potest, ad id tempus, quo Israelitae habere regem coeperunt, nec regem tantum Saul, eousque enim plures quingentis annis intercesserunt, et tempus pro octo etiam generationibus, etiamsi filii parentibus semper in illa serie successissent, suppetivisset, sed quando

Israeliticus populus ad propriam politicam aliquam formam pervenit. Quod accidit primum sub Moyse, deinde sub Josue, atque ducibus, qui iam ante regem Saulem fuerunt. Nam, cum Moyses, qui hanc historiam scripsit, multo ante obierit, quam Saul, et ceteri deinde post eum reges exstiterint, certum est: Moysem hanc historiam, quatenus illa iam accidit, scribere non potuisse: confugere autem eo, ut, sicut aliquibus placet, Esdras, vel aliquis alter, istud hoc deinde inseruerit, quod Moyses videretur non ipse scripsisse, est mere arbitrarium, quod utrum sic factum sit, demonstrari non potest. Commemoravit autem hoc de Idumaeorum regibus Moyses tali ratione, atque si dicere voluisset, istos octo reges iam fuisse apud Idumaeos, fuisseque iam Idumaeis regnum, cum tale adhuc vestigium apud Israelitas nullum fuisset. Volebat nimirum docere Idumaeos ex fratre Jacobi prognatos citius esse perductos ad maturitatem sui regni quam Israelitas, etsi parentes utriusque istius nationis fuissent gemini fratres. Regis ergo nomen, dum hoc de Israelitis modo usurpatur, non sic stricte, qui istud ipsum nomen apud eos gererent, sed pro sola auctoritate gubernandi, atque regendi ponitur. In qua, quid Moysi, quid Josue, aliisque defuit, qui Judices fuerunt, quod non regium excepto titulo esset? Deinde, cum Moyses scripsit Idumaeis ante fuisse reges, quam Israelitis, etsi ipse vivendo non attigit id tempus, quo tales, qui reipsa reges nominarentur, Israelitis fuerunt; repu-

gnabatne tamen scribi, aut non apte poterat ab eo dici, qui viveret, quando Israelitae nondum tales habuerunt reges; Israelitis nondum esse tales reges, etsi Idumaeis, quorum origo non esset antiquior, tales iam reges essent.

Post octo istos, qui prius enumerati sunt Idumaeorum reges, iterum successerunt duces. 40. *Haec ergo nomina ducum Esau in cognationibus, et locis, et vocabulis suis: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, 41. dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 42. dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, 43. dux Mabdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperii sui: ipse est Esau pater Idumaeorum.* Nec isti duces iam auctoritatem exercuerunt in totam Idumaeam, sed in aliquam tantum eius partem, atque certam civitatem. Dicuntur enim duces tantum fuisse *in cognationibus, et locis, et vocabulis suis*, hoc est: locis, quae ipsorum nominibus adpellabantur. Atque talis Idumaeae status erat tum, quando Israelitae duce Moyse egressi sunt ex Aegypto, qui in suo Carmine post transitum maris Rubri sic cecinit: „Tunc conturbati sunt principes Edom.“ Exod. 15. v. 15. Qui ergo ante habuerunt reges, postea inter plures duces diviserunt idem suum regnum, istosque nunc Moyses enumeravit, qui illo tempore duces fuerunt, quando istud ipsum scripsit.

CAPVT XXXVII.

Joseph fratres suos accusat parenti, somnia videt de futura sua magnitudine: fratres volentes illum primo occidere, vendunt postea mercatoribus Ismaelitis, qui illum ferunt in Aegyptum, et Putiphari eunucho Pharaonis vendunt.

1. *HABITAVIT autem Jacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est.* Hebron is locus erat, ut hoc infra ex versu 14. perspicuum fit. Nempe, cum Isaac pater in Hebron mortuus fuisset, ut est superius cap. 35. v. 27. in eodem loco deinde post patrem habitandi causa mansit, coniunctimque aliquamdiu cum Esau ibi habitavit: sed qui ab eo se separavit, atque in Seir se recepit, ut est ad superioris capitis v. 6. demonstratum. Nec memoratur uspiam Jacob alio hinc se contulisse, donec cum tota sua domo profectus fuisset in Aegyptum. 2. *Et hae sunt generationes eius:* non ipsam generationem, et liberos ab eo generatos nunc recenset; sed tantum natorum illius vicissitudinem, atque quid inter se egerint, proponit. Itaque generatio non pro genealogia, et filiorum enumeratione hic ponitur, sed pro generationis, et istorum, qui ab Jacobo generati sunt, statu. *Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer:* Non tantum Hebraeus, verum etiam Septvaginta, et omnes an-

tiquae Orientales versiones habent Josephum non sedecim, sed septemdecim fuisse annorum. Vulgata tamen, et Latina nostra Versio sic conciliari cum illis potest, ut hoc quod ista habet, intelligatur de sedecim annis a Josepho iam transactis, decimum vero septimum aetatis annum tunc tantum adhuc Joseph egerit, necdumque expleverit: *Et erat cum filiis Balae, et Zelphae uxorum patris sui, accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Septvaginta Interpretes habent non quod ab Josepho fratres, sed a fratribus suis Joseph accusatus sit patri. At vero cum Latina nostra Versione convenit non tantum Hebraeus, verum etiam Chaldaeus, Samaritanus, Syrus, et Arabs, multum ergo praeponderat ista nostra lectio, et illi Graecae anteponenda est. De crimine autem illo, qualenam fuerit, de quo fratres suos patri accusavit Joseph, bene Estius monet, curiosius inquirendum non esse, cum illud Scriptura reticendum putaverit.

3. *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo, quod in senectute genuisset eum:* Hebraeus habet: *quia erat filius senectutis ei* (כִּי־בֶן־זְקֻנִים הוּא לוֹ) pro quo filio senectutis Chaldaeus posuit: *Filius sapiens*, remque metaphorice sumpsit. Latina Versio magis secuta est proprietatem vocis. Nec duae istae causae inter se confligunt. *Fecitque ei tunicam polymitam.* Graecum hoc est vocabulum, quo Interpres Latinus usus est, et significat id, quod ex pluribus filis constat in-

ter se textis. Septvaginta verterunt: *Tunicam diversicolorem* χιτῶνα ποικίλον. 4. *Videntes autem fratres eius, quod a patre plus cunctis filiis amaretur; oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* 5. *Accidit quoque, ut visum somnium referret fratribus suis: quae causa maioris odii seminarium fuit.* 6. *Dixitque ad eos: audite somnium meum, quod vidi.* 7. *Putabam nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* 8. *Responderunt fratres eius: numquid rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuae? Haec ergo causa somniorum, atque sermonum invidiae, et odii fomitem ministravit.* 9. *Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus ait: vidi per somnium, quasi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me.* 10. *Quod cum patri suo, et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, et dixit: quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram?* 11. *Invidebant ei igitur fratres sui: pater vero rem tacitus considerabat.* Nimirum, quid res haec portenderet, apud se versabat, et ponderabat. Nec vero non clare, atque manifeste postea res patuit, cum Josepho evecto ad dignitatem proregis Aegypti, sui Josephum fratres omnes adoraverunt, quando frumenti emendi causa venerunt in Aegyptum. At difficultas est de patre, quandonam ille Josephum adoraverit. Nam,

cum is venisset in Aegyptum; tantum abest, ut se ab eo Joseph adorari permiserit; ut illi potius honoris causa, et observantiae erga patrem obviam processerit, de curru descenderit, et in amplexus illius ruerit. Gen. 46. v. 29. Magisque adhuc hoc idem obscurum est de matre ipsius Rachele, quae ne quidem iam in vivis fuerat, cuiusque mors superius capitis 35. v. 19. memorata est. Quaestio igitur est, quomodo illud, quod per solem, et lunam in somnio Josephi erat praemonstratum, impletum sit.

Quoad quidem Jacobum expediri hoc satis commode etiam sic posset, factam hanc ab eo esse adorationem erga Josephum, quando ipse per filios suos munera ad Josephum misit, atque illi proni in terram illa munera nomine sui patris Josepho obtulerunt infra cap. 43. v. 11. et 26. S. Chrysostomus docet visionis istius eventum esse impletum erga Josephum ab utroque illius parente, quando Jacob adoravit fastigium virgae illius, Gen. 47. v. 31. ut ille ibi locus non tantum a Septvaginta Interpretibus redditus Graece, verum etiam a S. Paulo ad Hebr. 11. v. 21. positus est, atque hunc illius adcuratiorem esse sensum, ibi demonstrabitur. Cum igitur id, quod a Jacobo petebatur, uti scilicet non in Aegypto, sed in Chananaea in parentis, et avi sui sepulchro mortuus conderetur, Joseph spopondisset, facturumque se iuravisset; Jacob illi tanquam proregi, in vicem grati animi, quod ille hoc promiserit, se inclinavit, filioque ho-

noris signum praestitit. „Vide, S. Chrysostomi „sunt verba hom. 66. in Gen. senem, decrepitum „patriarcham adoratione honorem in Joseph decla„rare, et reipsa implere visionis eventum. Quan„do enim narravit Joseph visionem, dixit: *num„quid ego, et mater tua veniemus, et adorabimus „te super terram?* Sed forte dixerit aliquis: et „quomodo impletum est somnium in matre, quae „iam ante defuncta erat, et filium non adoravit? „Perpetuus Scripturae mos est a magis principali „totum significare. Quoniam igitur *Caput mulieris „vir, erunt enim, inquit, duo in carnem unam* „(1. Cor. 11. v. 3. Gen. 2. v. 25.) cum adora„vit caput; manifestum est, corpus totum caput „secutum esse. Si enim pater hoc fecit, multo „magis illa, nisi ex hac vita praerepta fuisset, „hoc fecisset.“ S. Augustinus Quaest. 123. in Gen. cum ipse quoque in istius difficultatis enodatione laborasset; negotium hoc totum revocavit ad mysticum sensum, esseque hoc impletum in Christo secundum illud Apostoli ad Philippenses 2. v. 10. „In nomine Jesu omne genu flectatur cae„lestium, terrestrium, et infernorum.“ Quod etsi in mystico sensu verum esse dubitandum non est, ut quemadmodum Josepho sui fratres ex malevolentia, atque odio necem machinati sunt, eumque in cisternam, ubi moreretur, proiecerunt, cumque inde, velut e faucibus mortis, atque sepulchri protractus esset, et ad proregis dignitatem evectus, adoraverunt; ita quoque ab Judaeis Christus,

de quo David in illius persona dicit: Psal. 68. v. 9. „Extraneus factus sum fratribus meis, et pere-„grinus filiis matris meae“ sit et odio habitus, et neci traditus: et qui illum nihilominus postea adoraverint, quando post ipsius in caelum adscensionem, Christum esse agnoverunt, et fidem susceperunt multa ex illis millia: et qui se se ex illis submittere noluerunt; in die extremi iudicii adoraturi tamen adhuc illum sint, quando ipsi flectetur omne genu: quod tunc futurum esse, quando ante tribunal Christi omnes stabimus, docet S. Paulus ad Rom. 14. v. 11. cuiusque ipsam etiam venditionem praefiguraverit Joseph a suis fratribus venditus; tamen, quoniam, quae in Christo evenerunt, vel adhuc evenient, adumbrata per Josephum typice sint, typusque eorum Joseph fuerit; necesse fuit, ut quae res per somnia ipsius praemonstrata est, etiam erga illum impleretur, atque adeo illa adoratio a patre, atque matre illi quoque praestaretur, et exhiberetur. Quod, quomodo impletum sit, ut adhuc magis declaretur, considerandum est, quod sicut duplex Pharaonis somnium primum de vaccis, deinde de spicis (Gen. 41. v. 25.) quibus rebus futura primum ubertas, deinde vero sterilitas portendebatur, ad unam, eamdemque significandam rem spectaverat; ita duplex quoque Josephi somnium primum de undecim manipulis, deinde de totidem stellis una cum sole, et luna ad eamdem rem significandam, et ad Josephi dignitatem, et dominatum praemonstrandum pertinuisse. In utroque

nimirum somnio ista erat futurae rei quaedam generalis delineatio, quod tota illius cognatio, paternaque domus tota, atque familia ex ipsius regia dignitate pensura aliquando sit. Sicut ergo per undecim manipulos, et totidem numero stellas non soli illius fratres, sed cum his ipsorum etiam liberi, qui in Aegypto Josepho etiam suberant, comprehendebantur; ita per solem quidem unus Jacob pater, per lunam autem non determinate una Rachel, sed generaliter omnes Jacobi uxores Israeliticae stirpis, atque familiae quasi una parens, atque mater sunt comprehensae, et repraesentatae.

12. *Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem,* 13. *dixit ad eum Israel: fratres tui pascunt oves in Sichimis.* Agrum ibi habebat emptum Jacob Gen. 33. v. 19. *Veni, mittam te ad eos. Quo respondente:* 14. *praesto sum, ait ei: vade, et vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora, et renuntia mihi, quid agatur. Missus de valle Hebron venit in Sichem.* 15. *Invenitque eum vir errantem in agro, et interrogavit, quid quaereret.* 16. *At ille respondit: fratres meos quaero: indica mihi, ubi pascant greges.* 17. *Dixitque ei vir: recesserunt de loco isto; audivi autem eos dicentes: eamus in Dothain.* Ab Hebron Sichem, quo Joseph erat a patre missus Septemtrionem versus spectabat, atque triginta fere millibus passuum distabat: inde vero adhuc magis ad eamdem plagam, ulteriusque duodecim circiter millibus passuum erat Dothain. *Perrexit er-*

go Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain. 18. *Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere.* 19. *Et mutuo loquebantur: ecce somniator venit.* 20. *Venite occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem, dicemusque: fera pessima devoravit eum, et tunc adparebit, quid illi prosint somnia sua.* 21. *Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat:* 22. *non interficiatis animam eius, nec effundatis sangvinem; sed proiicite eum in cisternam hanc, quae est in solitudine, manusque vestras servate innoxias. Hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo.* 23. *Confestim igitur, ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari, et polymita,* 24. *miseruntque eum in cisternam veterem, quae non habebat aquam.* 25. *Et sedentes, ut comederent panem, viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stacten in Aegyptum.* Galaad regio ab Chananaea ad Orientem spectat, de qua iam superius fuit sermo: ubi Jacob cum Labano fecit foedus. Gen. 31. v. 23. Resina, et stacten sunt stillationum genera ex odoriferis arboribus, ex myrrha praesertim, et quae ab Aegyptiis adhibebantur vel ad medicinam, vel ad condienda etiam mortuorum corpora.

26. *Dixit ergo Judas fratribus suis: quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, et*

celaverimus sangvinem ipsius? 27. *Melius est, ut venumdetur Ismaelitis, et manus nostrae non polluantur. Frater enim, et caro nostra est.* Qui modo Ismaelitae, statim postea alio nomine Madianitae adpellantur. Cuius rei ratio iam ad superioris capitis v. 3. data est propter harum duarum nationum vel generis, vel etiam loci propinquitatem. *Acquieverunt fratres sermonibus illius,* 28. *et praetereuntibus Madianitis negotiatoribus extrahentes eum de cisterna vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis.* Siclis videlicet argenteis; cuius valorem efficere nostros circiter cruciferos quadraginta iam alibi demonstratum est. *Qui duxerunt eum in Aegyptum,* 29. *Reversusque Ruben ad cisternam non invenit puerum,* 30. *et scissis vestibus pergens ad fratres suos ait: puer non comparet, et ego quo ibo?* 31. *Tulerunt autem tunicam eius, et in sangvine haedi, quem occiderant, tinxerunt,* 32. *mittentes, qui ferrent ad patrem, et dicerent: hanc invenimus. Vide, utrum tunica filii tui sit, an non.* 33. *Quam cum agnovisset pater, ait: tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* 34. *Scissisque vestibus, indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore.* Pro cilicio in Hebraeo saccus est (שַׂק) eratque hoc vestis genus arctum, atque asperum ex pilis caprarum contextum. Quod cum in Cilicia praesertim, quae provincia Asiae est, a plebeis usurparetur, et infimae sortis hominibus; inde nomen ipsi quoque cilicii adhaesit. Ab aliis autem propter suam vilitatem

vilitatem in luctu adhibebatur, vel poenitentia: ut Ninivitae saccis induti sunt, quando ad praedicationem Jonae egerunt poenitentiam. Jonae 3. v. 8.

35. *Congregatis autem cunctis liberis eius, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: descendam ad filium meum lugens in infernum.* Certe Jacob non credidit filium suum Joseph ad locum, ubi damnati tenentur, descendisse: sed nec ipse exspectabat eo venire. Etiam inferorum nomen pro loco illo sumitur, ubi Justorum animae detinebantur: quomodo in Apostolorum Symbolo usurpatur, dum Christus dicitur descendisse ad inferos. Sed etiam pro morte, et sepulchro adhibetur: ut Isaiae 38. v. 10. „In dimi„dio dierum meorum vadam ad portas inferi" et versu ibidem 18. „Quia non infernus confitebitur „tibi, neque mors laudabit te, non exspectabunt, „qui descendunt in lacum veritatem tuam." Cum ergo primo modo infernus isthuc non quadret; relinquitur, ut alterutro alio modo accipiatur. Pro sepulchro autem videtur etiam esse planius, ut sensus sit iste: non cessabo lugere donec vivam, atque luctum istum meum mecum feram ad sepulchrum, consocierque, atque vicem eamdem mortis subeam cum Joseph. Respondebat enim istud tum Jacob, quando eam, quam sui afferre illi conabantur, respuerat omnem consolationem.

Et illo perseverante in fletu 36. *Madianitae vendiderunt Joseph in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis magistro militum.* Eunuchus Graecum

vocabulum est, quod derivatum ab εὐνὴ, et ἔχω custodem lecti significat: et quia istud officium, quo magis res vacaret periculo, eiusmodi hominibus saepissime committi consveverat, quibus adempta erat virilitas; ideo pro istiusmodi hominibus vocabulum illud vulgo usurpari coepit, tametsi qui in eunuchorum officiis essent, non semper tales, sed viri omni sua parte integri, aut uxorati etiam essent: quemadmodum vel iste etiam, de quo nunc sermo est, Pharaonis eunuchus uxorem suam habuit. In Hebraeo est vocabulum *Saris* (סָרִיס) quod vi sua castratum, latiore autem modo ob eamdem causam, quae modo dicta est, aulicum quemcunque significat. Pro magistro autem militum in Hebraeo est *Sar hatabachim* (שַׂר הַטַּבָּחִים) quod Septvaginta: ἀρχιμάγειρος verterunt. Μαγειρέυειν autem significat occidere. Quoniam autem officium occidendi gerant, et exerceant primo coci, deinde sacrificuli, tum etiam carcerum praefecti, et quibus negotium datur plectendi sontes, itemque milites erga hostes in bello; istius *Sar hatabachim* varia etiam potest esse intelligentia; eoque magis, quod vario isto modo in Scriptura usurpetur, ut 1. Reg. 9. v. 23. pro coquo; Danielis 2. v. 4. pro eo, cui erat demandatum supplicium irrogare damnatis ad mortem. Ad principem autem militiae significandum adhibetur 4. Reg. 25. v. 8. ubi Nabuzardan princeps exercitus regis Chaldaeorum in Hebraeo isto nomine compellatur. Isti autem Pharaonis eunucho, et ministro, curam carcerum

fuisse demandatam ex eo perspicitur, quod cum iste Josephum in carcerem coniecisset; carcer hic idem dicatur fuisse, in quo vincti regis servarentur, et qui eiusdem principis militum carcer etiam vocetur: infra capitis 39. v. 20. et capitis 40. v. 3.

CAPVT XXXVIII.

Judas feminam Chananaeam sibi copulat matrimonio, atque ex ea tres suscipit filios. Her primogenito filio suo cum dedisset uxorem Thamarem, atque illo mortuo alteri eius filio Onan tradita eadem Thamar fuisset, isteque etiam exstinctus fuisset; tertium vero filium Sela Judas Thamari promisisset, sed hoc, quod promiserat explere tergiversatus fuisset; illa se in meretricio habitu socero suo subiecit, duosque ex illo filios Phares, et Zaram edidit.

1. *Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis divertit ad virum Odollamitem nomine Hiram,* 2. *viditque ibi filiam hominis Chananaei vocabulo Sua, et accepta uxore ingressus est ad eam.* Si istud, quod hic narratur, stricte sic accipiatur, ut eodem tempore acciderit, quo venditus est Joseph, in angustias admodum redigitur tempus, ut, quae narrantur, quomodo facta sint, difficulter explicentur. Res autem ipsa primum videatur; deinde vero quoad tempus, quomodo facta sit, eam considerabimus. Hiras iste Odollamites dictus est ab Odollam, quae postea civitas fuit

in tribu Juda. 3. *Quae concepit, et peperit filium, et vocavit nomen eius Her.* 4. *Rursumque concepto foetu natum filium vocavit Onan.* 5. *Tertium quoque peperit, quem adpellavit Sela: quo nato parere ultra cessavit.* 6. *Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her nomine Thamar.* 7. *Fuit quoque Her primogenitus Judae nequam in conspectu Domini, et ab eo occisus est.* S. Augustinus l. 21. contra Faustum cap. 88. hanc illius nequitiam fuisse saevitiem dicit. Judaeorum doctores dicunt illum studio servandae formae, et pulchritudinis uxoris in matrimonii usu crimen adversus naturam commisisse, in concubitu sic se gerendo, ne illa conciperet. Sed nihil in hac re certi.

8. *Dixit ergo Judas ad Onan filium suum: ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri tuo.* Hoc, quod iam nunc cernitur in moribus Israelitarum fuisse; ut frater defuncti fratris sine liberis uxorem in matrimonium acciperet, indeque enata proles ad nomen spectaret mortui fratris, lege etiam postea fuit sancitum Divina ad eos. Deut. 25. v. 5. *Ille* 9. *sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.* 10. *Et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret.* 11. *Quamobrem dixit Judas Thamar nurui suae: esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus. Timebat enim, ne et ipse moreretur, sicut fratres eius. Quae abiit, et habitavit in domo*

patris sui. 12. *Evolutis autem multis diebus mortua est Sua uxor Judae, qui post luctum consolatione suscepta adscendebat ad tonsores ovium suarum ipse, et Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas.* Pro opilione gregis in Hebraeo est *Rechu.* (רֵעֵהוּ) Quae vox cum his punctis sic lecta significat: *amicum eius:* ut hoc ad istum modum etiam S. Hieronymus posuit in Quaestionibus Hebraicis. Ambiguitas autem inde est, quod haec vox iisdem manentibus consonantibus sola vocalium punctorum variatione iam amicum, iam pastorem significet. Praeter Septvaginta autem Interpretes, qui in hac voce cum Latina Versione conveniunt, pastoremque ipsi quoque verterunt; ceterae Versiones, ut Samaritana, Arabica, Syriaca, et Paraphrasis Chaldaica amicum verterunt. Thamnas fuit civitas etiam postea in ditione tribus Judae.

13. *Nunciatumque est Thamar, quod socer illius adscenderet in Thamnas ad tondendas oves.* 14. *Quae depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum,* velum id proprie erat adversus solis ardorem, *et mutato habitu sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam, eo quod crevisset Sela, et non eum accepisset maritum.* Ex Jeremiae 3. v. 2. et Ezechielis 16. v. 25. intelligitur fuisse meretricum istum morem; ut publice in viis considerent, atque ad se, transeuntes allicerent. 15. *Quam cum vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem. Operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur.* 16. *Ingrediensque ad eam ait: dimitte me, ut coeam*

tecum. Nesciebat enim, quod nurus sua esset. Qua respondente: quid dabis mihi, ut fruaris concubitu meo? 17. *Dixit: mittam tibi haedum de gregibus. Rursumque illa dicente: patiar, quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris.* 18. *Ait Judas: quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: annulum tuum, et armillam, et baculum, quem manu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit.* 19. *Et surgens abiit, depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus.* 20. *Misit autem Judas haedum per pastorem suum,* isthic quoque eadem lectionis ratio est, quae proposita est superius ad versiculum 12. *Odollamitem, ut reciperet pignus, quod dederat mulieri. Qui cum non invenisset eam,* 21. *interrogavit homines loci illius: ubi est mulier, quae sedebat in bivio? Respondentibus cunctis: non fuit in loco isto meretrix;* 22. *reversus est ad Judam, et dixit ei: non inveni eam; sed et homines loci illius dixerunt mihi, numquam sedisse ibi scortum.* 23. *Ait Judas: habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest. Ego misi haedum, quem promiseram, et tu non invenisti eam.* 24. *Ecce autem post tres menses nunciaverunt Judae dicentes: fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas: producite eam, ut comburatur.* 25. *Quae cum duceretur ad poenam, misit ad socerum suum dicens: de viro, cuius haec sunt, concepi: cognosce, cuius sit annulus, et armilla, et baculus.*

26. *Qui agnitis muneribus ait: iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam.* „Non, quod iusta fuerit, „ait S. Hieronymus in Quaest. Hebr. sed, quod com„paratione illius minus mali fecerit, nequaquam „vagam turpitudinem, sed liberos requirendo.“

27. *Instante autem partu adparuerunt gemini in utero, atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum dicens:* 28. *iste egredietur prior.* 29. *Illo vero retrahente manum egressus est alter, dixitque mulier: quare divisa est propter te maceria? Et ob hanc causam vocavit nomen eius Phares.* „Pro „maceria, ait S. Hieronymus in Quaest. Hebr. di„visionem Aquila, et Symmachus transtulerunt, „quod Hebraice dicitur Phares. Ab eo igitur, quod „diviserit membranulam secundinarum, divisionis „nomen accepit.“ Secundinarum nomine venit tenuis membranula, qua foetus in utero circumvolvi solet, et quam iste, qui prior egressus est, perrupit, et nativitate antevertit fratrem, qui iam exire prior protensa manu incoeperat. 30. *Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem adpellavit Zara.* Istud nomen significat *Oriens*, quod scilicet oriri, et prodire ex utero citius coeperit emissa manu. „Et quod non te„mere, ait S. Chrysostomus hom. 62. in Gen. et „absque causa haec facta sint, sed figura futuro„rum fuerint, res ipsae declarant. Neque enim se„cundum naturae ordinem hoc factum est. Quomo-

„ do enim erat possibile, ut postquam manus fuit „ ligata coccino, ipsa iterum contraheretur, daret „ posteriori transitum, nisi Divina quaedam virtus „ haec prius dispensasset, et sicut in umbra qua- „ dam praefigurasset. Quod statim ab initio Zara, „ quod est Oriens, hic enim figura erat Ecclesiae, „ prospectare coepit: quo paulisper procedente, „ ac mox retrocedente legalis observatio per Pha- „ res significata subintravit. Quae postquam diu „ regnum tenuisset, eo qui prius cesserat, Zara vi- „ delicet rursus procedente, cessit Ecclesiae omnis „ Judaica consvetudo.“ Typum hac in re antelatio- nis fuisse Ecclesiae Synagogae docent quoque S. Augustinus l. 22. c. Faustum. cap. 84. et S. Irenaeus l. 4. c. 43. Narrationem hanc de Juda, quae coeptae narrationi de Josepho interposita hic est, sic esse positam, ut res haec, quae ad Judam spectaret, simul proponeretur; licet ea, quae de Josepho iam coepta sunt narrari, pleraque peracta ante sint; dubium esse non potest, quod ista, quae hic ab inito matrimonio Judae cum uxore, quae Sua vocabatur, ad id tempus, quo tertius iam ex illa filius maturus factus est ad matrimonium, et quod nonnisi postea Judas ex Thamare susceperit geminas illas proles Phares, et Zaram, spatium longius requirant. Phares vero, et Zaram susceptos esse prius, quam Judas cum tota Jacobi domo in Aegyptum descenderet perspicitur ex hac ipsa narratione. Nam locus Thamnas in Chananaea fuit, quo eundo ad tondendas oves, ac proinde ante,

quam demigraret in Aegyptum rem illam cum Thamare perpetraverit.

Intercesserunt autem a venditione Josephi usque ad Israelitarum profectionem in Aegyptum anni non plures quam tres, et viginti. Nam Joseph sedecim fuit annorum quando venditus est, et ductus in Aegyptum. (superioris capitis v. 2.) Triginta vero annos natus fuit, quando prorex factus est Aegypti. Gen. 41. v. 46. Successerunt deinde septem fertiles anni, hisque rursus alii septem steriles, atque dum ex istis ultimis duo tantum adhuc elapsi essent migratio Jacobi contigit cum sua domo in Aegyptum. Gen. 45. v. 6. Quatuordecim igitur anni, donec Joseph factus est prorex, et septem fertiles, duo vero ex sterilibus numerum efficiunt annorum viginti et trium. Atque isto spatio haec quidem, quae isto capite adhuc narrata sunt, peragi potuerunt. Sed illud affert difficultatem, quod infra cap. 46. v. 12. inter eos, qui cum Jacobo ex illius progenie migrarunt in Aegyptum, duo etiam filii Phares: Hesron, et Hamul positi sint. Quibus procreandis in Chananaea, antequam illa migratio fieret in Aegyptum, spatium per illos viginti et tres annos certe non fuit: nisi illud, quod dicitur Judas *eodem tempore*, quo scilicet venditus est Joseph in Aegyptum, duxisse uxorem, non sumatur praecise pro illo tempore, sed latius. Cui quidem rei nec alibi desunt exempla. Quale illud esse potest clarissimum, cum Deuter. cap. 10. v. 8. mortuo iam Aarone, quando Israelitae in Je-

tebatha deserti Arabiae habuerunt castra, dicuntur Levitae esse separati ad portandam arcam. Quod tamen multo ante accidisse, et altero statim anno post exitum ex Aegypto luculenter testatur Liber Numerorum cap. 1. v. 50. et cap. 3. v. 6. Deinde quoniam res de Juda etsi prius iam coepta, tamen durasset, et acta fuisset etiam tum, quando illa cum Josepho acciderunt, non inconvenienter, quando narratur, referri posset ad idem tempus, non habita ratione initii, sed fluxus, et continuationis. Quia tamen etiam sic remanent magnae adhuc angustiae, quod Judas Josepho, qui, quando venditus est, sedecim tantum fuit annorum, maior non fuerit nisi annis decem, est enim Judas ex Lia ordine quartus filius, ac proinde tantum anno quarto susceptus post adventum Jacobi in Mesopotamiam; Josephum autem Jacob procreavit anno decimo quarto, et quando terminavit servitii sui quatuordecim annos, quibus erat Labano obligatus pro duabus uxoribus (Gen. 29. v. 35. cap. 30. v. 25.) matureque valde et ipse Judas ducere debuisset uxorem, iterumque mature suis filiis uxores dare, et postquam cum nuru Thamar concubuisset, atque ex eo concubitu Phares procreatus est, iste quoque mature matrimonio operam debuisset dare: ut sic istius quoque duo filii Hesron et Hamul lucem prius adhuc adspicerent, quam demigraretur in Aegyptum. Quod si vero angustum videtur istas generationes intra istud tempus, quod dictum est, concludere; illud restat dicere Hesronem, et Hamul nepotes Ju-

dae non in Chananaea, sed iam in Aegypto esse procreatos, esseque positos et descriptos inter reliquos, qui iverunt cum Jacobo in Aegyptum, per quamdam figuram tantum sermonis, quae Prolepsis dicitur Graece, Latine Anticipatio. Poterat enim Moysem, ut istos etiam nondum natos poneret in descriptione generis Israelitici, illa ratio movere, ut eo adcuratius innotesceret genealogia eorum, unde descendebat Christus, ad quam genealogiam pertinerent Judas Phares et Hesron: Matth. 1. v. 3. et ad quem, tanquam ad suum scopum omnis illa et rerum gestio, et illarum scriptio spectabat. Finis enim Legis Christus. Rom. 10. v. 4.

CAPVT XXXIX.

Putiphar benevole complectitur Josephum, eiusque fidei committit totam domum. Illius uxor saepe illum, sed frustra sollicitat ad dormiendum secum: cumque etiam vi ad hoc pertrahere conata fuisset, omisso pallio in illius manibus se ab illa eripit. Cumque illa calumniose crimen in illum torsisset; Josephum Putiphar mandat carceri: sed carcerum praefectus rursus benigne illum habet, eiusque curae committit omnes captivos.

1. *IGITVR Joseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis princeps exercitus sui, vir Aegyptius de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat.* 2. *Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens, ha-*

bitavitque in domo domini sui. 3. *Qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius.* 4. *Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei. A quo praepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa, quae ei tradita fuerant.* 5. *Benedixitque Dominus domui Aegyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in aedibus, quam in agris cunctam eius substantiam.* 6. *Nec quidquam aliud noverat nisi panem, quo vescebatur.* Hoc est, cum curam totius domus concredidisset Josepho, atque iste cuncta disponeret; Putiphar sollicitudinem nullam gerebat, nec advertebat, quid ageretur, nisi hoc unum, quidnam ad mensam ipsius, quando caenabat, importaretur. Neque enim hoc videre, et advertere non poterat. *Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu.* 7. *Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Joseph, et ait: dormi mecum.* 8. *Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua:* 9. *nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi praeter te, quae uxor eius es, quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* 10. *Huiusce modi verbis per singulos dies et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum.*

11. *Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, et operis quidpiam absque arbitris*

faceret, Chaldaeus Paraphrastes hanc actionem Josephi in specie sic exposuit: *Ut investigaret scripturas rationis suae*; 12. *et illa adprehensa lacinia vestimenti eius diceret: dormi mecum: qui relicto in manu eius pallio fugit, et egressus est foras.* 13. *Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam;* 14. *vocavit ad se homines domus suae, et ait ad eos: en introduxit virum Hebraeum, ut illuderet nobis, ingressus est ad me, ut coiret mecum: cumque ego succlamassem,* 15. *et audisset vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, et fugit foras.* 16. *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum,* 17. *et ait: ingressus est ad me servus Hebraeus, quem adduxisti, ut illuderet mihi.* 18. *Cumque audisset me clamare, reliquit pallium, quod tenebam, et fugit foras.* 19. *His auditis dominus, et nimium credulus verbis coniugis iratus est valde,* 20. *tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus.* 21. *Fuit autem Dominus cum Joseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.* Quoniam, ut supra capitis 37. v. 36. demonstratum est, Putiphar iste idem, qui herus erat Josephi, regiorum carcerum supremam curam gerebat; sequitur hunc, qui modo princeps carceris adpellatur praefectum iisdem carceribus fuisse, sed qui tamen Putipharem sibi haberet praepositum. Quare idem iste praefectus infra capitis subsequentis v. 4. tantum custos car-

ceris adpellatur. 22. *Qui tradidit in manu illius universos vinctos, qui in custodia tenebantur, et quidquid fiebat, sub ipso erat.* 23. *Nec noverat aliquid cunctis ei creditis. Dominus enim erat cum illo, et omnia opera eius dirigebat.*

CAPVT XL.

In carcerem, in quo erat Joseph, a Pharaone mittuntur duo illius ministri pincernarum, et pistorum magister. Post aliquot tempus illorum uterque una nocte videt somnium: quod Joseph illis interpretatur, atque eventu res, prout erat a Joseph explicata, comprobatur, altero eorum restituto ad suum pristinum, in ministerio regis, officium, altero suspenso ad patibulum.

1. *HIS ita gestis accidit, ut peccarent duo eunuchi: pincerna regis Aegypti, et pistor domino suo.* 2. *Iratusque contra eos Pharao, (nam alter pincernis praeerat, alter pistoribus,)* 3. *misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph.* 4. *At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur.* 5. *Videruntque ambo somnium nocte una iuxta interpretationem congruam sibi.* Pro: aliquantulum temporis in Hebraeo est: *diebus* (יָמִים) quae vox sic sumpta pro anno usurpari solet, cuius rei exemplum est Lev. 25. v. 29. ubi istud sic Hebraice

annum vertit etiam Latinus Interpres. 6. *Ad quos cum introisset Joseph mane, et vidisset eos tristes*; 7. *sciscitatus est eos dicens: cur tristior est hodie solito facies vestra?* 8. *Qui responderunt: somnium vidimus, et non est, qui interpretetur nobis.* Somniorum divinationi fuisse Aegyptios superstitiose deditos perspicitur ex horum duorum eunuchorum, ob illa visa, tristitia, et consternatione; et quod solliciti de illorum interpretatione fuerint: et talium interpretum, atque coniectorum fuisse in Aegypto magnam copiam, illud demonstrat, quod etiam Pharao, cum, ut sequenti capite est, somnium habuisset, illos undique accersiverit explicandi somnium illud gratia. Somnia autem cum pleraque vana, atque ex naturalibus causis provenientia sint; tum, si quae Divinitus immittuntur, quale istud eunuchorum, deinde Pharaonis, ac iam antea ipsius etiam Josephi fuit, et quorum exempla plura adhuc se offerent in Scriptura; illa vel talia sunt, ut iam per se declarent id, cuius causa a Deo immissa sunt, ut cum Josepho in somnio demonstratum est, ut cum puero Jesu, et illius Matre concederet in Aegyptum propter eam, quae in pueros ab Herode futura erat saevitia Matth. 2. v. 13. vel si res obscura est, tum sicut ipsum somnium fuit a Deo, ita interpretatio quoque illius, et explicatio peti debet ab eodem Deo. Quod ipsum nunc etiam Joseph professus est coram duobus eunuchis. Sic enim sequitur: *Dixitque ad eos Joseph: numquid non Dei est interpretatio? Referte mihi,*

quid videritis. 9. *Narravit prior praepositus pincernarum somnium suum. Videbam coram me vitem,* 10. *in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere,* 11. *calicemque Pharaonis in manu mea. Tuli ergo uvas, et expressi in calicem, quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni.* 12. *Respondit Joseph: haec est interpretatio somnii: tres propagines tres adhuc dies sunt.* 13. *Post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consveveras.* 14. *Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere:* 15. *quia furto sublatus sum de terra Hebraeorum:* furtum adpellat, quoniam fratres sui ius non habuerint vendendi ipsum. Cui non modo libertatem eripuerint, verum etiam a patre illum suo furati sint, quando illum vendiderunt, et auferendum curaverunt: *et hic innocens in lacum missus sum:* Lacus Hebraice *bor* (בור) fovea: quo nomine passim carcer in Scriptura etiam alibi designatur.

16. *Videns pistorum magister, quod prudenter somnium dissolvisset, ait: et ego vidi somnium, quod tria canistra farinae haberem super caput meum.* Septvaginta tria canistra *Chondritorum* sive panis hordeacei verterunt. Est vero in Hebraeo vocabulum *Chor* (חור) quod proprie foramen significat. Quamobrem vasis aliquod genus, et

et corbes ex vimine decorticato contextos videtur significare: in qualibus solerent panes servari: cumque propter decorticationem corbiculi essent albi; Latinus Interpres canistra farinae vertit, per farinam corbium album colorem designando. Si enim canistra sive potius illi corbes perforati erant, quomodo farinam continere potuerunt? Deinde non farinam fuisse, sed panes, et ciborum genera, quae ex farina a pistore fiunt, in uno illorum corbe declarat versus subsequens: 17. *Et in uno canistro, quod erat excelsius, portare me putabam omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo.* 18. *Respondit Joseph: haec est interpretatio somnii: tria canistra tres adhuc dies sunt.* 19. *Post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas.* Sunt Num. 25. v. 4. Jos. 10. v. 26. exempla, sontium nonnisi postquam interfecti essent, cadavera esse adpensa ad crucem. Quare taliter hoc etiam cum illo pistore fieri potuit, ut cum supplicio afficeretur, primo minutus sit capite, deinde vero adpensus ad furcam: quamquam illud: auferre caput modo tropico loquendi idem quoque hoc significet, quod auferre vitam ponendo partem, sine qua vivi non potest, pro vita totius corporis. 20. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis recordatus est inter epulas magistri pincernarum, et pistorum principis.* 21. *Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum;* 22. *alterum*

suspendit in patibulo, ut coniectoris veritas probaretur: Hebr.: *sicut interpretatus est illis Joseph.* (כַּאֲשֶׁר פָּתַר לָהֶם יוֹסֵף) 23. *Et tamen succedentibus prosperis praepositus pincernarum oblitus est interpretis sui.*

CAPVT XLI.

Pharao videt in somnio septem vaccas primum pingves, deinde confectas macie e Nilo prodeuntes; iterumque similiter septem spicas primum plenas, deinde vero inanes et vacuas. Quod cum somnium Aegyptiorum magorum explicare posset nullus, ad magistri pincernarum suggestionem educitur Joseph de carcere, regique somnium interpretatur de futura septem annorum summa ubertate, et aliorum itidem septem summa sterilitate. Quare Pharao ipsum proregis dignitate exornat, uxoremque ei dat nomine Aseneth: ex qua duos suscepit filios Manassen, et Ephraim.

1. *POST duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium.* Hoc est, super ripam fluminis, cumque Nilus omnium nobilissimus fuerit fluvius in Aegypto, isque ad Tanim urbem fluxerit, quae olim Aegypti regum erat sedes, pronum est coniicere, huius ipsius fluvii Nili speciem esse obiectam Pharaoni in somnio. 2. *De quo adscendebant septem boves pulchrae, et crassae nimis, et pascebantur in locis palustribus.* 3. *Aliae quoque septem emergebant de flumine foedae, confe-*

ctaeque macie, et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus. Istud: *in locis virentibus* nec in Hebraeo est, nec apud Septvaginta, aut in Versione antiqua alia. 4. *Devoraveruntque eas, quarum mira species, et habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao* 5. *rursum dormivit, et vidit alterum somnium. Septem spicae pullulabant in culmo uno plenae, atque formosae:* 6. *aliae quoque totidem spicae tenues, et percussae uredine oriebantur* 7. *devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharao post quietem* 8. *et facto mane pavore perterritus misit ad omnes coniectores Aegypti, cunctosque sapientes, et accersitis narravit somnium, nec erat, qui interpretaretur.* Pro coniectoribus in Hebraeo vocabulum est *Chartümmim* (חַרְטֻמִּים) Quod Symmachus magos vertit. Quae vox Graeca derivata ἀπὸ τοῦ μέγεθος magnum aliquem significat: quales scilicet isti iidem habebantur a suis, quamobrem ipsis sapientum etiam cognomen datum fuit. Cumque isti non modo in Aegypto, verum etiam in Chaldaea, ut ex libro Danielis intelligitur, artem divinandi profiterentur, fraudibusque atque praestigiis simul etiam uterentur; magi nomen, quod alias innocuum esset, aut etiam laudabile, in peiorem etiam partem pro praestigiatore sumi coepit.

9. *Tunc demum reminiscens pincernarum magister ait: confiteor peccatum meum.* Oblivionemne suam confitetur esse peccatum, aut illud ipsum peccatumne intelligit, propter quod positus fuerat

ad carcerem, nonnihil obscurum est. Sed hoc alterum magis videtur esse, quoniam deinde et iram regis erga se, et carcerem, in quem erat missus, commemoret, quae consectaria erant illius ipsius peccati. 10. *Iratus rex servis suis me, et magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum.* 11. *Ubi una nocte uterque vidimus somnium praesagum futurorum.* 12. *Erat ibi puer Hebraeus eiusdem ducis militum famulus, cui narrantes somnia* 13. *audivimus, quidquid postea rei probavit eventus. Ego enim redditus sum officio meo, et ille suspensus est in cruce.* 14. *Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* 15. *Cui ille ait: vidi somnia, nec est, qui edisserat, quae audivi te sapientissime coniicere.* 16. *Respondit Joseph: absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Septvaginta hoc sic verterunt: *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni* (ἄνευ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ.) Quod clarius adhuc Symmachus praestitit: *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni.* (οὐκ ἐγὼ, ἄλλ' ὁ Θεὸς ἀποκριθήσεται εἰρήνην Φαραώ. In quam sententiam hoc etiam Chaldaeus vertit: *Non ex sapientia mea, sed a facie Domini respondebitur pax Pharaoni.* Quare Samaritanus, qui istud sic in contrariam partem habet: *Sine me Deus non respondebit pacem Pharaoni*, repudiandus in hac sua lectione est, quae et dissona ab omnibus aliis versionibus, et contraria modestiae erga Deum Josephi est.

17. *Narravit ergo Pharao, quod viderat: putabam me stare super ripam fluminis,* 18. *et septem boves de amne conscendere pulchras nimis, et obesis carnibus, quae in pastu paludis virecta carpebant.* 19. *Et ecce, has sequebantur aliae septem boves in tantum deformes, et macilentae, ut numquam tales in terra Aegypti viderim.* 20. *Quae devoratis, et consumptis prioribus,* 21. *nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie, et squallore torpebant. Evigilans rursus sopore depressus,* 22. *vidi somnium: septem spicae pullulabant in culmo uno plenae, atque pulcherrimae.* 23. *Aliae quoque septem tenues, et percussae uredine oriebantur a stipula,* 24. *quae priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi coniectoribus somnium, et nemo est, qui edisserat.* 25. *Respondit Joseph: somnium regis unum est: quae facturus est Deus, ostendit Pharaoni.* 26. *Septem boves pulchrae, et septem spicae plenae septem ubertatis anni sunt, eamdemque vim somnii comprehendunt.* 27. *Septem quoque boves tenues, atque macilentae, quae adscenderunt post eas, et septem spicae tenues, et vento urente percussae septem anni venturae sunt famis.* 28. *Qui hoc ordine complebuntur:* 29. *ecce septem anni venient fertilitatis magnae in universa terra Aegypti.* 30. *Quos sequentur septem anni alii tantae sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia. Consumptura est enim fames omnem terram,* 31. *et ubertatis magnitudinem perditura est inopiae ma-*

gnitudo. 32. *Quod autem vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur.* 33. *Nunc ergo provideat rex virum sapientem, et industrium, et praeficiat eum terrae Aegypti.* 34. *Qui constituat praepositos per cunctas regiones, et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis,* 35. *qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea, et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus,* 36. *et praeparetur futurae septem annorum fami, quae oppressura est Aegyptum, et non consumetur terra inopia.* 37. *Placuit Pharaoni consilium, et cunctis ministris eius,* 38. *locutusque est ad eos: num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* 39. *Dixit ergo ad Joseph: quia ostendit tibi Deus omnia, quae locutus es, numquid sapientiorem, et consimilem tui invenire potero?* 40. *Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet:* Hebraice: *Cunctus populus meus osculabitur super os tuum.* (וְעַל־פִּיךָ יִשַּׁק כָּל־עַמִּי) Quod significat reverenter, et veluti cum osculo excipienda esse illius mandata, et imperia. *Uno tantum regni solio te praecedam.* 41. *Dixitque rursus Pharao ad Joseph: ecce constitui te super universam terram Aegypti.* 42. *Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu eius, vestivitque eum stola byssina* Hebraice *vestibus Schesch.* (בִּגְדֵי־שֵׁשׁ) Fuit vero *Schesch* genus lini in Aegypto subtilissi-

mi, et candidissimi, et quo inprimis colore Aegyptii delectabantur: *et collo torquem auream circumposuit.* 43. *Fecitque eum adscendere super currum suum secundum clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti.* Istud: clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, est in Hebraeo sic: *Et clamaverunt coram ipso Abrech.* (וַיִּקְרְאוּ לְפָנָיו אַבְרֵךְ) Ipsum nomen Hebraicum posui, in quo non vulgaris est controversia quomodo adcurate verti deberet, quidnamque significet, et qua de re sic in Quaest. Hebraicis scribit S. Hieronymus: „Aquila, inquit, transtulit: *Et clamavit in conspectu eius adgeniculationem:* Symma„chus ipsum Hebraicum sermonem interpretans ait: „*Et clamavit ante eum Abrech.* Unde mihi vide„tur non tam praeco, sive adgeniculatio, quae in „salutando, vel adorando Joseph accipi potest, „intelligenda, quam illud, quod Hebraei tradunt „dicentes: *patrem tenerum*, et hoc sermone trans„ferri. *Ab* quippe dicitur pater, *Rech* delicatus, „sive tenerrimus significante Scriptura, quod iux„ta prudentiam quidem pater omnium fuerit, sed „iuxta aetatem tenerrimus adolescens, et puer.“ Attamen istud, quod S. Hieronymus posuit, quando Scripturam vertit, et quod iuxta illius versionem in Vulgata nostra habemus, videtur huic alteri eiusdem S. Hieronymi interpretationi anteferendum. Potest enim illud *Abrech* derivari a verbo *barach* (בָּרַךְ) quod significat benedicere, genu-

flectere, ita ut sit in infinitivo coniugationis, quae ab Hebraeis *Hiphil* nominatur cum irregularitate, posita litera *aleph* in locum *He*: unde factum est *Abrech*, quod regulariter esse debuisset *habrech* (הַבְרֵךְ) quod Latine diceretur *genuflectendum*. Atque istud inde confirmatur, quod sequens quoque verbum intercedente vocula *et* copulativa similiter sit in infinitivo: *venathon* (וְנָתוֹן) quod Latine versum habemus: *Et praepositum esse scirent.* Hoc ergo utrumque iuxta Hebraeum sic presse vertendum esset: *Et clamaverunt ante ipsum genuflectendum esse, et datum esse super omnem terram Aegypti.* (וְנָתוֹן אֹתוֹ עַל כָּל־אֶרֶץ מִצְרָיִם)

45. *Vertitque nomen eius, et vocavit eum lingva Aegyptiaca: Salvatorem mundi*: Hebraice *Tzaphnat paneach* (צָפְנַת פַּעְנֵחַ) Illud autem: *lingva Aegyptiaca* non est in Hebraeo: sed S. Hieronymus in Scripturae Latinae Versione ex suo iudicio tantum posuit. Qui in Quaestionibus Hebraicis hac de re sic pronunciat: „Licet Hebraice, inquit, „*absconditorum repertorem* sonet; tamen quia ab „Aegyptio ponitur, ipsius lingvae debet habere ra„tionem.“ Etiam Chaldaeus sic istud nomen interpretatus est: *Vir, cui secreta revelantur*: et Arabs quoque illud vertit: *Abditorum manifestator*. Septvaginta nomen ipsum posuerunt, ut est in Hebraeo, sed nonnihil immutatum: Ψονθομφανήχ. Quod alias quoque saepius faciunt in nominibus propriis. Qualia vel in uno Geneseos cap. 14. exempla plura sunt. Ubi pro eo, quod Hebraice est *Tithal*

(v. 2.) illi *Targal* posuerunt: et rursus pro *Schinüb*, Senaar; pro *Tzoar*, Segor. Similiter ergo hic etiam pro *Tzaphnat* Psonthom, pro *paneach* phanéch posuerunt. Est vero ipso etiam S. Hieronymo fatente *Tzàphnath paneach* vox Hebraica, quae absconditorum revelatorem significat. Quamvis ergo Pharao, utpote utens lingva Aegyptiacâ, istius lingvae nomen Josepho indiderit; tamen non hoc *Tzaphnath paneach* Aegyptiacum est, sed quod nomen Pharao Josepho lingva Aegyptiaca indiderat; illud Moyses, scribendo Hebraice, in Hebraeum vertit retenta significatione. Ac non salvatorem mundi, sed absconditorum revelatorem illo significari vel ex ratione, cur hoc nomen Josepho a Pharaone impositum sit, perspicuum fit. *Quia*, inquit, *ostendit tibi Deus omnia, quae locutus es:* (v. 39.) Quaeque causa fuit, cur omnia deinde illa in Josephum contulerit, et super domum suam, universamque terram Aegypti illum constituerit, nomenque etiam illi mutaverit: ut facile intelligatur ipso isto etiam nomine Pharaonem voluisse hoc indicare, propter quod, cum cetera, tum ipsum hoc nomen Josepho contulit. *Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos.* S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis istum eumdem fuisse Putipharem censuit, cui antea Joseph servivit, et a quo in carcerem fuit coniectus: Adversus quam opinionem disputat S. Augustinus Quaest. 136. in Genesim. „Cum videatur, inquit, hoc non po-„tuisse Scripturam praeterire, quod ad illius iuve-

„ nis non parvam gloriam pertinebat, ut eius filiam „ duceret, cuius famulus fuit." Est deinde inter ipsa nomina discrimen. Ille enim prior scribitur: *Potiphar* (פּוֹטִיפַר) iste alter *Potiphera* (פּוֹטִיפֶרַע): ille magister, vel princeps militiae; iste vero sacerdos fuisse dicitur. Heliopolis Graecum est nomen, et significat *civitatem solis*: recentiusque hoc illius urbis est nomen, quod tantum ab Interprete substitutum est. Nam in Hebraeo vocatur *On*, quod antiquum illius nomen fuit.

Egressus est itaque Joseph ad terram Aegypti. 46. *Triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis, et circuivit omnes regiones Aegypti.* 47. *Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Aegypti.* 48. *Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est.* 49. *Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur, et copia mensuram excederet.* 50. *Nati sunt autem Joseph filii duo, antequam veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos.* 51. *Vocavitque nomen primogeniti Manasses dicens: oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei.* 52. *Nomen quoque secundi adpellavit Ephraim dicens: crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae.* Manasses enim in Hebraeo *oblivionem*, Ephraim *augmentum* significat. Aegyptum vero terram suae paupertatis adpellavit. Non enim tantum a suis omnibus rebus, quas in paterna do-

mo habuit, abstractus, sed ad servilem etiam conditionem redactus fuit.

53. *Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Aegypto,* 54. *coeperunt venire septem anni inopiae, quos praedixerat Joseph, et in universo orbe fames praevaluit: in cuncta autem terra Aegypti panis erat.* Syrus, et quaedam Latinae editiones cum negatione sic hoc habent: *Panis non erat*: quae lectio et Hebraici fontis, et aliarum versionum auctoritate, et consensu revincitur. 55. *Qua esuriente clamavit populus ad Pharaonem alimenta petens, quibus ille respondit: ite ad Joseph, et quidquid ipse vobis dixerit, facite.* 56. *Crescebat autem quotidie fames in omni terra, aperuitque Joseph universa horrea, et vendebat Aegyptiis. Nam et illos oppresserat fames.* Paulo ante praecesserat in omni Aegypto fuisse panem, nempe postquam iam alibi penuria esse coeperat; adhuc ubique per Aegyptum suppetebat copia panis: qui tamen etiam postea hic duratione sterilitatis defecerit, sicque deinde Aegyptios etiam fames presserit. 57. *Omnes provinciae veniebant in Aegyptum, ut emerent escas, et malum inopiae temperarent.* Si omnes provinciae ex universo orbe frumenti causa in Aegyptum venissent, quomodo illud omnibus suffecisset, et quomodo intertenere Aegyptios Joseph per septem annos potuisset? Sed nec longinquitas locorum, et provinciarum plurimarum permittebat; ut vel venire, et auferri frumenta ad tantum spatium possent, quan-

tum intelligi debet, si ab extremis etiam finibus orbis terrarum in Aegyptum ventum undique fuisset. Etiam quod ad Joannem exiverit Jerosolyma, et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo, est Matth. 3. v. 5. et tamen Christus deinde ad principes sacerdotum, et ad populi seniores dixit: „Venit ad vos Joannes „in via iustitiae, et non credidistis ei." Matt. 21. v. 32. Nempe universitas posita est pro magno, et ingenti tantum numero provinciarum, ex quibus undique ventum ad Aegyptum sit frumenti emendi gratia. „Secundum eum canonem, ait S. Hieronymus epist. 146. ad Damas. quem saepe exposuimus, omnia non ad totum referenda sunt, sed „ad partem maximam. „Sed nec illud certum est, fueritne illa tum fames pertinens ad totum mundum ob eamdem hanc rationem: quod, quando Scriptura universali etiam termino utitur; tamen non hoc ita semper rigide, atque stricte sit accipiendum. Quare famem etiam hanc, quae se non diffuderit per totum prorsus orbem, sed tantum per Aegyptum, et vicinas regiones; tenuerunt Abulensis, Cornelius a Lapide, Menochius, Malvenda, pluresque Interpretes.

CAPVT XLII.

Jacob decem filios suos (Benjaminum enim domi retinuerat) mittit in Aegyptum frumenti comparandi causa. Joseph duriter cum illis loquitur, et quasi exploratores essent, in vincula eos coniicit: tum detento uno Simeone in vinculis, reliquos domum remittit dato frumento, restitutaque clam cuivis pecunia, et posita in sacco cum frumento, ea tamen conditione, ut si recipere vellent suum fratrem ex vinculis, iterumque frumentum comparare, secum adducerent etiam Benjaminum.

1. *AVDIENS autem Jacob, quod alimenta venderentur in Aegypto, dixit filiis suis: quare negligitis? 2. Audivi, quod triticum venumdetur in Aegypto, descendite, et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia. 3. Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Aegypto, 4. Benjamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus eius: ne forte in itinere quidquam patiatur mali, 5. ingressi sunt terram Aegypti cum aliis, qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan. 6. Et Joseph erat princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, 7. et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur interrogans eos: unde venistis? Qui responderunt: de*

terra Chanaan, ut emamus victui necessaria. 8. *Et tamen fratres ipse cognoscens non est cognitus ab eis,* 9. *Recordatusque somniorum, quae aliquando viderat, ait ad eos: exploratores estis, ut videatis infirmiora terrae, venistis.* 10. *Qui dixerunt: non est ita domine, sed servi tui venerunt, ut emerent cibos.* 11. *Omnes filii unius viri sumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.* 12. *Quibus ille respondit: aliter est. Immunita terrae huius considerare venistis.* 13. *At illi: duodecim inquiunt servi tui fratres sumus, filii viri unius, in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super.* 14. *Hoc est, ait, quod locutus sum: exploratores estis.* 15. *Jam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.* 16. *Mittite ex vobis unum, et adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quae dixistis, utrum vera, an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.* Speciem haec praeseferunt iuramenti, qualiter bis Josephus locutus est, et plures se in eo fatigant, quomodo Josephum a superstitioso genere iurandi per salutem Pharaonis excusent. Adseverationum per salutem alicuius exempla ne alibi quidem desunt in Scriptura. Anna mater Samuelis sancta femina 1. Reg. 1. v. 26. ut plura exempla praeteream 1. Reg. 17. v. 55. cap. 25. v. 26. etc. verba faciens ad Heli sacerdotem „Vivit, inquit, anima tua domine,

„ego sum illa mulier etc.“ Nec in re, sed tantum in verbis est aliqua differentia inter hanc Annae, et illam Josephi adseverationem. Ut vero provocatio ad testimonium Dei semper est religiosus iuramenti actus; ita dictorum confirmationes aliunde petitae, nisi quis omnino iurare intendat, sunt saepe purae tantum ad certitudinem faciendam adseverationes. Quales apud Latinos loquendi sunt vulgares atque adseverandi formulae: tam verum est, quam vivo; tam certum est, quam hoc, quod me videas, pluraque his similia. Quod si Joseph per Pharaonem, tanquam per Deum illud de suis fratribus affirmare voluisset, illiusque invocationem tanquam Divinam usurpavisset; profecto immunis non fuisset a superstitione. Non est autem alius sensus ipsius verborum, quam, tam certum esse ipsos esse exploratores, nec dimittendos prius ex Aegypto, quam fratrem suum Benjamin adducerent, quam certum sit Pharaonem vivere, aut ipse Joseph cuperet illum salvum esse, ac sospitem. Sed ne hoc quidem, propter quod fratres in crimen vocabat, Josephus ex animo dicebat. Nam nec ipse credidit, sed certe nec suis fratribus persvadere voluit, esse illos exploratores. Ergone ad speciem tantum est hoc ab Josepho factum, et fictum fuit, atque compositum? Ita quidem. Quod si propter simulationem, et fictionem levem aliquam culpam habuit, neque enim ideo, quia aliquis etiam sanctus, et iustus fuit, non in eiusmodi naevos incidit, ut necessarium sit labem omnem a tali remo-

vere, neminem enim excepit Joannes „Si dixe-„rimus, inquiens, quoniam peccatum non habemus, „ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est" 1. ep. 1. v. 8. tamen, siquidem ad faciendam fraudem, et malevolentiam nullatenus simulatio illa pertinuerit, gravius aliquod mendacium, vel culpa notabilis non fuit.

17. *Tradidit ergo illos custodiae tribus diebus.* 18. *Die autem tertio eductis de carcere ait: facite, quae dixi, et vivetis. Deum enim timeo.* 19. *Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere. Vos autem abite, et ferte frumenta, quae emistis, in domos vestras.* 20. *Et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt, ut dixerat.* Nempe ad ea, quae ab Joseph erant dicta, consensum praestiterant. 21. *Et locuti sunt ad invicem, merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus. Idcirco venit super nos ista tribulatio.* 22. *Ex quibus unus Ruben ait: numquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum, et non audistis me. En sangvis eius exquiritur.* 23. *Nesciebant autem, quod intelligeret Joseph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* 24. *Avertitque se parumper, et flevit, et reversus locutus est ad eos.* 25. *Tollensque Simeon, et ligans illis praesentibus iussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis*

culis suis datis supra cibariis in viam. Qui fecerunt ita. Cur Simeonem ex omnibus in vinculis retinendum curaverit, Judaeorum doctores hanc causam esse dicunt, quod iste prae ceteris maxime in Josephum infesto fuerit animo, atque in culpa, quod venditus sit. Qui si ad Rubenum, et Judam, qui pro liberando ipso iam erant, accedere voluisset, cum unus fuerit e senioribus, et aetate maximis; facile impedire, et obsistere reliquorum malevolentiae et impetui potuisset, Josephumque servare.

16. *At illi portantes frumenta in asinis suis profecti sunt.* 27. *Apertoque unus sacco, ut daret iumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,* 28. *dixit fratribus suis: reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique mutuo dixerunt: quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* 29. *Veneruntque ad Jacob patrem suum in terra Chanaan, et narraverunt ei omnia, quae accidissent sibi, dicentes:* 30. *locutus est nobis dominus terrae dure, et putavit nos exploratores esse provinciae.* 31. *Cui respondimus: pacifici sumus, nec ullas molimur insidias.* 32. *Duodecim fratres uno patre geniti sumus. Unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan.* 33. *Qui ait nobis: sic probabo, quod pacifici sitis: fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite,* 34. *fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut*

sciam, quod non sitis exploratores, et istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis, ac deinceps, quae vultis, emendi habeatis licentiam. 35. *His dictis, cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias, exterritisque simul omnibus,* 36. *dixit pater Jacob: absque liberis me esse fecistis. Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, et Benjamin auferetis. In me haec omnia mala reciderunt.* 37. *Cui respondit Ruben: duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi.* Quo patrem permoveat, hanc conditionem proposuit Ruben, et ne metueret Benjaminum una cum illis ad iter mittere visa tanta ista Rubeni fiducia de Benjamini, si ad iter veniret, securitate: cuius tantam ostendit habere se certitudinem, ut de ea pacisci per filiorum etiam suorum vitam audeat. Nam, quod certum habemus, de eo nihil non audemus ad aleam exponere. Nam patrem saeviturum in suos nepotes, si fortasse quid adversi Benjamino in via accidisset, potuitne cogitare Ruben? *Trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam.* 38. *At ille: non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater eius mortuus est, et ipse solus remansit:* nimirum ex Rachele. *Si quid ei adversi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos:* hoc est ad sepulchrum, qua de re iam supra ad cap. 37. v. 35. dictum est.

CAPUT XLIII.

Cum defecisset annona, nec alia conditione se ostenderent ire posse ad emendum frumentum in Aegyptum, quam si cum ipsis veniret Benjamin, cogitur illum cum fratribus dimittere Jacob. Benevole excipiuntur ab Joseph, dimittitur ex carcere Simeon, adhibentur a Josepho ad convivium.

1. *INTERIM fames omnem terram vehementer premebat.* 2. *Consumptisque cibis, quos ex Aegypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos: revertimini, et emite nobis pauxillum escarum.* Si consumpti erant cibi, quomodo ergo interea, donec annona supportaretur ex Aegypto, vitam sustentavit Jacob cum sua familia? Erat igitur frumentum tantum iam valde imminutum, et quod prope diem videbatur defecturum. Parum ergo, quod restabat, et nonnisi ad paucos dies, more loquendi in Scriptura pro nihilo reputabatur. 3. *Respondit Judas: denunciavit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi dicens: non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.* 4. *Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, et ememus tibi necessaria.* 5. *Sin autem non vis, non ibimus. Vir enim, ut saepe diximus, denunciavit nobis dicens: non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo.* Joseph de hocne iuraverit, quod faciem ipsius non sint vi-

suri, si fratrem suum non adducerent, superius, ubi res haec describitur acta, non dicitur. Vel igitur hoc ibi praetermissum est silentio; vel Josephi fratres tantum ipsi hoc ex reliquis illius adseverationibus, tanquam consequens, intellexerunt, atque deduxerunt. 6. *Dixit eis Israel: in meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei, et alium habere vos fratrem.* 7. *At illi responderunt: interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem: si pater viveret, si haberemus fratrem: et nos respondimus ei consequenter iuxta id, quod fuerat sciscitatus. Numquid scire poteramus, quod dicturus esset: adducite fratrem vestrum vobiscum?* 8. *Judas quoque dixit patri suo: mitte puerum mecum, ut proficiscamur, et possimus vivere: ne moriamur nos, et parvuli nostri.* 9. *Ego suscipio puerum:* Non erat iam tum Benjamin aetate puer, cuius infra cap. 46. v. 21. plures etiam memorantur liberi, quos tum habuisse iam dicitur, quando Jacob cum tota sua familia demigravit in Aegyptum, quae demigratio modo statim, quando ex hac profectione remearunt ex Aegypto accidit. Sed Benjamin adpellatus est puer, quoniam, ut est apud S. Hieronymum in Quaest. Hebraicis iuniorem in familia non habita ratione aetatis sic moris esset adpellare. *De manu mea require illum: nisi reduxero, et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* 10. *Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus.*

11. *Igitur Israel pater eorum dixit ad eos : si sic necesse est, facite, quod vultis. Sumite de optimis terrae fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera: modicum resinae, et mellis, et storacis, stactes, et terebinthi, et amygdalarum.* Quaedam ex his iam superius ad cap. 37. v. 25. explicata sunt. Idem autem quod ibi aroma vertit S. Hieronymus ex Hebraico *nekoth* (נְכֹאת) hic transtulit storacem. Quod Septvaginta utrobique eodem modo Graece verterunt: *thymiama.* Est autem storax proprie arbor magnitudine aequalis cotoneae, candidum habens fructum, quantum est prunum, manatque ex ea succus grati odoris. Fructumne ergo huius arboris, an liquorem secum tulerint, dubium est. Quia tamen Hebraicum *Nekoth* magis in Scriptura consvevit sumi pro re, quae odoris causa adhibeatur; isthic quoque alterum magis videtur esse intelligendum. Terebinthus est genus itidem resinosae arboris: sed illius loco in Hebraeo vocabulum est *Botnim* (בָּטְנִים) quod Hebraeis, tum Pagnino, Calmeto, pluribusque aliis fructuum potius aliquod genus putatur esse oblongum colore rubro, et grato sapore, et quae pistacea vocantur: habetque ipsum nomen *Botnim*, quod a *Beten* (בֶּטֶן) derivatur, quodque ventrem significat, cum illo fructu, qui oblongus, ut iam dictum est, in medio autem protuberans est, convenientiam. 12. *Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum, et illam, quam invenistis in sacculis reportate, ne forte errore factum sit.* Non praeter eam, quam

prius portarunt, in saccis autem retulerunt, aliam insuper duplicem eos portavisse declarat infra versiculus 15. ubi inter ea, quae postea secum tulerunt, nulla alia tertia ponitur. Hoc igitur, quod nunc post pecuniam duplicem adhuc memoretur ea, quam in saccis repererunt, explicationis tantum causa est positum, quaenam altera sit ex pecunia illa duplice. 13. *Sed et fratrem vestrum tollite, et ite ad virum.* 14. *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, et remittat vobiscum fratrem vestrum, quem tenet, et hunc Benjamin. Ego autem quasi orbatus absque liberis ero.*

15. *Tulerunt ergo viri munera, et pecuniam duplicem, et Benjamin, descenderuntque in Aegyptum, et steterunt coram Joseph.* 16. *Quos cum ille vidisset, et Benjamin simul, praecepit dispensatori domus suae dicens: introduc viros domum, et occide victimas:* Sicut mactare Latinum, etsi proprie dicatur de sacrificio; tamen usurpatur etiam de alia pecudis occisione extra sacrificium, sic victimae vocabulum isthic quoque positum est de pecoribus iugulatis extra sacrificium, quod subsequens etiam oratio declarat. Convivii enim gratia oeconomus iussus est caedere victimas: *et instrue convivium. Quoniam hodie mecum sunt comesturi meridie.* 17. *Fecit ille, quod sibi fuerat imperatum, et introduxit viros domum.* 18. *Ibique exterriti dixerunt mutuo: propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus, ut de-*

volvat in nos calumniam, et violenter subiiciat servituti et nos, et asinos nostros. 19. *Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus,* 20. *locuti sunt: oramus domine, ut audias nos: iam ante descendimus, ut emeremus escas.* 21. *Quibus emptis cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, et invenimus pecuniam in ore saccorum. Quam nunc eodem pondere reportavimus.* 22. *Sed et aliud attulimus argentum, ut emamus, quae nobis necessaria sunt. Non est in nostra conscientia, quis posuerit eam in marsupiis nostris.* 23. *At ille respondit: pax vobiscum, nolite timere. Deus vester, et Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris. Nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo.* Hoc ab illis verbis incipiendo: *Nam pecuniam* in Hebraeo est sic: *Argentum vestrum venit ad me.* (כַּסְפְּכֶם בָּא אֵלָי) In quo nulla falsitas fuit. Nam illa omnino ad illum venerat, quamvis deinde illam ad ipsorum saccos reposuerit. *Eduxitque ad eos Simeon.* 24. *Et introductis domum attulit aquam, et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum.* 25. *Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie. Audierant enim, quod ibi comesturi essent panem.* Antecessit versu 16. esse caesas victimas, indeque pro iis instructum convivium. Non ergo solum panem comesturi erant. Sed panis est positus pro toto convivio, illo modo loquendi, quo tropice pars pro toto ponitur.

26. *Igitur ingressus est Joseph domum suam:* nimirum vel ipsum triclinium, atque caenaculum, vel vero certum suum conclave, ubi ad alloquium suum admitteret fratres: *obtuleruntque ei munera tenentes in manibus suis, et adoraverunt proni in terram.* 27. *At ille clementer resalutatis eis interrogavit eos dicens: salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? adhuc vivit?* 28. *Qui responderunt: sospes est servus tuus pater noster: adhuc vivit. Et incurvati adoraverunt eum.* 29. *Attollens autem Joseph oculos vidit Benjamin fratrem suum uterinum, et ait: iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursus: Deus, inquit, misereatur tui fili mi.* 30. *Festinavitque in domum, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, et erumpebant lacrimae, et introiens cubiculum flevit.* 31. *Rursumque lota facie egressus continuit se, et ait: ponite panes.* 32. *Quibus appositis seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Aegyptiis quoque, qui vescebantur simul seorsum (illicitum est enim Aegyptiis comedere cum Hebraeis, et profanum putant huiuscemodi convivium)* 33. *Sederunt coram eo: primogenitus iuxta primogenita sua, et minimus iuxta aetatem suam. Et mirabantur nimis.* Aegyptii, ut apud Herodotum est l. II. c. 41. generatim ab omnium alienigenarum consortio in epulis abstinebant. Causa fuit, quod vitulos, boves, aliasque pecudes in Divina veneratione haberent, quamobrem neque tangere et laedere eas auderent; quas e contrario

aliae nationes mactabant, earumque carnibus vescebantur. Erat etiam in despectu apud eos pastoritium vitae genus, ut est infra cap. 46. v. 34. quod cum profiterentur Hebraei; tanto magis Aegyptii communem cum illis mensam vitabant. Atque hoc videtur etiam illud esse, quod ipse quoque Josephus separatim ab Aegyptiis locum habuerit in convivio, qui illos miscere etiam secum propterea noluerit. Quinam vero mirabantur sedendi illum ordinem, quem fratres Josephi tenuerunt in ratione adcurate secundum suam quisque aetatem? Aegyptiine, an Hebraei? Non illi. Neque enim illi sciverunt, quis inter ipsos ordo esset aetatis. Sed neque Hebraei causam admirandi habuissent, si ipsi per se consedissent, atque ad ordinem iuxta aetatem sese ipsi collocavissent. Quid igitur? Nimirum ipse Joseph cuilibet illorum adsignavit locum in convivio, idque fecit secundum cuiusque aetatem, ut prout quis natu esset maior altero, ita etiam in sedendo illum antecederet. Atque hoc, quomodo adcurate factum sit ab Josepho, mirati sunt ipsius fratres. Neque enim suum esse fratrem adhuc sciebant. Deest vero hic in Vulgata nostra debita interpunctio: Nam post verbum: *mirabantur* in fine istius versiculi ponendum est punctum, ut in Hebraeo et Graeco est. Nec enim haec admiratio ad rem subsequentis versiculi pertinet, ut consideranti facile est perspicere.

34. *Sumptis partibus, quas ab eo acceperant*, Hebraice: *Et tulit portiones a se ad illos*

(וַיִּשָּׂא מַשְׂאֹת מֵאֵת פָּנָיו אֲלֵהֶם) hoc est: Joseph distribuit illis portiones, *maiorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.* Ex ratione habita erga hospites, quibus is, qui convivium dabat, vel amorem, vel honorem magis testari vellet, ampliores etiam portiones, vel singularia quoque fercula consvevisse praeberi, iam ad capitis 18. v. 8. superius demonstratum est, atque istud ipsum, quod hic nunc est, propositum ibi pro exemplo est. *Biberuntque, et inebriati sunt cum eo.* „Solent hinc „ebriosi adhibere, ait S. Augustinus Quaest. 144. „in Gen. testimonii patrocinium non propter illos „filios Israel, sed propter Joseph, qui valde sa„piens commendatur. Sed hoc verbum et pro sa„tietate solere poni in Scripturis, qui diligenter „adverterit, multis in locis inveniet. Unde est il„lud: *Visitasti terram, et inebriasti eam, multi„plicasti ditare illam* (Psal. 64. v. 10.) eo quod „in laude benedictionis hoc positum est, et donum „Dei commemoratur, adparet hac ebrietate saturi„tatem significari. Nam ita inebriari, ut inebrian„tur ebriosi, nec ipsi terrae utile est, quoniam „maiore, quam satiari sufficit, humore corrumpi„tur: sicut vita ebriosorum, qui non satietate se „replent, sed mergunt diluvio.“ Qua de re iam etiam ad capitis 9. v. 21. antecessit sermo, et demonstratio.

CAPVT XLIV.

Dum onusti frumento fratres Joseph redeunt, in Benjamini sacco clam illis iussu Joseph illius oeconomus argenteum abscondit scyphum, illosque ex via furti nomine retrahit, Benjaminumque apud quem repertus est scyphus, Joseph deinde se simulat servituti subiecturum. Consternatis illis omnibus offert se pro Benjamino in servitutem Judas.

1. *PRAECEPIT autem Joseph dispensatori domus suae dicens: imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, et pone pecuniam singulorum in summitate sacci.* 2. *Scyphum autem meum argenteum, et pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris. Factumque est ita.* 3. *Et orto mane dimissi sunt cum asinis suis.* 4. *Jamque urbem exierant, et processerant paulululum, tunc Joseph accersito dispensatore domus, surge, inquit, et persequere viros, et adprehensis dicito: quare reddidistis malum pro bono?* 5. *Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.* Sic ut loqueretur, quoniam ipse Josephus Oeconomum suum instruxerat, quaestio isthic existit, quomodo hoc de augurio, quod genus pravae superstitionis est, in bonam partem de Josepho accipi debeat. Nam, cum nemo non, si unus Calvinus excipiatur, Josephum, cuius tanta fuit vitae integritas, expertem istius superstitionis habeat; sal-

tem quomodo a falsiloquio excusari possit, Interpretes laborant. Atque istud tali ratione praestat S. Augustinus Quaest. 145. in Gen. quae toti reliquae ipsius actioni, quam Josephus instituit ad speciem cum fratribus, ipsiusque intentioni maxime consentanea est. Docet nempe hoc ab illo factum non esse serio, nec in eo mendacium fuisse, quod compositum minime esset ad iniuria aliqua afficiendos ipsos. „Mendacia enim, inquit, a mendacibus „serio aguntur, non ioco. Cum autem, quae non „sunt, tanquam ioco dicuntur, non deputantur „mendacia." Nam propterea hanc cum suis fratribus adornaverat scenam, ut ab iis crederetur aliquis esse Aegyptius, atque ut exaggeraret ipsorum non verum, sed ad speciem etiam, et de industria compositum furtum, hoc ipsum prae se ferebat, sibi illum propter auguria et omina, quae in eo caperet, esse gratissimum. Sicut ergo suis fratribus furti, atque ingrati animi vitium ficte tantum, et ad speciem imposuit; ita sibi quoque consvetudinem augurii. Quod quoniam non ex pravitate animi, et malevolentia erga eos fecit, sed tantum, ut se aliquamdiu coram illis occultaret, cuius rei iustam causam habuit, quem ipsi quoque sic tractassent, quasi non fuisset ipsorum frater; carebat hoc eius factum etiam culpa. Sunt, qui opinantur hoc illum etiam fecisse, ut experiretur, quonam animo adfecti essent erga Benjaminum: si de eo liberando, quando furti reum illum egerat, nulla ipsos cura, et sollicitudo tenuisset.

6. *Fecit ille, ut iusserat. Et adprehensis per ordinem locutus est.* 7. *Qui responderunt: quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint?* 8. *Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan, et quo modo consequens est, us furati simus de domo domini tui aurum, vel argentum?* 9. *Apud quemcunque fuerit inventum servorum tuorum, quod quaeris, moriatur, et nos erimus servi domini nostri.* 10. *Qui dixit eis: fiat iuxta vestram sententiam: apud quemcunque fuerit inventum, ipse sit servus meus: vos autem eritis innoxii.* Non haec eadem fuit oeconomi cum ea, quam ipsi sibi dictaverant sententia. Sed eo minus illis poterat esse contraria, quo minorem ipse tantum sibi ex illa desumpsit partem. 11. *Itaque festinato deponentes in terram saccos aperuerunt singuli.* 12. *Quos scrutatus incipiens a maiore usque ad minimum invenit scyphum in sacco Benjamin.* 13. *At illi scissis vestibus, oneratisque rursum asinis reversi sunt in oppidum.* Scindere, vel lacerare sibi vestem Hebraei in gravi luctu solebant. Cuius rei plurima adhuc deinceps in Scriptura occurrent documenta. 14. *Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph* (*necdum enim de loco abierat*) ubi nimirum mane, quando erant profecti, sui alloquii, gratiasque agendi copiam illis fecerat: *omnesque ante eum pariter in terram corruerunt.* 15. *Quibus ille ait: cur sic agere voluistis? An ignoratis, quod non sit*

similis mei in augurandi scientia? Quemadmodum hoc per suum oeconomum ante; ita nunc idem ipse de se pronunciat. Quare eadem quoque, quae prius, istius est hic intelligendi ratio.

16. *Cui Judas: quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iuste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum. En omnes servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus.* 17. *Respondit Joseph: absit a me, ut sic agam. Qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum.* 18. *Accedens autem propius Judas confidenter ait: oro domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo. Tu es enim post Pharaonem* 19. *dominus meus. Interrogasti prius servos tuos: habetis patrem, aut fratrem?* 20. *Et nos respondimus tibi domino meo: est nobis pater senex, et puer parvulus, qui in senectute illius natus est, cuius uterinus frater mortuus est: et ipsum solum habet mater sua.* Jam mater erat pridem mortua. Nihil ergo aliud hoc significat, quam illum solum ex illa matre prognatum, ex qua erat Joseph, quemque modo dixerant esse mortuum iuxta suam videlicet opinionem, esse superstitem: *pater vero tenerrime diligit eum.* 21. *Dixistique servis tuis: adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum.* 22. *Suggessimus domino meo: non potest puer relinquere patrem suum. Si enim illum dimiserit, morietur.* 23. *Et dixi-*

sti servis tuis: nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. 24. *Cum ergo adscendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia, quae locutus est dominus meus.* 25. *Et dixit pater noster: revertimini, et emite nobis parum tritici.* 26. *Cui diximus: ire non possumus. Si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul; alioquin ipso absente non audemus videre faciem viri.* 27. *Ad quae ille respondit: vos scitis, quod duos filios genuerit mihi uxor mea.* 28. *Egressus est unus, et dixistis: bestia devoravit eum, et hucusque non comparet.* 29. *Si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit; deducetis canos meos cum moerore ad inferos.* 30. *Igitur, si intravero ad servum tuum, patrem nostrum, et puer defuerit, cum anima illius ex huius anima pendeat,* 31. *videritque eum non esse nobiscum, morietur, et deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos.* 32. *Ego proprie servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi dicens, nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.* 33. *Manebo itaqae servus tuus pro puero in ministerio domini mei, et puer adscendat cum fratribus suis.* 34. *Non enim possum redire ad patrem meum absente puero, ne calamitatis, quae oppressura est patrem meum, testis assistam.*

CAPVT XLV.

Joseph se tandem manifestat fratribus, et muneribus adfectos mittit pro advehendo patre cum tota illius domo.

1. *Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram adstantibus, unde praecepit, ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuae.* 2. *Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Aegyptii, omnisque domus Pharaonis:* nimirum hanc illius vocem audierunt primum Aegyptii, qui ante fores constiterant, quosque modo ex conclavi illo foras dimiserat, atque ab his celeriter istius rei fama ad alios, et ad ipsam Pharaonis regiam perlata est: 3. *et dixit fratribus suis: ego sum Joseph. Adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.* 4. *Ad quos ille clementer: accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope, ego sum, ait, Joseph frater vester, quem vendidistis in Aegyptum.* 5. *Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum.* 6. *Biennium est enim, quod coepit fames esse in terra, et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti.* 7. *Praemisitque me Deus, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis.* 8. *Non vestro*

vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universae domus eius, ac principem in omni terra Aegypti. Quantum attinet ad facti illius malitiam, quando illum vendiderunt; omne hoc illorum erat opus, non vero Dei voluntas; ut Calvinus, atque Melanchton indignissime adversus Deum loquuntur, nisi quantum factum illud ipsorum patrari permisit. Absit enim, ut Deus malitiam illius actionis voluerit: „ Quoniam non Deus volens „ iniquitatem tu es " Psal. 5. v. 5. Cum vero facinus illud permisit, ut eo uteretur ad elevandum Josephum, et ad prospiciendum saluti paternae ipsius domus, quatenus sola erat permissio, ut quantumvis ex malo eliceretur tale bonum, omnino voluntas, atque singularis haec erat providentia Dei. Nam et illa, ut Christus pateretur, atque moreretur, erat voluntas Dei. Neque enim in eo, quod Deus nollet, Christus potuisset esse obediens Patri. Philip. 2. v. 8. Et tamen, cum illa Dei voluntas esset, ut moreretur, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. 8. v. 32.) Judaei, qui illum crucifixerunt, Deone placuerunt? illorumne actio haec grata fuit, et probata Deo? Eumdem Christum et Judas, et Pater ad mortem tradidit. Num illud, quod Judas malitiose in hac Christi traditione fecit; idem fecit quoque et caelestis Pater? Omisisset Calvinus, et Melanchton Scripturam interpretari, et secundum eam interpretationem novam sibi ecclesiam

construere, si melius nescivit Scripturae loca inter se contendere, atque ex comparatione monstrosas illas suas opiniones, maledictaque contra Deum evitare. Nam quousque pertigerit illa voluntas Dei de Joseph vendendo in illo criminoso fratrum suorum facto, ipse Joseph fratribus suis explicuit. „Vos, inquit, cogitastis de me malum: sed Deus „illud vertit in bonum.“ Infra cap. 50. v. 20. Quousque fratrum pertigit facinus erga Josephum, dum illum vendiderunt, erat malum: cum vero illa ~~in~~ Josephum iniuria in bonum convertebatur, unde ad dignitatem eveheretur, indeque prospiceretur servandae toti familiae Jacob in fame, opus erat Dei. Illi quamvis mali fuerint in illo suo facto, nefariumque scelus patraverint, non tamen malus, sed valde bonus, in eodem, dum illud convertit in bonum fuit Deus.

9. *Festinate, et adscendite ad patrem meum, et dicetis ei: haec mandat filius tuus Joseph: Deus me fecit dominum universae terrae Aegypti: descende ad me, ne moreris.* 10. *Et habitabis in terra Gessen, erisque iuxta me tu, et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuae et armenta tua, et universa, quae possides.* Regio Gessen in ea parte Aegypti est, qua maxime spectat versus Chananaeam. Ab Hebraeis autem hoc nomen accepisse videtur: quod hoc vocabulum paululum immutatum, uniusque literae tantum mutatione *Gesem* Hebraeis pluviam significet: quamque habere regio haec solet, cum reliquae regiones Aegypti irrigari

consveverint fere tantum solo Nilo. 11. *Ibique te pascam: adhuc enim quinque anni residui sunt famis, ne et tu pereas, et domus tua, et omnia, quae possides.* 12. *En oculi vestri, et oculi fratris mei Benjamin vident, quod os meum loquatur ad vos.* Sunt, qui hoc sic censent intelligendum esse, quod ipsi nunc illum cernerent lingva Hebraica ad eos loquentem, indeque agnoscere eum possent suum esse fratrem ex domestica, atque vernacula sua hac lingva. Attamen videtur hoc potius sic esse ab Joseph ad fratres pronunciatum, quemadmodum illud S. Pauli ad Corinthios est: „Os nostrum patet ad vos o Corinthii! Cor nostrum dilatatum „est" significatque summam erga eos animi sui contestationem. Nam sicut ingenti dolore intercipitur vox; ita quoque hoc idem fit in vehementi omni alio affectu, ut volenti etiam loqui haereat lingva, dum eum, quem sentit animus affectum, explicare non potest. Itaque talis diducit quidem os ad loquendum, sed tamen sine voce obstupefacto similis in solo gestu adhaeret. Hoc ergo fratribus suis dicebat: posse ipsos ex isto tali ipsius affectu agnoscere illius erga se tenerrimum amorem.

13. *Nunciate patri meo universam gloriam meam, et cuncta, quae vidistis in Aegypto: festinate, et adducite eum ad me.* 14. *Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit illo quoque similiter flente super collum eius.* 15. *Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos. Post quae ausi sunt lo-*

qui ad eum. 16. *Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis: venerunt fratres Joseph. Et gavisus est Pharao, atque omnis familia eius.* 17. *Dixitque ad Joseph, ut imperaret fratribus suis dicens: onerantes iumenta ite in terram Chanaan,* 18. *et tollite inde patrem vestrum, et cognationem, et venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Aegypti, ut comedatis medullam terrae.* 19. *Praecipe etiam, ut tollant plaustra de terra Aegypti ad subvectionem parvulorum suorum, ac coniugum, et dicito: tollite patrem vestrum, et properate quantocius venientes.* 20. *Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra; quia omnes opes Aegypti vestrae erunt.* Hoc videtur non habere nexum cum re antecedente. Si enim omnes Aegypti opes futurae illorum essent; non erat tanto studio opus ad omnem suam supellectilem advehendam. Sed hoc eo spectat, quo tanto fortunatiores fiant, si et omnes res suas pristinas haberent, et omnibus etiam fortunis Aegyptiarum opum locupletarentur. Studium haec oratio Pharaonis prae se tulit videndi illos quam fortunatissimos.

21. *Feceruntque filii Israel, ut eis mandatum erat. Quibus dedit Joseph plaustra secundum Pharaonis imperium, et cibaria in itinere.* 22. *Singulis quoque proferri iussit binas stolas. Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis.* Quoties argentei in Scriptura memorantur, si de moneta sit sermo, illi pro siclis accipiuntur, quod per siclos apud Hebraeos, vel-

uti apud nos per florenos vulgaris erat numerandae, computandaeque pecuniae ratio. Siclum vero pondere valuisse mediam unciam, seu duas tertias nostri floreni iam ad capitis 20. v. 16. demonstratum est. Stola autem Graecum est vocabulum, quod cum proprie, et vi sua significet quodcunque ornamentum; tum vulgo adhibetur a Graecis ad vestitus genus defluens, et magis longum exprimendum. In Hebraeo autem illius loco est vocabulum, quod *vestes mutatorias* significat. (חֲלִפוֹת שְׂמָלֹת) Mutationibus vestium crebris usi sunt antiqui, atque in eum usum vestium saepe copiam ingentem habebant paratam. Constabant autem illorum vestes ex tunica ad talos demissa, et pallio. Cumque minime stricte adhaererent corpori; facile etiam absque praevia mensura aptae erant corpori. Atque eas muneris loco offerri consvevisse aliis, plura declarant exempla. Nam etiam Rebeccae supra cap. 24. v. 53. servus Abrahae vestes dono dedit: itidem a Naaman Syro Giezi servus Elisei praeter duo talenta vestes mutatorias duplices dono accepit 4. Reg. 5. v. 22. *Tantumdem pecuniae* 23. *et vestium mittens patri suo, addens et asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Aegypti, et totidem asinas triticum in itinere, panesque portantes.* 24. *Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait: ne irascamini in via.* 25. *Qui adscendentes ex Aegypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob.* 26. *Et nunciaverunt ei dicentes: Joseph filius tuus vivit, et ipse do-*

minatur in omni terra Aegypti. Quo audito Jacob quasi de gravi somno evigilans tamen non credebat eis. 27. Illi e contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra, et universa, quae miserat, revixit spiritus eius. 28. Et ait: sufficit, si adhuc Joseph filius meus vivit. Vadam, et videbo illum, antequam moriar.

CAPVT XLVI.

Jacob cum tota familia sua pergit in Aegyptum: nominatim exponuntur, qui, et quot fuerint, qui profecti sunt. Adventanti Jacobo Joseph venit obviam in terra Gessen. Qui fratres suos instruit, ut se pastores profiteantur coram Pharaone, ut terram Gessen ab eo obtineant ad habitandum.

1. *PROFECTVSQVE Israel cum omnibus, quae habebat, venit ad puteum Juramenti,* Hebraice Bersabee: qui sic adpellatus est ab Abrahamo Gen. 21. v. 31. *et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac,* 2. *audivit eum per visionem noctis vocantem se, et dicentem sibi: Jacob, Jacob. Cui respondit: ecce adsum.* 3. *Ait illi Deus: ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* 4. *Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem.* Jacob in Aegypto est mortuus, et tantum post mortem ad sepulchrum deportatus in terram Chanaan. Quod ergo Deus promittit se illum esse reductu-

rum; id expletum est in illius posteris, quando per Moysem reducti ex Aegypto in Chananaeam sunt. *Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Erat inter extrema, quae vita functis praestari consueverant officia, ut qui mortuo in vita fuisset charissimus; is ei in morte clauderet oculos.

5. *Surrexit autem Jacob a puteo Juramenti, tuleruntque eum filii cum parvulis, et uxoribus suis in plaustris, quae miserat Pharao ad portandum senem, et omnia, quae possederat in terra Chanaan, venitque in Aegyptum cum omni semine suo: 7. filii eius, et nepotes, filiae, et cuncta simul progenies. 8. Haec autem sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum, ipse cum liberis suis: Primogenitus Ruben. 9. Filii Ruben: Henoch, et Phallu, et Hesron, et Charmi.* De duobus tantum filiis suis Ruben locutus est supra cap. 42. v. 37. quando reversus ex primo itinere suo ex Aegypto ab Jacobo patre suo postulaverat, uti Benjamin quoque cum ipsis denuo itu ris mitteretur: „Duos, inquit, filios meos interfice, „si non reduxero illum tibi." Nempe pro uno Benjamino, si quid ei adversi in via accideret, sponsionis nomine, et quasi obsidum loco ex quatuor filiis, quos habuit, obtulit duos. 10. *Filii Simeon: Jamuel, et Jamin, et Ahod, et Jachin, et Sohar, et Saul filius Chanaanitidis.* 11. *Filii Levi: Gerson, et Caath, et Merari.* 12. *Filii Juda: Her, et Onan, et Sela, et Phares, et Zara. Mortui sunt autem Her, et Onan in terra Chanaan: na-*

tique sunt filii Phares: Hesron, et Hamul. De his duobus nepotibus Judae, sintne in Chananaea nati prius, quam ista migratio fieret in Aegyptum, vel vero nati tantum sint in Aegypto, isthic vero ad hanc recensionem per Prolepsim positi et adscripti, tractatum est ad finem capitis 38.

13. *Filii Issachar: Thola, et Phua, et Job, et Semron.* 14. *Filii Zabulon: Sared, et Elon, et Jahelel.* 15. *Hi filii Liae, quos genuit in Mesopotamia Syriae cum Dina filia sua: omnes animae filiorum eius, et filiarum triginta tres.* Sex tantum filii Liae, et Dina filia ipsius nati sunt in Mesopotamia: reliqui autem, qui nepotes illius erant, procreati iam in Chananaea sunt. Sed ab illis sex, quia primi, et praecipui in ista recensione sunt, et a quibus etiam ceteri processerunt; facta est enunciatio, quae posita est generaliter. Quod notari debet, quod deinceps quoque in Scriptura tales modi loquendi occurrant. Et quemadmodum superius versu 7. ita hic quoque plurali numero positae sunt filiae, cum una tantum fuerit Dina. Itaque hic quoque figura sermonis est, quae dicitur Enallage, vel Permutatio pluralis videlicet numeri in locum singularis. „Pluralis numerus pro singulari positus est, ait S. Augustinus ad hunc locum Quaest. 149. in Gen. sicut etiam pro plurali singularis solet." Filii vero et nepotes Liae computata etiam Dina faciunt tantum triginta duos. Est ergo in isto numero trium, et triginta, qui hic pro summa positus est, adnumeratus etiam pa-

ter illorum Jacob. Quamobrem etiam initio recensionis superius versu 8. sic positum est: „Haec „sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in „Aegyptum: ipse cum liberis suis," ut primus in hac intelligatur esse ipse Jacob. 16. *Filii Gad: Sephon, et Haggi, et Suni, et Esebon, et Heri, et Arodi, et Areli.* 17. *Filii Aser: Jamne, et Jesua, et Jessui, et Beria, Sara quoque soror eorum. Filii Beria: Heber, et Melchiel.* 18. *Hi filii Zelphae, quam dedit Laban Liae filiae suae, et hos genuit Jacob sedecim animas.* Jacob in tertio inflexionis casu est: Jacobo. Si personae omnes ex Zelpha prognatae numerentur, reperiuntur esse septemdecim, non sedecim. Quare ex summa praetermitti unam oportuit. Itaque soli filii positi sunt, et Sara filia Aser omissa ex hac summa est.

19. *Filii Rachel uxoris Jacob: Joseph, et Benjamin.* 20. *Natique sunt Joseph filii in terra Aegypti, quos genuit ei Aseneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos: Manasses, et Ephraim.* 21. *Filii Benjamin: Bela, et Bechor, et Asbel, et Gera, et Naaman, et Echi, et Ros, et Mophim, et Ophim, et Ared.* 22. *Hi filii Rachel, quos genuit Jacob* (Jacobo) *omnes animae quatuordecim.* Hic vero Septvaginta Interpretes non mediocrem lectionis varietatem induxerunt ab Hebraea, et ab Versione nostra Latina, quae conformis est Fonti Hebraeo. Nam ad Josephi duos filios, quos hic solos memorat Hebraea, et Latina; illi versu 20. quinque insuper addiderunt Josephi par-

tim nepotes, partim pronepotes: nempe *Machir* filium Manassis, Machiri autem filium *Galaad*, deinde Ephraïmi duos filios *Sutalaam*, et *Taam*, Sutalaamique insuper filium *Edom*. De quibus mentio, sed non nominatim Genesis 50. v. 22. fit, et quorum nomina tantum Numerorum 26. v. 29. primum exposita a Moyse sunt. Inde igitur illa hue quoque nomina Septvaginta Versores transsumpserunt, istumque locum amplificaverunt. Etiam in Benjamino, illiusque stirpe valde discrepant. Nam huic tres tantum filios dant, sex vero nepotes. Quare etiam in stirpis Benjaminae summa tantum novem habent, cum in Hebraea, et Latina nostra sint personae decem. Iterum vero in eo nec ipsi quidem secum bene conveniunt, quod cum postea in summa liberorum omnium ex Rachel octodecim personas posuissent, ex quibus octo ad Josephi stirpem pertinent, quas illi, ut superius demonstratum est, nominatim recensuerunt, remanereque proinde pro Benjamini stirpe deberent personae decem; tamen deinde infra v. 27. Josepho tribuant filios novem. Quod dissonum ab eo est, quod ipsi prius posuerunt: praeterquam, quod eodem in loco etiam ab Hebraea, et Vulgata rursus discrepent, quae ibi filios Josephi tantum memorat duos. Ex hoc vero, quod Benjamin decem iam filios habuisse dicatur modo, quando itum a tota Jacobi domo in Aegyptum est, intelligitur, quod superius quoque iam notatum est, non illum iam aetate fuisse puerum, etsi isto nomine saepius, quando pro frumento mo-

do erant in Aegypto, fuerat compellatus. Quae vero illius aetas fuerit adcurata, certum non est, quia nullum tale vestigium in Scriptura est, unde hoc perspici possit. Est Benjamin natus tantum, ut narratur cap. 35. v. 18. post raptam a Sichemo Dinam. Quae quoniam coniugii gratia rapta est, aetatem nubilem habere debuit, et annos circiter quindecim. Est vero Dina ante Josephum nata. Gen. 29. v. 21. et 22. Minimum igitur quindecim annis, aut aliquid etiam supra Benjamin aetate minor fuit Josepho. Qui cum modo, quando ista Israeliticae domus profectio facta est in Aegyptum, annos triginta et novem habuerit aetatis, triginta enim annos natus factus est prorex Aegypti. Gen. 41. v. 46. Septem deinde successerunt fertilitatis anni, isteque, quo Jacob cum domo sua in Aegyptum venit, secundus erat sterilitatis, et famis annus, ut est supra cap. 45. v. 6. Itaque sequitur Benjaminum minimum quindecim annis iuniorem fuisse Josepho. Calmet tres et triginta censet illum tum habuisse aetatis annos. Sed etiamsi aliquot pauciores habuit, quoniam id, ut dictum est, definiri adcurate non potest, et si ponatur natus fuisse tum annos tantum viginti et octo, ab anno etiam decimo octavo aetatis, quae aetas satis matura maritali officio est, per decennium decem liberos procreare potuit citra naturalem ullam difficultatem. Quid, si autem subinde geminos etiam edidit? quid, si plures etiam uxores habuit? Ut adeo, quod Calmetus isthic facit, ad figuram anticipationis in historica

narratione recurrendum non sit. Quo praesidio nonnisi tum utendum est, quando Historia quoad tempus expediri aliter non potest: ne facilitate istius recursus ad illud praesidium nihil maneat certi in ordine, atque serie temporis, secundum quam narrationes rerum in Scriptura instituuntur.

23. *Filii Dan: Husim.* 24. *Filii Nepthali: Jasiel, et Guni, et Jeser, et Sallem.* 25. *Hi filii Balae, quam dedit Laban Racheli filiae suae, et hos genuit Jacob* (Jacobo) *omnes animae septem.* 26. *Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Jacob in Aegyptum, et egressae sunt de femore illius absque uxoribus filiorum eius sexaginta sex.* Soli undecim Jacobi filii, absque Joseph, cum suis partim filiis, partim nepotibus, quorum nomina isto capite descripta sunt, iisque solis maribus numerum efficiunt sexaginta et quinque. Quare ad istos mares, vel Dina filia Jacobi, vel Sara illius ex Aser filio neptis addita adhuc est; alterutra vero est praetermissa, unde summa illa sexaginta sex exsurrexit. 27. *Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti animae duae. Omnes animae domus Jacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septvaginta.* Nempe hic iam comprehenditur etiam Jacob, et Joseph, et duo Josephi filii: Manasses, et Ephraim: qui quatuor in superiore summa adhuc praetermissi erant. Septvaginta autem Interpretes cum in illa priore sexaginta sex summa convenissent cum Hebraea, et Latina Vulgata, hic rursum discrepant, et pro septvaginta habent sept-

vaginta quinque. Quod eos S. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis dicit fecisse per Prolepsim, addendo ad hanc summam septvaginta quinque etiam Josephi nepotes. Quem tamen Septvaginta numerum, ut ipse S. Hieronymus etiam observationem fecit in eodem suarum Quaestionum Hebraicarum loco, ipsi etiam Interpretes Septvaginta posuerunt Deuteronomii 10. v. 22. Septvaginta autem Interpretes in illo numero septvaginta quinque eorum, qui cum Jacobo venerunt in Aegyptum ex illius stirpe, secutus quoque est Lucas. Actor. 7. v. 14. De quo sic idem S. Hieronymus in citato libro pronunciat: „Non enim debuit, inquit, Sanctus Lu-„cas contrarium aliquid scribere adversus eam Scri-„pturam, quae iam fuerat gentibus divulgata.“

28. *Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nunciaret ei, et occurreret in Gessen.* 29. *Quo cum pervenisset, iuncto Joseph curru suo adscendit obviam patri suo ad eumdem locum, vidensque eum irruit super collum eius, et inter amplexus flevit.* 30. *Dixitque pater ad Joseph: iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo.* 31. *At ille locutus est ad fratres suos, et ad omnem domum patris sui: adscendam, et nunciabo Pharaoni, dicamque ei: fratres mei, et domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me.* 32. *Et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua, et armenta, et omnia, quae habere potuerunt, adduxerunt secum.* 33. *Cumque vocaverit vos, et di-*

xerit: quod est opus vestrum? 34. *Respondebitis: viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra usque in praesens et nos, et patres nostri. Haec autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen, quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium.* Causam istius aversionis, et detestationis supra ad capitis 43. v. 32. exposui. Non tamen prorsus abhorrebant a pastoritio vitae genere. Nam, si hoc ita fuisset, ne ipsi quidem greges ullos servavissent. Constat vero ipsos pecorum habuisse greges ex Exodi cap. 9. ubi inter alias plagas, quibus affecti sunt per Moysem; illorum etiam armenta, et pecora leguntur peste esse consumpta. Sed cum piaculo duceretur apud eos laedere capram, vel bovem, quorum simulacra in suis numinibus colerent: Api, et Ammone; tales pastores, qui non tantum pascerent greges, et servarent, verum etiam pecudes mactarent, atque earum carnibus vescerentur, et quales erant Hebraei, omnino execrabantur.

CAPVT XLVII.

Joseph fratres suos primum, deinde etiam patrem deducit ad Pharaonem, qui illis terram Gessen concedit ad habitandum. Joseph, urgente fame Aegyptios, primum pro pecoribus frumenta iis dat, deinde pro eorum fundis, et possessionibus, sicque totam Aegyptum subiicit Pharaoni, iisdemque imponit, ut postea quintam partem frugum praestent semper regi. Jacob adiurat Josephum, ut se mortuum sepeliendum curet in Chananaea in sepulchro suorum maiorum.

1. *INGRESSVS ergo Joseph nunciavit Pharaoni dicens: pater meus, et fratres, oves eorum, et armenta, et cuncta, quae possident, venerunt de terra Chanaan, et ecce consistunt in terra Gessen.* 2. *Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege.* Vocabulum Hebraicum *katze* (קָצֶה) cuius loco Latinus Interpres vocabulum: *extremus* posuit, significat apud Hebraeos aliquid extremum, et quo res aliqua terminatur vel seorsim, vel vero etiam coniunctim cum toto illo, cuius illud extremum est. Quo altero modo isthic est sumptum non pro ultimis praecise Josephi fratribus, sed quod isti quinque delecti a Josepho ex toto numero suorum fratrum sint, quos deduceret ad Pharaonem sine dubio illos, quos aptiores videret esse ad loquendum cum eo. Ad quem modum sine aliquo respectu ad extremitatem istud verterunt etiam Septvaginta: ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελ-

φῶν αὐτοῦ παρέλαβε πέντε ἄνδρας, καὶ ἔστησεν αὐτοὺς ἐναντίον Φαραώ. *De suis vero fratribus assumpsit quinque viros, et statuit illos coram Pharaone.*

3. *Quos ille interrogavit: quid habetis operis? Responderunt: pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri.* 4. *Ad peregrinandum in terra tua venimus, quoniam non est herba gregibus servorum tuorum ingravescente fame in terra Chanaan: petimusque, ut esse nos iubeas servos tuos in terra Gessen.* 5. *Dixit itaque rex ad Joseph: pater tuus, et fratres tui venerunt ad te.* 6. *Terra Aegypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, et trade eis terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.* 7. *Post haec introduxit Joseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo, qui benedicens illi, et interrogatus ab eo: quot sunt dies annorum vitae tuae.* Secundum Versionem Latinam ambiguum est, Pharaone Jacobum, an Jacobus Pharaonem benedixerit. At ex Hebraeo ambiguitas haec tollitur. Ubi est: *Et benedixit Jacob Pharaonem* (וַיְבָרֶךְ יַעֲקֹב אֶת־פַּרְעֹה) Sed Hebraica vox *vajebarech:* quam Latinus Interpres hic vertit: *benedixit* adorationem quoque, atque genuum flexionem significat. Ad quem modum Latinus quoque Interpres vocabulum hoc vertit Psal. 94. v. 6. et 2. Par. 6. v. 13. Et hic pro tali adoratione esse sumendum illud svadet; quod prorsus verisimile sit Jacobum in aditu ad regem honorem talem illi detulisse, qualem

qualem antea etiam fratri suo Esavo ipse detulerat Gen. 33. v. 3. et Abraham filiis Heth Gen. 23. v. 12. Etiam in discessu ab rege iterum Jacob benedixit Pharaonem regem. Estque rursus idem, quod ante Hebraicum vocabulum: quod proinde eodem rursus modo intelligendum est. 9. *Respondit: dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt: parvi, et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Sic spatium vitae suae peregrinationis nomine Jacob adpellavit, quod se hospitem, et peregrinum confiteretur super terram, atque se significaret patriam inquirere, ut S. Paulus inquit ad Hebr. 11. v. 13. Iidem dies peregrinationis ipsius parvi erant, hoc est: pauci, relate videlicet ad aetatem, quam maiores illius attigerunt; et mali propter multas, et graves aerumnas, quas erat perpessus, nimirum, quando fugere propter fratris in se iram debuit in Mesopotamiam; quando deinde gravibus ibi, et diuturnis in pascendis gregibus perfunctus est laboribus; quando in reditu gravis iterum metus ab Esavo fratre ipsius exterruit animum: ad haec plures filiorum suorum offensiones, et praesertim gravissimus, et inconsolabilis ille luctus in amissione sui filii Joseph, qui viginti, et trium annorum spatio duravit, acerbam illi vitam fecerunt. 10. *Et benedicto rege egressus est foras.*

11. *Joseph vero patri, et fratribus suis dedit possessionem in Aegypto, et optimo terrae loco Ramesses, ut praeceperat Pharao.* Ramesses

erat civitas, quam dicuntur Israelitae aedificasse post obitum Josephi. Exodi 1. v. 11. Vel ergo anticipatio est hic in nomine; vel vero illa aedificatio non erat nova, et ab illius exordio, sed tantum urbis iam ante aedificatae ulterior exstructio, atque amplificatio. Nomine autem praecipuae urbis in terra Gessen tota illa regio designatur. 12. *Et alebat eos, omnemque domum patris sui praebens cibaria singulis.* 13. *In toto enim orbe panis deerat, et oppresserat fames terram maxime Aegypti, et Chanaan.* 14. *E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, et intulit eam in aerarium regis.* „Pertinuit ad Scri-„pturam, ait ad hunc locum S. Augustinus Quaest. „159. in Gen. in hac etiam re commendare fidem „famuli Dei.“ 15. *Cumque defecisset emptoribus pretium; venit cuncta Aegyptus ad Joseph dicens: da nobis panes. Quare morimur coram te deficiente pecunia?* 16. *Quibus ille respondit: adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.* 17. *Quae cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, et ovibis, et bobus, et asinis, sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum.* 18. *Venerunt quoque anno secundo, et dixerunt ei: non celabimus dominum nostrum, quod deficiente pecunia pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus, et terra nihil habeamus.* Non a principio famis iste annus erat secundus: sed postea, quam pecora sua pro frumento Joseph tradidissent, et

vergente iam ad finem septennio illo famis. Nam subsequenti versu iam de seminatione sollicitudinem ostendunt, quae intra illud septennium fieri non poterat, ut est supra capitis 45. v. 6. Nec mirum videri debet, quomodo Joseph circumspecte satis egerit accipiendo pecora ab Aegyptiis, quorum servatio difficilis, et sumptuosa est, quando gramina desunt. Quae eadem ratione videntur tum defuisse, quando agri propter siccitatem, ne arari quidem poterant. Sed hac in re alia est ratio Aegypti, atque aliarum regionum. Abundat enim Aegyptus palustribus, humilibusque locis: ubi pascua dicuntur meliora, et uberiora non exundante Nilo, unde foecunditas agrorum omnis existit in Aegypto, quam cum exundat, quod tum iisdem in locis mera stagna efficiat. Quare hoc ipsum etiam pro causa se habere dixerunt, cur in Aegyptum venerint fratres Joseph coram Pharaone: „Non est herba, „inquiebant, gregibus ingravescente fame in terra „Chanaan“ supra capitis huius v. 4. Erat ergo illius copia in Aegypto, quae in terrae siccitate defecerat in Chananaea. 19. *Cur ergo moriemur te vidente? Et nos, et terra nostra tui erimus. Eme nos in servitutem regiam, et praebe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.*

20. *Emit igitur Joseph omnem terram Aegypti vendentibus singulis possessiones suas prae magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni,* 21. *et cunctos populos eius a novissimis terminis Aegypti usque ad extremos fines eius* 22. *praeter ter-*

ram sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. 23. *Dixit ergo Joseph ad populos: en, ut cernitis, et vos, et terram vestram Pharao possidet: accipite semina, et serite agros,* 24. *ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum familiis, et liberis vestris.* 25. *Qui responderunt: salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum dominus noster, et laeti serviemus regi.* 26. *Ex eo tempore usque in praesentem diem in universa terra Aegypti regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem absque terra sacerdotali, quae libera ab hac conditione fuit.* 27. *Habitavit ergo Israel in Aegypto, id est: in terra Gessen, et possedit eam, auctusque est, et multiplicatus nimis.* De ipsius Jacobi persona habitavisse illum in terra Gessen, esseque multiplicatum nimis, est sermo. Quod versus subsequens declarat, ubi sic continuatur: 28. *Et vixit in ea decem, et septem annis, factique sunt omnes dies vitae illius centum quadraginta septem annorum.* 29. *Cumque adpropinquare cerneret diem mortis suae, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum: si inveni gratiam in conspectu tuo: pone manum tuam sub femore meo, et facies mihi misericordiam, et veritatem, ut non sepelias me in Aegypto;* 30. *Sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac, condasque in sepulchro*

maiorum meorum. Cui respondit Joseph: ego faciam, quod iussisti. 31. *Et ille: iura ergo, inquit mihi. Quo iurante adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput.* Primum nec in Hebraeo, neque apud Septvaginta est, vel in alia antiqua Orientali versione vocabulum: *Deum* quod Vulgata nostra hic in extremo versiculo habet. Deinde Septvaginta locum istum sic verterunt: καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ *Et adoravit Israel supra verticem virgae* (sceptri) *eius*. Diversitas haec interpretandi inde existit, quod Hebraica vox מטה solis consonantibus antiquitus scripta pro diversitate vocalium punctorum, quae in ea pronuncianda adhibentur et *Mitha* (מִטָּה) et *Matta* (מַטָּה) potuerit legi. Quorum prius *lectum*, alterum virgam, vel baculum significat. Illam ergo lectionem priorem secutus est S. Hieronymus in versione Latina, quam etiam tanquam meliorem defendit in Quaestionibus suis Hebraicis, remque sic explicat: „Quod scilicet, (ipsius sunt verba) „postquam ei iuraverat filius, securus de petitio„ne, quam rogaverat, adoraverit Deum contra „caput lectuli sui. Sanctus quippe, et Deo dedi„tus vir oppressus senectute sic habebat lectulum „positum, ut ipse iacentis habitus absque ulla dif„ficultate ad orationem esset paratus." At vero Interpretes Septvaginta istud ad hunc modum verterunt, quod Jacob honorans filium in summitate illius regiae virgae, atque sceptri, cui se inclinaverat, illius potestatem adoraverit. Huic vero ver-

sioni vim maximam conciliat S. Paulus in epistola ad Hebraeos cap. 11. v. 21. ubi iuxta Versionem Septvaginta locum hunc citat: „Fide, inquit, Ja„cob moriens singulos filiorum Joseph benedixit, „et adoravit fastigium virgae eius.“ Ergo istum sensum, quem Septvaginta expresserunt, S. Paulus comprobavit. Etiam concilium generale Nicaenum II. ex hac adoratione virgae, facta per Jacobum, argumentum sumpsit pro cultu Imaginum. Igitur etiam secundum hanc Septvaginta Interpretum versionem locum istum intellexit. Neque enim argumentum pro imaginibus aliquid valuisset, si ideò, quod Jacob Deum adoraverit conversus ad lectuli caput, consequentiam fecisset, colendas etiam esse imagines. Valet autem, et vim habet tanto magis in honore esse habendas sacras imagines, cum regiam etiam virgam Josephi adoraverit Jacob. Quare iste alter huius loci sensus de virgae adoratione est priori anteponendus. Nec vero id officit aut sinceritati nostrae Vulgatae, aut adversus illius est auctoritatem. Neque enim in eo aliqua mala fides est, quod lectulus Latine sit redditus; siquidem Hebraeum utroque modo verti possit; neque etiam confligit cum aliqua fidei, vel morum doctrina. Quae solae duae res erant in consideratione de Vulgata, quando Concilium Tridentinum illam adprobavit. De ritu illo iurandi, ut is, qui iurat, sub eius femur, cui iuramentum dat, manum ponat, dictum est ad capitis 24. v. 2.

CAPVT XLVIII.

Joseph ad Jacobum patrem suum aegrotantem duos suos filios Manassen, et Ephraim adducit, quibus ille benedicit, illosque sibi adoptat: Josepho deinde extra communem haereditatem agrum peculiariter donat.

1. *His ita transactis nunciatum est Joseph, quod aegrotaret pater suus.* Jam superius paulo ante praecesserat, quod ille viderit diem mortis sibi adpropinquare: iam igitur tum deficiebatur viribus, modo autem ingravescens ipsius valetudo periclitari magis coeperat. *Qui adsumptis duobus filiis Manasse, et Ephraim ire perrexit,* 2. *dictumque est seni: ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo,* 3. *et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quae est in terra Chanaan, benedixitque mihi:* supra cap. 28. v. 13. factum hoc narratur; 4. *et ait: ego te augebo, et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum, daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te in possessionem sempiternam.* 5. *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, et Manasses, sicut Ruben, et Simeon reputabuntur mihi.* Hoc eo pertinebat, quod cum Joseph peraeque, atque illius fratres ius tantum ad unam duodecimam partem ex

paterna haereditate haberet; filii ipsius Manasses, et Ephraim ad primum successionis gradum collocarentur, aequipararenturque Jacobi filiis, duplaque haereditatis pars ad Josephi posteros veniret, duaeque ab eo formarentur tribus, quas fratres illius tantum singuli singulas formaverunt. 6. *Reliquos autem, quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* Nullos alios filios suscepit Joseph. Sed si suscepisset, non peculiarem ex nomine suo constituissent tribum, sed tantum adiuncti fuissent alterutri suorum fratrum tribui.

7. *Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus, et ingrediebar Ephratam, et sepelivi eam iuxta viam Ephratae, quae alio nomine adpellatur Bethlehem.* Non est hoc ita nexum cum antecedente, ut hoc, quod isto versu ponitur, sit causa antecedentis. Ubi Latinus Interpres causalem: *enim* posuit, Hebraeus literam *Vav* habet, quae iam copulandi vim habet, iam transitionis ad aliam aliquam rem in fluxu narrationis. Quare Septvaginta hoc sic expresserunt: Ἐγὼ δὲ ἡνίκα ἠρχόμην ἐκ Μεσοποταμίας: Ego autem, quando veni de Mesopotamia etc. Nempe Jacob exorsus erat huius rei narrationem, interim vero conspicatus Ephraimum, et Manassen, quos Joseph secum adduxerat, coeptam narrationem de obitu Rachelis abrupit, seque ad illos vertit, ut sequitur: 8. *Videns autem filios eius dixit ad eum:*

qui sunt isti? 9. Respondit: filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis. 10. Oculi enim Israel caligabant prae nimia senectute, et clare videre non poterat. Applicitosque ad se deosculatus, et circumplexus eos, 11. dixit ad filium suum: non sum fraudatus adspectu tuo, insuper ostendit mihi Deus semen tuum. 12. Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram. Antequam scilicet filii ipsius benedicerentur hoc Joseph fecit, atque Deum positus in genua, atque prostratus adoravit, ut suis filiis a parente, quam largissimam, uberrimamque obtineret benedictionem, illaque vim a Deo acciperet. Cuius deinde benedictionis gratia illos iterum ad patrem suum admovit.

13. *Et posuit Ephraim ad dexteram suam*; *id est: ad sinistram Israel; Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, adplicuitque ambos ad eum. 14. Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat commutans manus. 15. Benedixitque Jacob filiis Joseph, et ait: Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei Abraham, et Isaac; Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem; 16. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, et Isaac, et cre-*

scant in multitudinem super terram. Illud: *benedixitque Jacob filiis Joseph* in Hebraeo est: *et benedixit Josephum.* (וַיְבָרֶךְ אֶת־יוֹסֵף) Nempe Jacob Josephum benedixit in filiis, uti deinde ulterius in ipsa benedictione verba precatoria directe ad Ephraimum, et Manassen vertit. Istud autem: *Deus in cuius conspectu ambulaverunt patres mei* ad hunc modum intelligi debent, quo illa ipsius Dei ad eumbem Abrahamum: „Ambula coram me, et esto per„fectus:" Gen. 17. v. 1. et de Noe quod dicitur: „Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generatio„nibus suis, cum Deo ambulavit." Gen. 6. v. 9. Juxta S. Cyrillum Alexand. Glaphyrorum in Gen. l. 6. Angeli nomine Dei Filius, ipseque Christus intelligitur. „Jacob, inquit, benedixit adolescentu„lis Deum adpellans, qui enutriat, et Angelum, „qui liberet, Deo ac Patri in universum coniun„gens Filium, qui et per vocem prophetarum ma„gni consilii Angelus adpellatur." Etiam S. Athanasius orat. 4. cont. Arianos et S. Hilarius l. 4. de Trinit. pluresque alii Patres Divinam hic Personam Angeli nomine intelligunt. Idque, ut sic accipiatur, deducitur quoque ex ipso orationis contextu. Cum enim Deum ante Jacob invocavisset illius nomine benedicturus *Deus*, inquiens, *in cuius conspectu ambulaverunt patres mei, Deus qui me pascit ab adolescentia mea*, deinde, quin verbum aliquod ad hoc Dei nomen adiunxisset, transit ad Angeli nomen, ac deinde post utrumque nomen verbum ponit: *benedicat*, quod absque dubio pertinere de-

bet ad Deum etiam, quem in principio benedictionis invocaverat. Cumque verbum, quod pertineret tam ad Dei, quam ad Angeli nomen in fine collocaverit, nec inter Dei, et Angeli nomina per aliquam copulandi particulam discrimen fecerit; intelligitur Angeli nomen sic posuisse, ut illo eumdem compellaverit, quem prius Deum nominaverat. Et certe eodem pacto Deum potuit Angeli nomine compellare, quo Angelum hunc, qui ex malis illum eripuit, compellavit nomine Dei. „Vidi, in„quiebat Jacob de Angelo, cum quo luctatus est „Genesis 32. v. 30. Deum facie ad faciem.“ Nempe cum in illo Angelo, cum quo luctatus est, et qui illum confirmavit adversum metum fratris sui Esau, Jacob recognovisset Deum esse, huiusque personam ab eo sustineri; sicut tum Angelum Dei nomine, ita nunc vicissim eumdem Deum Angeli nomine compellavit. Tali modo Malachias quoque propheta eum, quem prius Dominatorem, Angeli etiam deinde nomine compellat: „Et statim, in„quit, veniet ad templum suum Dominator, quem „vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos „vultis.“ (cap. 3. 1.) Illud vero, quod Jacob filiis Joseph precatus est, ut ipsius, et patrum Abraham, et Isaac super eos invocentur nomina, ex Isaiae 4. v. 1. quid significet, perspicuum fit. Ubi septem mulieres apprehendunt virum unum, et ad eum dicunt: „Tantummodo invocetur super nos nomen „tuum.“ Pertinebat hoc videlicet eo, quod sicut illae mulieres copulari et in familia illius viri esse

desiderabant; ita isti duo filii Josephi censerentur in stirpe Jacobi, et Isaac, et Abraham: quo scilicet promissionum, quae illis tribus patriarchis factae sunt a Deo, participes fierent. Extenditque se haec benedictio altiore consideratione ad illa bona, quae Israeliticae stirpi promissa sunt a Deo per Christum. Respectu quorum, licet secundum carnalem generationem ex stirpe essent Israel, tamen plurimi habiti non sunt Israelitae. „Non enim omnes, „ait S. Paulus, qui ex Israel sunt, ii sunt Israeli- „tae; neque, qui semen sunt Abrahae, omnes „filii" Rom. 9. v. 6. Proxime vero invocatio nominis Jacobi super illos significabat, et denotabat ipsorum adoptionem inter ipsius eiusdem Jacobi filios, quam adoptionem iam ipsis paulo ante benedictionem praestiterat, ut antecessit huius capitis v. 5.

17. *Videns autem Joseph, quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit, et adprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super caput Manasse,* 18. *dixitque ad patrem: non ita convenit pater, quia hic est primogenitus: pone dexteram tuam super caput eius.* 19. *Qui renuens ait: scio fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur; sed frater eius minor maior erit illo, et semen illius crescet in gentes.* Hoc vero eo spectabat, quantum attinet ad Literalem sensum, quod tribus Ephraim futura esset longe florentissima et post tribum Juda omnium aliarum maxima, et quae post divi-

sionem populi Israelitici in duo regna, inter decem tribus, ex quibus constabat regnum Israel, omnium fuerit primaria. Typice autem, et sensu mystico istud S. Augustinus Quaest. 166. in Gen. sic explicat: „Quod populus posterior per Christum futurus ge-„neratione spirituali superaturus erat populum prio-„rem de carnali patrum generatione gloriantem.“

20. *Benedixitque eis in tempore illo dicens: in te benedicetur Israel, atque dicetur: faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse, constituitque Ephraim ante Manassen.* Arabs istud clarius sic vertit: *In te benedicentur filii Israel, dicentes alii ad alios: faciat te Deus sicut Ephraim, et Manasse.* In Hebraeo verbum non est in voce passiva, sed activa: *benedicet:* (יְבָרֵךְ) ut adeo sensus sit, quem etiam Arabs expressit, futurum, ut posteri Israelis in benedicendo hoc sibi alter alteri precaturi sint; quod Ephraimo, et Manassi precatus est Jacob.

21. *Et ait ad Joseph filium suum: en ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum.* 22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo.* Partem hanc, atque agrum nomine proprio Sichimae compellant Septvaginta Interpretes in isto eodem loco. De quo agro Sichimitico Genesis cap. 33. v. 19. est, illum ab Jacobo esse emptum centum agnis. In eodem agro condita sunt deinde etiam ossa Joseph (Josue 24. 32.) tanquam nimirum in proprio, et haereditario fundo, quando ex Aegypto reportata

sunt in illa, quae per Moysem facta est populi Israelitici ex Aegypto eductione. Atque illum eumdem fuisse hunc agrum, quem in Sichem emit, etiam est apud Joannem cap. 4. v. 5. „Venit, „inquit, Jesus in civitatem Samariae, quae dici„tur Sichar (hanc eamdem esse cum Sichem do„cet S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis) iuxta „praedium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.“ Est vero hic illa difficultas, quomodo nunc Jacob se hunc agrum in gladio suo, et arcu dicat tulisse ab Amorrhaeo, quem centum agnis emit a filiis Hemor, qui Hevaei genere erant. (Gen. 34. v. 2.) Qua de re sic pronunciat, eamque explicat S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis: „Quod autem di„cit (illius sunt verba) se eam in arcu, et gla„dio possedisse; arcum hic, et gladium iustitiam „vocat, per quam meruit peregrinus, et advena „interfecto Sichem, et Hemor de periculo libera„ri. Timuit enim, ut supra legimus (Gen. 34. v. „30.) ne vicina oppida, atque castella ob ever„sionem foederatae urbis adversum se consurge„rent, et Dominus non dedit eis, ut nocerent illi. „Vel certe sic intelligendum: dabo tibi Sichimam, „quam emi in fortitudine mea, hoc est: in pecu„nia, quam multo labore, multoque sudore ac„quisivi.“ Sic vero in tropica, atque aliena significatione sumuntur vocabula: gladius, et arcus. Quoniam autem proprietas verborum tam diu tenenda est Interpreti, et sectanda; quamdiu ipsum certa aliqua ratio non cogit ad illam deserendam,

ne facilitate troporum, et figuratae orationis facultas illi detur vertendi omnia ad suum ingenium; planior est illa, quam Andreas Masius, et Cornelius a Lapide istius loci explicationem dant retenta proprietate vocabulorum: gladii et arcus. Jacobum scilicet agrum illum omnino comparasse initio sibi centum agnis, vel pecunia, quemadmodum ad illum locum, quid per agnos intelligatur, demonstratum est; inde vero cum propter metum finitimarum civitatum, et ab urbe Sichem recessisset; Amorrhaeos agrum illum occupavisse; rursus vero Jacobum postea, cum se e metu confirmavisset, sibi vi, et armis agrum suum ab Amorrhaeis vindicavisse. Atque Jacobum cum omnibus suis ab Sichem tunc discessisse, agrumque illum vacuum reliquisse, certum est ex Geneseos capitis 35. v. 6. Ex quo omnino non imprudens coniectura fieri potest agrum Jacobi una cum Sichima urbe, quae pariter vacua ab incolis relicta erat, postquam mares in ea omnes contrucidaverunt, feminas autem in captivitatem duxerunt filii Jacob (Gen. 34. v. 25, 29. veluti derelictum ab ipso etiam Jacob, et illius filiis, a vicinis civitatibus Amorrhaeorum occupatum esse. Nec illud impedimentum affert, quod hoc sic esse factum, nusquam Scriptura aperte dicat. Quis enim nescit, quam multa praetermitti soleant in Scriptura silentio, et quorum imperfecta relicta est narratio? Ita, quamvis Geneseos cap. 28. v. 20. dicatur Jacob votum fecisse de decimis rerum omnium suarum Deo consecrandis; tamen ubi,

et quando votum hoc suum exsolverit, deinde nuspiam declaratur. Ergo hic quoque e contrario, cum Jacob dicitur gladio suo, et arcu agrum illum sibi comparasse, etsi quando hoc factum sit, non exponatur; tamen propterea ratio in dubium vocandi non est reipsa sic accidisse. Et quoniam illud quoque, quod prius positum est, agrum illum comparatum esse centum agnis, et pecunia, verum esse debet propter Scripturae veracitatem; consequens est, agrum illum emptum esse ab Jacobo et pecunia, et rursum gladio, et arcu comparatum, etsi hoc alterum propter Scripturae reticentiam, quoad adiuncta istius facti, quando, et quomodo factum sit, nesciatur. Nec tali in re quidquam aliud Interpreti praestandum est, quam ostendere, ne sic quidem in narrando repugnantiam aliquam esse. Quae si in aliquo Scripturae loco deprehendi posset; tota ipsius ubique auctoritas, atque veracitas concideret.

CAPVT XLIX.

Jacob moriturus filiis suis benedicit praenuncians simul ea, quae futura erant, et postquam mandata de sua etiam sepultura iis dedisset, moritur.

1. *VOCAVIT autem Jacob filios suos, et ait eis: congregamini, ut annunciem, quae ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Hebraice: בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *beacharith hajamim*, quod vi sua significat posterius

rius aliquod qualecunque tempus, licet etiam soleat sumi pro extremo. Quoniam autem praedictiones istae, quas Jacob facit, ad tempora pertingunt etiam usque Christi, cuius adventus iam in fine seculorum esse factus pronunciatur a Paulo 1. Cor. 10. v. 11. non incongrue de his, quae praedicuntur, dictum ab Jacobo est, ventura illa esse in diebus novissimis. Dum vero sic ad filios suos orationem instituit: *Quae vobis*, inquit, *eventura sunt*, procul dubio in his duodecim suis filiis omnes illorum posteros allocutus est. 2. *Congregamini, et audite filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* 3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et principium doloris mei:* Doloris loco est in Hebraeo vocabulum *On* (אוֹן) quod non semper pro dolore sumitur, verum etiam pro facultate alicuius rei, et potentia. Talique sensu sumptum magis congruit cum antecedente voce: *fortitudine.* Intelligitur vero hic illa potentia, illaque fortitudo, et vis, quam Jacob exercuit in procreandis liberis. Quare Septvaginta istud, quod nos Latine habemus: *principium doloris mei* sic verterunt: ἀρχὴ τέκνων μου *principium filiorum meorum. Prior in donis, maior in imperio* nimirum esse debebas, propter primogenituram videlicet: nam quod illum istis donis exuat, statim subsequitur. 4. *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia adscendisti cubile patris tui, et maculasti stratum eius.* Crimen hoc incestus illius erat, quod Ruben admisit cum Bala ancilla, et secundaria Jacobi uxore Gen. 35. v. 22. Eratque

commensa sceleri poena; ut qui in ipso paterno strato liberos libidinose quaesivisset, paucitate posteritatis plecteretur. Erat enim tribus Ruben reliquas inter admodum mediocris. Vindicavit etiam Jacob crimen in se admissum deiiciendo ipsum de gradu primogeniturae. Huius namque ius quoad duplam haereditatis portionem transtulit in Joseph adoptando sibi duos illius filios Ephraim, et Manassen, ut est antecedentis capitis v. 5. imperium autem, ut brevi dicetur, in Judam. Itaque haec sunt illa, quae dicebat: *Prior in donis, maior in imperio:* sed quae, ut iam dictum est, tenere debuisset, amisit autem.

5. *Simeon, et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia.* Vasa pro instrumentis ponuntur iuxta indolem loquendi Hebraice. Facinus vero in Sichimitas admissum Genesis 34. v. 25. ipsis exprobrat.
6. *In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea.* Est haec detestatio Jacobi illius consilii, atque conspirationis adversus Sichimitas. „Significat, ait S. Hieronymus in Quaest. Hebr. in Gen. non sui consilii fuisse, quod Sichem, et Hemor foederatos viros interfecerint, contraque ius pacis, et amicitiarum sangvinem fuderint innocentem, et quasi quodam furore, et credulitate rapti muros hospitae urbis everterint.“ *Quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum.* Enallage, et transmutatio est numeri, non enim tantum unum, sed plures occiderunt, et totius civitatis in-

colas: murum vero eiusdem civitatis suffoderunt vastando illam, et depraedando. Erant vero in depraedatione socii alii etiam fratres. Gen. 34. v. 27. Sed quoniam isti duo in facinore illo principes erant, et auctores; istos solos Jacob nominat, istisque factum prae ceteris tribuit. Hoc vero, quod Latine sic versum habemus: *suffoderunt murum*, Septvaginta verterunt: *subnervaverunt taurum.* (ἐνευροκόπησαν ταῦρον) Quae varietas versionis inde existit, quod Hebraica vox (שור) solis consonantibus scripta et *Schor*, et *Schur* possit legi: quorum illud bovem, alterum hoc murum significat. De muri autem suffossione, quoniam civitatem dicuntur depraedati esse, res habet pleniorem sensum. 7. *Maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Conspirationis crimen iterum contraria poena dispersionis plectit. Tribus Levi nullam possessionem in distributione terrae, sicut aliae tribus, accepit, sed erat sparsa per reliquas tribus omnes, certasque tantum in illis urbes et suburbanos fundos accepit. Josue 20. v. 2. Quod tamen illis honorificum, et decorum fuit ideo, quod a Deo adsumpta sit ad ministerium sacrum. Quam illi rem sibi a Deo meruerunt iterum alio facto, quando illius honorem laesum vindicaverunt occidendo illos, qui adoraverunt vitulum aureum, et propter quod factum Moyses sic ad eos pronunciavit: „Consecravistis, inquit, manus vestras hodie „Domino, unusquisque in filio, et fratre suo, ut

„ detur vobis benedictio.“ Exod. 32. v. 29. Sed neque tribui Simeon seorsim, et extra alias tribus habitandi spatium, atque commoditas obtigit, quae tantum quasi inquilina locum accepit in medio possessionis filiorum Juda, ut est Josue cap. 19. v. 2. et quae propter angustias ad habitandum in monte Seir, alibique ampliorem sibi locum quaerere coacta est. 1. Paral. 4. v. 39. 42.

8. *Juda te laudabunt fratres tui*: In Hebraeo elegans paranomasia est. Ipsum enim Judae nomen Laudationem significat. Rubeno e gradu principatus inter fratres deiecto, duobus autem, qui sequebantur, ob illam indignitatem in Sichimitas admissam praetermissis primogeniturae altera etiam pars Rubeno detracta, imperiumque inter fratres Judae tribuitur. Laudandus autem dicitur a fratribus suis non tantum ob hanc eamdem imperii gloriam; sed cum esset antelatus reliquis fratribus dignitate per ipsum ille etiam erat descensurus, qui eos, quos in unam Ecclesiae familiam, et spirituale regnum per fidem consociavit, non est dedignatus vocare fratres suos. Hebr. 2. v. 12. „ Quia ex „ hac tribu ait S. Chrysostomus hom. 67. in Gen. „ exoriturus erat Christus secundum dispensationis „ rationem, propterea Spiritu Sancto adflatus Ja- „ cob praedicit per ea, quae in Judam dicuntur, „ non solum descensum Domini ad homines, sed „ et mysterium, et Crucem, et sepulturam, et re- „ surrectionem, et ut semel dicam, omnia.“ *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*; hoc ad

bellicositatem istius tribus pertinet: *adorabunt te filii patris tui.* His vero verbis imperium illi inter fratres tribuitur.

9. *Catulus leonis Juda: ad praedam fili mi adscendisti: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena. Quis suscitabit eum?* Bellica ipsius virtus prius commemorata uberius describitur. Qui tanquam iuvenis, atque viribus potens leo ad praedam sive capiendam procederet, sive, ut Septvaginta habent, a praeda adscenderet. (ἐκ βλαςοῦ ἀνέβης) Βλαςὸς autem Graece proprie germen significat, quod hic metaphorice pro praeda positum est, tanquam ubi leo, sicut pecudes carpendo gramen in pascuo, ita ipse se praeda repleverit; atque ubi a praeda adscendisset; hoc est: rediisset, inter spolia conquiesceret leaenae instar, vel secundum Hebraeum instar leonis maioris; nám Hebraice est vocabulum *Labi* (לָבִיא) quod leonem maiorem significat. Graeca autem versio adcuratior est. Nam etiam in Hebraeo est: *a praeda adscendisti.* (מִטֶּרֶף עָלִיתָ) *Quis suscitabit eum?* Quod significat, quod, quemadmodum leonem turbare nemo audet, et excitare, dum ille super praeda, quam cepit, cubat, et quiescit, sic Judae eam, quam capturus est praedam, erepturus nemo sit. Quod quidem ruditer, et per typum in Juda impletum est per Davidem, et Salamonem; quorum alter in debellandis inimicis, alter in pacifica regni possessione typum Christi gesserat, reipsa autem haec sub typico Judae velamine ad Christum pertinens.

prophetia erat. De quo est in Apocalypsi: „Vicit „leo de tribu Juda:" cap. 5. v. 5. quique de suis ovibus tanquam de sua praeda sic pronunciat apud Joannem: „Non rapiet eas quisquam de manu „mea." cap. 10. v. 28. *Recumbens dormivisti, ut leo, et sicut catulus. Quis excitabit eum?* „Crucem, et sepulturam hic significat" ait S. Chrysostomus hom. 67. in Gen. Ibi enim reipsa victoria constitit Christi: ubi „Exspolians principatus, et „potestates traduxit confidenter, palam triumphans „illos in semetipso." Colos. 2. v. 15.

10. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Sceptri loco in Hebraeo est vocabulum *Schebeth* שֵׁבֶט) quod virgam significat, eamque non vulgarem: sed regiam esse, atque regiae auctoritatis insigne, ex reliquis huius prophetiae partibus intelligitur, quod eidem Judae imperium datum sit inter fratres, et quod hi eum adoraturi sint. Quare Septvaginta hoc sic verterunt: *Non auferetur princeps ex Juda* οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα. Pro duce Hebraice est *Mechokek:* (מְחֹקֵק) et significat eum, qui aliis praescribit, atque leges dat. Femur autem positum esse honestatis servandae causa in loquendo pro membro genitali iam ad capitis 24. v. 2. demonstratum est. Sensus igitur est: tamdiu non defecturos principes ex Judae stirpe in Israelitica gente, donec veniat, qui mittendus est. Quod extremum in Hebraeo rursus sic est: *Donec veniat Schiloh.*

(עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה) Non consentiunt, ne ipsi quidem Hebraei in huius vocis radice, et certa derivatione. Communius eam repetunt ex שִׁלְיָה *Schilja*, quae vox ad partum pertinet, et proprie membranam illam denotat, qua foetus in utero circumvolvitur. Ex quo deducitur *Schiloh* idem significare, quod filium. Atque sic hoc vertit Jonathan Paraphrastes Chaldaeus: *Donec veniat*, inquit, *rex Messias parvus eius filius*; deinde Paraphrastes alter iterum Chaldaeus nomine Onkelos, Targum Jerosolymitanum, postea Bechai, Kimchi, et Hebraeorum doctores plures alii, diserteque pronunciant intelligi isto nomine ex Judae stirpe venturum Messiam. Habet vero radicem illa vox Hebraeam *Schala* (שָׁלָה) quae *pacificum esse* significat. Quare Samaritanus iterum sic: *Donec veniat Pacificus.* Quod etiam ad Christum pertinere ex Isaiae cap. 9. v. 5. intelligitur: ubi is, quem ibi Principem pacis (שַׂר שָׁלוֹם) eo in loco Isaias vocat, citra omnem dubitationem Messias, et Christus est. Sepvaginta autem locum istum sic verterunt: ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀπόκείμενα αὐτῷ: *Donec veniant, quae reposita sunt ei*, aut secundum alia exemplaria, et lectiones huius loci apud Patres: ἕως ἂν ἔλθῃ, ᾧ ἀπόκειται: *Donec ille venerit, cui repositum est.* „Quasi dicat, „verba sunt S. Chrysostomi ad hunc locum hom. „67. ille, cui praeparatum est regnum.“ Et regnaturum Christum etiam Gabriel angelus ad Beatam Virginem, dum eam salutavit, dixit. „Regnabit, „inquit, in domo Jacob in aeternum, et regni eius

„ non erit finis" Luc. 1. v. 32. S. Hieronymus autem in huius loci Latina versione dum posuit: *Donec veniat, qui mittendus est*, eumdem etiam Messiam, alia tantum verborum forma, significavit. Quod per eum, qui mittendus a Deo esset, et venturus, intelligatur Christus. „ Tu es, qui venturus „ es, an alium exspectamus," interrogaverunt Christum discipuli Joannis ad eum missi Matth. 11. v. 3. et Joannis 6. v. 14. „ Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum" dicebant de eo turbae illae hominum, quos per prodigium multiplicato pane pavit in deserto. *Et ipse erit exspectatio gentium.* Hoc in Hebraeo est: *Et ei obedientia populorum.* (וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים) „ Adorabunt (enim) „ eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei." Psal. 71. v. 11. Exspectatio autem pro obedientia in Latino posita est secundum ductum Versionis Septvaginta: apud quos est: προσδοκία ἐθνῶν *praestolatio gentium*.

Est vero hic illa controversia, quomodo hoc verum fuerit, sceptrum, et regiam dignitatem non prius esse auferendam ab Juda, quam Christus venisset, cum in captivitate Babylonica, quingentis circiter annis ante, regia dignitas defecerit, nec qui postea Judaeorum politicum statum administrarunt, et gubernarunt, ex tribu Juda, verum ex Levi fuerint, Machabaei videlicet. Quare aliqui eo confugiunt, Judae nomine hic non stricte solam tribum Juda, verum latius comprehendi totam Judaeorum gentem. At vero diserte infra versu 28.

dicitur Jacobum singulis benedixisse benedictionibus propriis. Ego sic statuo hanc Judae imperii super reliquas tribus excellentiam ab Jacobo praedictam non esse ad solum regium sceptrum, quod in Davide primum coeperit, constringendum, sed latius de qualicunque etiam alia auctoritatis, et dignitatis functione intelligendum, quae se iam etiam ante Davidem multis rebus prodiderit. Nam tribus Juda principem locum tenebat sive movissent, sive consedissent castra. Numer. 2. v. 3. cap. 10. v. 14. ad oblationes pro tabernaculo faciendas illa similiter prima processerat Num. 6. v. 12. item praecessit omnes reliquas tribus in occupanda terrae Chanaan haereditate. Josue 16. v. 1. atque Josue defuncto illa erat a Deo nominata, quae in belli administratione adversus Chananaeos reliquis tribubus dux praeiret. Judic. 1. v. 2. Illa ergo ipsius dignitas temporum varietate iam plus, iam minus effulserat, nonnumquam etiam obscurabatur, ut vicissitudines solent esse rerum publicarum omnium; clarissime autem omnium splendebat Davidis, atque Salamonis aetate. Quibus regibus quasi culmen suae dignitatis attigit. Nec erat prophetiae huius scopus designare ad punctum tempus, quo ablato a Juda sceptro adpareret Christi adventus. Sensim, et pedetentim, ut in rebus humanis accidere solet, Deus etiam hic ordinaverat; ut Judae regnum ex florentissimo illo statu decideret primum sub Roboam Salomonis filio, quando avulsae decem tribus sunt ex illius regno; 3. Reg. 11. v. 35. deinde captivi-

tatis Babylonicae calamitate; posteaquam autem post reditum ex captivitate principatum obtinuissent Assamonaei, vel alio nomine Machabaei, erat regnum Juda adhuc nihil eo minus conspicuum, suis continebatur iuribus, suisque utebatur legibus; atque perstabat Judaeorum res politica, tametsi inter eos princeps, quasi temporis causa, aliunde, et ex alia tribu esset adsumptus: sicut non propterea regnum aliquod destruitur, aut evertitur, etiamsi principem, et regem in eo sibi eligant ex natione alia. Periculosius vero iam laborabat Judaeae regnum, quando Judaeis Herodes Idumaeus dominabatur. Sed tamen etiam adhuc tum perstitit proprii regni Judaici aliqua species, quod ille Judaeorum ritus, et caerimonias adsumendo ad illorum gentem transiverit, et quod proprias illorum leges non sustulerit. Eversum autem penitus est Judaeae regnum, funditusque deletum, atque comminutum eius sceptrum per Vespasianum, et Titum imperatores. Tunc enim occisis, vel venditis Judaeis omnibus, totum illorum regnum, et status politicus defecit factaque est illa, quam post hoc Jacobi oraculum iterum Daniel praedixit cap. 9. v. 26. vastitas, et statuta desolatio.

11. *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam.* Cum alloquatur Judam, et tamen in tertia persona instituta sit oratio, non bene illa haeret inter se secundum leges Grammaticae. In Hebraeo illud: *o fili mi*, est *Beni* (בְּנִי) hoc vero etiam verti potest: *filius meus.*

Quo pacto apta inter se prodibit oratio: Ligans subintellige verbum: *erit* ad vineam pullum suum, et ad vitem filius meus asinam suam: itemque sic reliqua, quae de Juda adhuc sequuntur, nectuntur bene. *Lavabit in vino stolam suam, et in sangvine uvae pallium suum.* 12. *Pulchriores sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores.* Rerum autem ubertas, quibus tribus Juda abundatura sit, significatur, vini praesertim, quaeque per adiuncta alligationis pulli asini, et asinae ad vitem vindemiae, et legendarum uvarum causa, in illarum tanta ubertate, ut ad illas efferendas ex vinea non hominum solae manus, et humeri sufficiant, sed iumentorum opera necessaria sit; deinde vini tantam futuram copiam, ut in illius redundantia vestes quisque etiam suas inter incedendum intincturus sit, vel etiam, quod propter illius immensam copiam vinum aquae instar ad lavandas in eo etiam vestes habendum sit, dicitur. Atque propter hanc vini, victusque ubertatem, ac praestantiam, et unde nitere deinde solent corpora, Judae etiam venustas, quae futura esset in corpore, praedicatur, eaque per oculorum venustatem, et dentium candorem, hoc est: per oris speciem exprimitur. Atque haec, cum subtilius, atque typice referri debeant ad Christum, quem Speciosum forma prae filiis hominum adpellavit etiam David, Psal. 44. v. 3. quique donis suis cumulatissime locupletavit Ecclesiam suam: siquidem hoc de illo, sed sub typo Davidis est „A fructu frumenti, vini, et olei sui

„ multiplicati sunt;" tum hoc etiam citra typum, atque per solam allegoriam referunt ad Christum S. Justinus in Dial. cum Tryphone, S. Chrysostomus hom. 67. in Gen. S. Augustinus l. 12. c. Faustum cap. 42. et S. Hieronymus in Quaest. Hebraicis. „ Quod videlicet pullum asinae, verba sunt S. Hie- „ ronymi, cui supersedit Jesus, hoc est, gentilem „ populum vineae Apostolorum, qui ex Judaeis „ sunt, copulaverit, et ad Sorec (sic vitis in He- „ braeo vocatur) id est, ad electam vitem alliga- „ verit asinam, cui supersedit, Ecclesiam ex na- „ tionibus congregatam." Et S. Cyrillus Alexandri- nus Glaphyrorum in Gen. lib. 7. „ Vitis enim illa „ vera, ait, hoc est, Christus, quasi sibi ipsi per „ fidem alligavit populum ex Gentibus, quem pul- „ lo comparat. Quod autem alligaverit capreolo vi- „ tis (sic adpellantur claviculi intorti in vite, qui- „ bus veluti adminiculis utitur, seque implectit ad „ ea quae potest contingere, dum crescendo in al- „ tum se erigit) hoc est dilectione sua pullum asi- „ nae, populum inquam, qui credidit ex prisca Ju- „ daeorum matre, aut Synagoga, quomodo quis „ dubitaverit, cum universa, ut uno verbo dicam, „ Sacra Scriptura testetur hoc mysterium? Sed „ quod proprio sangvine sit suam ipsius carnem „ tincturus ligno affixus, ac lancea perforatus, osten- „ dit his verbis: *lavabit in vino stolam suam, et* „ *in sangvine uvae pallium suum.* - - - *Gratiosi* „ *oculi tui ex vino* Ex his, ut arbitror, intelligi „ debet iucundum, laetum, et hilare, quo Divi-

„na ipsius natura praedita est. Mens enim eo„rum, qui vinum biberunt, iucunda fere esse so„let, et ab iis, quae tristitiam gignunt, summo„pere abhorret. Cum vero sermo quodam modo „e dentibus procedat; ideo et hos esse ait candi„dos, ut qui sermonem candidum per lingvam emit„tant. Christus enim nequaquam vaniloquus est, „sed potius veridicus. Siquidem omne, quod lo„quitur, sanctum est, atque admiratione dignum, „atque adeo tale, ut animae, et menti auditorum „splendidissimum lumen immittat."

13. *Zabulon in litore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* Ducentis circiter annis ante Jacob praedicit, atque Moyses illa in deserto describit tam adcurate, quae postea missis sortibus evenerunt, ut describi melius, postquam facta sunt, non potuerint. Tribus Zabulon omnino partem Chananaeae possedit inter mare Mediterraneum, et mare Tiberiadis contingens utrumque litus, et plurimos habens portus veluti Capharnai, Bethsaidae, Tiberiade. 14. *Issachar asinus fortis accubans inter terminos.* Animalium nominibus utitur plerumque Jacob in suis benedictionibus ad indicandam suorum filiorum futuram indolem. Depingitur itaque Issachar veluti robustus asinus accubans inter terminos, id est inter provinciae suae fines, sive etiam, ut Hebraicum huius loci vocabulum verti potest: *inter sarcinas* (בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם) Nam, et quietum vitae genus tribus haec amabat, et mercatui, negotiationique

se dederat infra Zabulonem tribum habitans, atque mare Mediterraneum contingens. Etiam 1. Par. 12. v. 32. a doctrinae studiis laudatur prae reliquis tribubus, et a dandis consiliis. Haec enim otium, et quietem requirunt. 15. *Vidit requiem*, id est: cessationem ab armis, et belli tumultibus, *quod esset bona, et terram, quod optima;* erat enim ibi solum fertile, *et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Non quasi haec tribus praeter reliquas servitutem aliquam subivisset; sed quod tributis servierit propter negotiationem, quae praestare in alienis oris, quo ad forum merces suas tulit, debuit. Septvaginta istud: *factus est tributis serviens* sic verterunt: *factus est vir agricola.* (ἐγενήϑη ἀνὴρ γεωργός) Utrumque nimirum Zabulonitae exercuerunt agriculturam, et mercaturam. At Versio Latina de tributis est adcuratior, quia Hebraicum vocabulum *Mas* (מַס) quod isto loco est, vulgo Hebraeis *tributum* significat.

16. *Dan iudicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israel.* Ipsum Dan nomen iudicium significat, a quo nomine paranomastice ad ipsum verba instituit Jacob, quod etiam ex illius posteris orituri sint, et futuri Judices. Talis vero Samson fuit. Atque ad hunc spectare hanc prophetiam S. Hieronymus docet in Quaest. Hebraicis, consentiuntque reliqua, quae de eo adhuc dicuntur. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat adscensor eius retro.*

Cerastes est genus serpentis cornutum cinereo colore, quod inter arenam in via abditum praetereuntibus insidiatur. Atque Samson similiter astu adpetiit Philisthaeos, petens sibi ex illis uxorem, unde ansam caperet (Jud. 14. v. 4.) consurgendi adversus ipsos et se ab illorum dominatu eximendi. S. Ambrosius autem lib. de Benedictionibus Patriarcharum cap. 17. „Non Samsonem, inquit, „haec prophetia significat, sed Antichristum, qui „futurus est ex tribu Dan.“ In eamdemque sententiam S. Augustinus Quaest. 22. in Josue, Irenaeus, et quidam alii Patres, atque Interpretes prophetiam hanc acceperunt. Venerunt autem in hanc mentem, quod Apocalypseos capite 7. ubi electorum numerus ex qualibet tribu describitur, commemoratis omnibus aliis tribubus, praetermissa sit sola haec tribus Dan, quasi hoc propterea factum sit, quod ex hac tribu futurus sit Antichristus. Sed certa res ista non est. Judicum capite 18. memoratur sexcentorum virorum ex tribu Dan factum, quomodo habitatores urbis Lais inopinantes facto in eos impetu oppresserint, illorumque civitatem occupaverint. Quare posset hoc etiam pertinere non praecise tantum ad personam Samsonis, verum ad tribum totam, cuius talis indoles versutiae, et astus in praeliis fuerit. Quasi autem nec sive in Samsone populi Israelitici liberatore ex servitute Philisthaeorum, sive in omnium ex tribu Dan vafritie praesidium certum, et securum esset; neque enim ea, quam etiam Samson ipsis attulit,

stabilis erat salus, altius mentem Jacob erigens ad alium Salvatorem. 18. *Salutare tuum*, inquit, *exspectabo Domine*.

19. *Gad accinctus praeliabitur ante eum; et ipse accingetur retrorsum.* Praeliabitur ante eum, refertur id pronomen ad Dan, de quo sermo modo antecessit, et Gaditarum cum Danitis futura in bellis consociatio praedicitur. Quod cum primis accidit Josue 1. v. 14. cum armati reliquas tribus antecessissent, suasque vires cum illis coniunxissent in occupanda Chananaea. Est vero in tota hac de Gad Jacobi oratione iterum allusio ad illius nomen, quod *accinctum* vel *praeliatricem aliquam turbam* significat. Quemadmodum ergo ipse Gad accinctus versaretur in praeliis, premeretque hostes; ita dicitur ipsum etiam vicissim esse accingendum, idque retrorsum, hoc est: manibus post tergum constringendum. Erat haec tribus sita trans Jordanem in finibus. Quare, quandocunque bella passi sunt Israelitae a Syris, Moabitis, Ammonitis; illa primum impetum sustinere debuit. Tali modo 1. Par. 5. v. 18. dexteritas Gaditarum in praeliis laudatur, sed simul etiam, quae ipsis postea acciderit captivitatis calamitas. 20. *Aser pingvis panis eius, et praebebit delicias regibus.* Panis oleo subactus fuit habitus in deliciis. Quamobrem etiam Numerorum 11. v. 8. Moyses, Mannae saporem describens, comparat illud pani confecto ex oleo. Erat autem huius tribus regio ferax frumenti, et olei. Itaque istarum rerum abundantia tanquam promptuarium

promptuarium quoddam spectabatur regiarum deliciarum.

21. *Nephtali cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis.* Praedictionem hanc in Barac, quod ex hac tribu oriundus fuerit, esse completam, multi docent. Qui missus adversus Sisaram Chananaeorum ducem, cum timiditatem ante, cervae instar, prae se tulisset, quod natura timidum animal est, et cui animus eundi ad illud bellum sine Debbora defuisset; postea profligatis hostibus carmen illud longe elegantissimum cum Debbora cecinerit, quod Judicum cap. 5. descriptum est. Sed in versione huius loci non mediocris Interpretum dissonantia est. Septvaginta illum sic verterunt: *Nephthali virgultum resolutum dans in germine pulchritudinem.* (Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος.) Id, quod ad numerositatem ipsius posteritatis referri posset. Nam spatio, quo Israelitae fuerunt in Aegypto, cum inde educerentur, inito numero, soli, qui arma ferrent, fuerunt ex hac tribu quinquaginta tria millia quadringenti, ut est Numerorum 1. v. 43. Etiam S. Hieronymus, cum initio hanc versionem, quam nunc Vulgata habet, fecisset, deinde in Quaestionibus Hebraicis sic hunc locum aliter reddidit: *Nephthali ager irriguus dans eloquia pulchritudinis*, idque interpretatus est de aquis calidis in hac tribu, et quod sita fuisset ad aquas fluminis Jordanis, et maris Tiberiadis, vel etiam metaphorice, quod in ista tribu in civitate Tiberiade schola fuerit constituta, ubi Moysis,

aliique libri Divini explicabantur. Hebraicum autem vocabulum, in quo praecipua istius loci difficultas vertitur, est *Ajala* (אַיָּלָה) quae vox indubitanter pro cerva Proverbiorum 5. v. 19. Jobi 39. v. 1. Canticorum 2. v. 7. pluribusque Scripturae locis sumitur. Sed, quoniam istud vocabulum metaphorice hic positum est, de Nephthali, quid significet, qualisque metaphora sit, discrepant Interpretum sententiae. Sed tamen in obscuritate huius metaphorae, quidcunque intelligendum sit; illud quidem certe ad felicitatem aliquam istius tribus pertinet, in qua cervae instar prospero rerum suarum cursu excurreret, atque laetas de se, gratulatricesque voces ederet. Quid autem, si Jacob iam tum prophetico oculo illud vidit, et adspexit, quod luculentius postea Isaias de felicitate istius tribus praedixit capitis 9. v. 1. ipsaque tribus haec cervae nomine compellata est, quod ad eum primum is, qui Canticorum 2. v. 9. capreae, hinnuloque cervorum similis dictus est; Evangelii praedicandi causa excurrerit, suaeque ibi pulchritudinis eloquia emiserit, de quo etiam Matthaeus 4. v. 15. loquitur?

22. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus adspectu.* Qualis reipsa fuisse Genesis 39. v. 6. dicitur, cumque nomen Joseph augmentum significet, dum filius accrescens nominatur; est in hac compellatione allusio rursus ad illius nomen. Fuit vero filius accrescens. Nam illi accreverat, illique ab Jacobo data fuit dupla por-

tio haereditatis, ut hoc iam praecessit superioris capitis v. 5. *Filiae discurrerunt super murum.* Filiae videlicet Aegypti, prospicientes ex tectis Josephi videndi studio: „Qui tam pulcher es, verba „sunt S. Hieronymi in Quaest. Hebraicis ad hunc „locum, ut te tota de muris, et turribus, ac „fenestris puellarum Aegypti turba prospectet.“ 23. *Sed exasperaverunt eum, et iurgati sunt, inviderunt que illi habentes iacula.* Fratres hi illius erant, qui iurgati sunt dicendo ad eum: *Numquid rex noster tu eris* (supra cap. 37. v. 8.) iidemque iacula adversum illum habuerunt, quando interficere illum voluerunt. 24. *Sedit in Forti arcus eius, et dissoluta sunt vincula brachiorum, et manuum illius per manus Potentis Jacob.* Arcus metaphorice pro fiducia, quam in Forti, hoc est, in Deo tunc collocaverit. Dissoluta sunt vincula, in Hebraeo est: *Roboraverunt se brachia manuum eius* (וַיָּפֹזּוּ זְרֹעֵי יָדָיו) *per manus Potentis Jacob.* Potens iterum pro Deo est positum. Totum hunc locum sic S. Hieronymus in Quaest. Hebr. tractat, et explanat: „Inviderunt tibi, ait, „et te ad iracundiam provocaverunt fratres tui ha„bentes livoris sagittas, et zeli iaculis vulnerati. „Verum tu arcum tuum, et arma pugnandi posuisti „in Deo, qui fortis est propugnator, et vincula „tua, quibus te fratres ligaverunt, ab ipso soluta „sunt, et dirupta.“ De vinculorum solutione sensum posuit, ut verbum hoc est in versione Latina, in qua secutus fuit Interpres Septvaginta. Etsi vero

sensu res non discrepet, adcurate tamen hoc sic est in Hebraeo, ut ego posui. *Inde pastor egressus est lapis Israel.* De venditione sua sic ipse Joseph ad fratres suos pronunciat infra capitis sequentis v. 20. „Vos cogitastis de me malum, sed Deus ver„tit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in prae„sentiarum cernitis, et salvos faceret multos po„pulos: nolite timere, ego pascam vos, et par„vulos vestros." Illam ergo venditionem suam illud secutum est, ut in illa fame, atque etiam ulterius postea Joseph fieret pastor Israelis, atque illius lapis, hoc est: praesidium, atque firmamentum.

25. *Deus patris tui erit adiutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus caeli desuper*, id est: pluviae et roris, *benedictionibus abyssi iacentis deorsum*, hoc est: aquarum, quae ab infra superficiem terrae foecundant; intelligitur vero irriguum solum, *benedictionibus uberum, et vulvae*: uberum benedictione copia lactis, et butyri intelligitur, vulvae vero benedictionis nomine foecunditas gregum, aut etiam multiplicatio prolium. 26. *Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium aeternorum.* In Hebraeo hoc sic ad verbum est: *Benedictiones patris tui praevaluerunt super benedictiones patrum meorum ad desiderium usque collium aeternorum.* (בִּרְכֹת אָבִיךָ גָּבְרוּ עַל־בִּרְכֹת הוֹרַי עַד תַּאֲוַת גִּבְעֹת עוֹלָם) Atque hinc sensus existit iste: benedictiones meae a meis progenitoribus mihi datae adhuc in te augeantur, et

accumulentur desiderio collium aeternorum, id est: quam magni sunt colles, atque instar montium. Solet vero Scriptura montibus epithetum: aeternus addere propter stabilem, et firmam illorum durationem. Quomodo etiam ab Habacuc montes seculi, colles mundi adpellantur. (cap. 3. v. 6.) Hae autem benedictiones, inquiebat Jacob: *fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos:* hoc est: fiant super Joseph, qui floris instar, et coronae eminet inter suos fratres. Nam Hebraicum *Nazir* (נָזִיר) selectum, separatum significat, quales inter Israelitas deinde erant, qui se a Deo religiosius consecrarunt. Cumque illi haberentur tanquam eximii propter suam religiositatem; Nazir, et Nazaraeus tropice erga Josephum pro eximio etiam inter suos fratres, et excellentissimo positum est.

27. *Benjamin lupus rapax, mane comedet praedam, et vespere dividet spolia.* Benjamiticae tribus truculentum ingenium fuisse satis declaravit actio illa adversus omnes alias tribus in Gabaanorum defensione Judicum capite 19. Quae res, etsi similitudinem aliquam habere potuerit cum rapacitate lupi; tamen quomodo postea ipsi spolia diviserint, non satis perspicitur, nisi forte illud, quando reliquae tribus internecina fere clade Benjamitas affecerunt, nomine divisionis spoliorum venire possit. Quare magis praedictionem hanc impletam esse in S. Paulo Apostolo, qui ex tribu Benjamin erat, quique, cum initio more lupi in gre-

gem Christi impetum fecisset, et discerpsisset; postea vero ex praedatore Ecclesiae, et ovilis Christi, dispensator factus est mysteriorum Christi, illis, quibus praedicaverat, diviserit spolia locupletando eos donis Christi, docent Patres: S. Augustinus serm. 14. de Sanctis, S. Ambrosius de Benedictionibus Patriarcharum. S. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis. Cuius ultimi haec sunt verba: „Quam de Paulo Apostolo manifestissima prophe„tia sit, omnibus patet.“

28. *Omnes hi in tribubus Israel duodecim: haec locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis.* Quibusdam infausta etiam praenunciavit, magisque ad aliquos reprehensionis, quam benedictionis speciem oratio illius habuit. Sed, quoniam plures sunt, quibus precatus bene est, tanquam a re potiore, et a maiorum istorum numero, tota haec illius oratio benedictionis nomine compellatur. 29. *Et praecepit eis dicens: ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quae est in agro Ephron Hethaei,* 30. *contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethaeo in possessionem sepulchri.* 31. *Ibi sepelierunt eum, et Saram uxorem eius; ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua, ibi et Lia condita iacet.* 32. *Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit, adpositusque est ad populum suum.* De hac phrasi, qua Justorum mors

consvevit exprimi in Veteris Testamenti Scriptura, dictum est supra ad capitis 25. v. 8. et ad capitis. 17. v. 14.

CAPVT L.

Jacob defunctus defertur in Chananaeam sepeliendi gratia. Joseph fratres sollicitos, ne fortasse defuncto patre factum illorum in se admissum vindicet, recreat, et consolatur. Cum produxisset aetatem ad centum decem annos, et nepotes suos vidisset ad tertiam usque generationem, mandatumque dedisset, ut illius ossa secum auferrent, quando demigrabunt ex Aegypto, moritur.

1. *QVOD cernens Joseph ruit super faciem patris flens, et deosculans eum.* 2. *Praecepitque servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem.* 3. *Quibus iussa explentibus transierunt quadraginta dies, iste quippe mos erat cadaverum conditorum, flevitque eum Aegyptus septvaginta diebus.* Aegyptiorum hunc fuisse morem in condiendis defunctorum corporibus, quemque erga patrem observavit etiam Joseph, tradit Herodotus l. 2. c. 86. et Diodorus Siculus l. 2. c. 5. Quotidie quadraginta illis diebus odoribus, atque ungventis partim explebant, partim ungebant, et liniebant cadavera, ut penetratione odoratorum liquorum in intimas corporis partes non tantum tabem, et tetrum odorem arcerent,

verum etiam svaveolentia efficerent corpora. Quadraginta deinde illis diebus addebantur insuper alii triginta, quibus in sale nitro cadavera macerabantur, ut exsiccatis humoribus integra, atque incorrupta perstarent. Interea vero per omnes illos septvaginta dies luctus producebatur non tantum vestitu, et lugubri corporis habitu, sed etiam publico ploratu, atque planctu: deinde abstinendo his diebus non tantum ab extraordinariis voluptatibus, verum etiam a consveta quacunque lautitia in cibo, et victu. Per plures autem dies defunctos lugendi consvetudo etiam postea tenuit apud Israelitas. Moysem, et Aaronem defunctum per triginta dies luxit tota populi multitudo Numerorum 20. v. 30. Deuteronomii 34. v. 8.

4. *Et expleto planctus tempore locutus est Joseph ad familiam Pharaonis: si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis,* 5. *eo quod pater meus adiuraverit me dicens: en morior. In sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me.* Nempe ipse sibi in spelunca illa, locum, ubi loculus ipsius deponeretur, paraverat iam excavando saxum. *Adscendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar.* 6. *Dixitque ei Pharao: adscende, et sepeli patrem tuum, sicut adiuratus es.* 7. *Quo adscendente ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terrae Aegypti.* Ad prosequendum funus, et ad tantum iter habiliores fuissent viri potius et iuvenes, quam senes: si senes

hic intelligerentur tales, quibus iam fracta est aetas, et non magis ii, qui magistratum gererent, dignitateque reliquos anteirent. Quibus senum nomen tribuitur, quod talibus potissimum propter maturitatem consilii officia publica committi consveverint: 8. *domus Joseph cum fratribus suis absque parvulis, et gregibus, atque armentis, quae dereliquerant in terra Gessen.* 9. *Habuit quoque in comitatu currus, et equites, et facta est turba non modica.* 10. *Veneruntque ad aream Atad, quae sita est trans Jordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleverunt septem dies.* Hunc locum Atad serius Bataglam esse denominatum docet S. Hieronymus de Locis Hebraicis, et esse infra Jerichuntem duobus circiter milliaribus non longe ab Jordane. Id vero fuerat altius supra Hebronem, et locum sepulchri. Quare illi in hoc itinere non breviorem viam tenuerunt, sed altius primum adscendendo, traiiciendoque Jordanem Hebronem venerunt: ex qua eadem parte etiam area Atad fuit sita. Quae proinde trans Jordanem dicitur fuisse tantum respectu Aegypti, et eorum, qui ex Aegypto cum funere venerunt. De septem autem dierum numero, qui in Jacobi exsequiis observatus est, sic pronunciat S. Augustinus Quaest. 172. in Genesim: „Septimus, inquit, „dies auctoritatem in Scripturis habet; nam Ec- „clesiastici cap. 22. v. 13. dicitur: luctus mortui „septem dies - - - - septenarius autem numerus „propter sabbati sacramentum praecipue quieti

„ indicium est; unde merito mortuis tanquam re-„ quiescentibus exhibetur. “

11. *Quod cum vidissent habitatores terrae Chanaan, dixerunt: planctus magnus est iste Aegyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius: Planctus Aegyptii.* Hebraice est: *Abel Mitzraim.* 12. *Fecerunt ergo filii Jacob, sicut praeceperat eis.* 13. *Et portantes eum in terram Chanaan sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethaeo contra faciem Mambre.* 14. *Reversusque est Joseph in Aegyptum cum fratribus suis, et omni comitatu sepulto patre.* 15. *Quo mortuo timentes fratres eius, et mutuo colloquentes: ne forte memor sit iniuriae, quam passus est, et reddat nobis omne malum, quod fecimus,* 16. *mandaverunt ei dicentes:* Septvaginta: *accedentes dixerunt* (παραγενόμοι εἶπαν) *pater tuus praecepit nobis, antequam moreretur,* 17. *ut haec tibi verbis illius diceremus: obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati, atque malitiae, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph:* 18. *veneruntque ad eum fratres sui;* et *proni adorantes in terram dixerunt: servi tui sumus.* 19. *Quibus ille respondit: nolite timere. Num Dei possumus resistere voluntati?* 20. *Vos cogitasti de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in praesentiarum cernitis, et salvos*

faceret multos populos. 21. *Nolite timere: ego pascam vos, et parvulos vestros, consolatusque est eos, et blande, ac leniter est locutus.* Non in eo, quod illi malum fecerunt, sic erant per voluntatem Dei obstricti, ut facere contrarium non potuerint: neque enim ipsorum malum, et facinus illud, in quantum malum fuit, ex Dei voluntate processit, ,, Odio enim sunt Deo impius, et impie- ,,tas eius" Sap. 14. v. 9. Sed tantum quatenus Deus decreverat Josephum extollere ad illam dignitatem, providereque per ipsum Israeliticae domui in fame; voluntas Dei fuit directe quidem, et per se volens hocce bonum; admittens autem tantum, atque sinens id, quod ab iis ea in re gestum est male. Atque secundum eam partem deportationem suam in Aegyptum Dei voluntatem adpellat: quam Deus exsecutioni mandasset, etiamsi ipsi malum illud non perpetrassent. Tanto enim magis Deus efficere poterat illud bonum sine ipsorum malo; qui etiam adversus ipsorum conatum impediendi, ne somnia, quae Joseph de futura sua magnitudine vidit, implerentur; illud, quod decrevit, praestiterit, atque ipsa illa occidendi, vendendique Josephum consilia ad illud, quod de eo destinatum habuit bonum, converterit. Sine dubio autem hoc fictum tantum ab illis est habere se mandatum a patre, ut ei dicerent, ne iniuriae illorum memor esset. Neque enim Jacob, qui animum Josephi noverat, quidquam illis ab eo mali metuerat. 22. *Et habitavit in Aegypto cum omni domo*

patris sui, vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph. Adoptationis istum fuisse ritum, ut super eius, a quo adoptaretur, genua is, qui adoptabatur, collocaretur, demonstratum est ad capitis 30. v. 3. *Quibus transactis locutus est fratribus suis: post mortem meam Deus visitabit vos, et adscendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iuravit Abraham, Isaac, et Jacob.* 24. *Cumque adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos, adsportate ossa mea vobiscum de loco isto,* 25. *mortuus est expletis centum decem vitae suae annis, et conditus aromatibus repositus est in loculo in Aegypto.*

TABELLA

exhibens annos 2369, per quod Spatium Historia excurrit Libri Geneseos.

				Ann. Mundi.
ADAM genuit	Seth	Gen. 5. v. 3. aetatis suae an.	130	130
Seth —	Enos —	v. 6. - - - - - -	105	
Enos —	Cainan —	v. 9. - - - - - -	90	
Cainan —	Malaleel -	v. 12. - - - - - -	70	
Malaleel —	Jared —	v. 15. - - - - - -	65	
Jared —	Henoch —	v. 18. - - - - - -	162	
Henoch —	Mathusalem	v. 21. - - - - - -	65	
Mathusalem -	Lamech —	v. 25. - - - - - -	187	
Lamech —	Noe —	v. 28. - - - - - -	182	1056
Noe —	Sem —	v. 31. *) - - -	502	1558
Cum Diluvium acciderit a. 600. aetatis Noe Gen. 7. v. 11. proinde hoc fuit - - - -			—	1656
Sem —	Arphaxad	Gen. 11. v. 10. - -	100	
Arphaxad —	Sale —	v. 12. - -	35	
Sale —	Heber —	v. 14. - -	30	
Heber —	Phaleg —	v. 16. - -	34	
Phaleg —	Reu —	v. 18. - -	30	
Reu —	Sarug —	v. 20. - -	32	

*) Isto Geneseos loco Noe cum quingentorum esset annorum dicitur genuisse Sem Cham et Japhet. At nativitatem Semi, reipsa biennio tardius accidisse, ibi ad illum locum demonstratum est.

					Ann. Mundi.
Sarug —	Nachor —	v. 22. - -		30	
Nachor —	Thare —	v. 24. - -		29	
Thare —	Abraham —	v. 26. *) -		130	2008
Vocatio Abrahae 75. anno aetatis Gen. 12. v. 4. -				—	2083
Abraham genuit Isaac Gen. 21. v. 5. - - -				100	2108
Isaac —	Jacob Gen. 25. v. 26. - -			60	2168
Jacob venit in Aegyptum a. aetatis. - - -				130	2298
Ab adventu Jacobi in Aegyptum usque ad obitum Joseph **) - - - - - - - - - - -				71	2369

*) Septvaginta tantum anni Thare hic ponuntur; at anno suae aetatis 130. a Thare genitum esse Abrahamum, rursus ad illum locum demonstratum est.

**) Ratio haec annorum sic se habet: Joseph, quando Jacob in Aegyptum venit, fuit annorum 39. Nam 30 annos natus fuit, quando interpretatus est somnium Pharaoni Gen. 41. v. 46. post annos autem septem fertilitatis, et duos sterilitatis Gen. 45. v. 11. Jacob cum sua familia venit in Aegyptum. Cumque universe annos Joseph vixerit 110, si illi 39. subtrahantur ab hac summa annorum totius vitae, sequitur, ut ab adventu Jacobi in Aegyptum usque ad obitum Josephi intercesserint anni 71.

Pag.	*Linea.*	*Errata*		*corrige*
4	13	instinctum	- - - -	institutum
16	21	resolutio	*adde*	fieri.
25	22	explacatio	- - - -	explicatio
32	12	allegoreus	- - - -	allegoricus
46	26	tarductum	- - - -	traductum
47	19	dessidebant	- - -	dissidebant
—	20	Chaldariae	*in margine*	Chaldaicae
52	26	debeat	- - - - -	debet
56	1	altius repere	- - -	altius repetere.
84	2	וְעוֹצ	- - - - -	וְעוֹף
85	21	aqua	- - - - -	equa
96	13	in diserto	- - - -	in deserto
104	25	hoc pertinere	- -	huc pertinere
106	4	*por ea*	- - - - -	*pro ea*
—	6	substititutum	- - -	substitutum
—	11	subtituturus	- - -	substituturus
174	17	תָּחִיו	- - - - -	אָחִיו
211	4	*partem suum*	- - -	*patrem suum*
213	22	notalibe	- - - -	notabile
215	10	morabundum	- -	moribundum
—	30	loco haec duo	- -	loca haec duo
238	2	περάτηχ	- - - -	περάτης
261	19	ritus	- - - - -	rivus
—	24	Atque	- - - - -	Estque
265	1	ἱρα	- - - - - -	ἵνα
284	16	bonitata	- - - -	bonitate
342	10	administrandi	- -	ad ministrandi
376	6	pertringeret	- - -	pertingeret
413	5	quasi sic	- - - -	quasi si
431	19	sucessisse	- - - -	secessisse
458	1	deserti	- - - - -	deserto

Tabella ad finem Geneseos ponenda.



sc. Franc. Karacs Pestini 1801.

J. N. ALBE
SACRAE
Scripturae
Veteris et N
Testamenti